52

DEFENSIO POTESTATIS SVMMI PONTIFICIS,

ADVERSVS LIBRVM REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ,

Guilielmi Barclaij Scoti, & M. Georgij Blacuelli.

AVTHORE

LEONARDO LESSIO

Societatis IESV Sacræ Theologiæ Professore.

CÆSARAVGVSTÆ,

Apud Christophorum Iouium.

M. DC. XI.

SACRATISS. ROM.

IMPERATORI CÆSARI SEMPER AVGVSTO,

Serenissimis & Potentissimis

ORBIS CHRISTIANI

MONARCHIS, REGIBVS

AC

PRINCIPIBVS,

LEONARDVS LESSIVS

Societatis IESV *Theologus*

Vtriusque Vitæ Felicitatem optat.

NVMQVAM acriori studio & conatu Summi Pontificis authoritas oppugnata fuit, quàm hoc tempore. Testantur id tum Iurisiurandi formulæ, quæ quibusdã locis vbi hæresis dominatur, seuerè per

Magiſtratus exiguntur, quibus hæc poteſtas planè abiuratur: tum libelli variè in lucem editi. Et quia horum nonnulli Veſtris Maieſtatibus innotuere, vnus præſertim titulo tenus vt apparet Regius, qui prætextu huius authoritatis iniquè à Sede Apoſtolica in Principes vſurpatæ, M M^{tes}. V V^{as}. alloquitur: Magnorum Virorum rogatu præſens opus Apologeticum ſuperiori æſtate cõſcripſi: quod (vt aliud nuper de Antichriſto) V V^{is}. quoque M M^{bus}. dicandum cenſui, vt ad quos dictæ obiectiones allatæ ſunt, ad eoſdem reſponſa perueniant; non quòd Vos Maioréſve Veſtri de hac vmquam authoritate dubitaſtis, quos ſemper vt diuinitus à Deo datam conſtat agnouiſſe, & ingenti veſtra cum gloria honoraſſe: ſed vt extra Catholicæ fidei lumen educati, eâ quâ Maieſtates Veſtræ luce & ipſi colluſtrentur. Siue enim Præfatio illa Monitoria aliquid vltra titulum à Magnæ Britanniæ Rege acceperit

rit ſiue non: gaudebit opinor Magnus ille & Ingenioſiſſimus Rex cognita Catholicæ fidei Veritate, quam iniuria temporis & educatio ei inuidit.

Porrò dum Opus hoc noſtrum excuderetur, audio prodijſſe in lucem librum ab Illuſtriſſimo & Doctiſſimo Card. Bellarmino in eamdem ſententiam, eóque in Gallia quoſdam offenſos, quaſi Regiæ Maieſtati & Politiæ aduerſaretur. in eas enim tenebras aſtutiâ hæreticorũ quibuſdam locis veritas eſt immerſa, vt ſi Pontificiam authoritatem more Catholico & tot ſæculis conſueto aſſeras, videaris ſupremæ Regum Iuriſdictioni derogare. Itaque ſtatueram hoc Opus premere, niſi Viri Clariſſimi, re diligẽter expenſa iudicaſſent id minimè conuenire. rem eſſe non boni exempli, cedere hæreticorum importunæ oppugnationi in Orthodoxæ Doctrinæ defenſione, & propter eorum calumnias non audere Veritatem, quam ipſi liberè & ſtudioſè op-

pugnant, tueri. Neminem verò Catholicum percepto controuersiæ statu posse offendi, cùm tot sæculis sine vlla contradictione tum in scholis, tum in tẽplis, tum in communi fidelium sensu, tum in vsu & praxi, doctrina ista viguerit. Non magis eam ad Galliæ, quàm ad alia Christiani orbis regna pertinere, sed communem esse. causam nullam esse cur pauci aliquot antiquam hanc Galliæ gloriam hac velut exceptione obscurare conentur; cùm florentissima illa Monarchia Sedi Apostolicæ tot sæculis fuerit addictissima, & hanc eius, de qua agimus authoritatem sua potentia, difficillimis tẽporibus sæpius tuta sit & stabiliuerit, vt in hoc opere ostenditur, & Henricus IIII. postremò vita functus immortali memoria dignus, suam erga Sedem Apostolicam obseruantiam tot modis declararit, eamq́ue hæredi ac filio suo nouo Regi (quam & Regina Mater Pietate sua ac Sapientia, & filij indoles sceptro digna quotidie prouehunt)
re-

reliquerit imitandam.

Ita Philippus II. Hispaniarum Pijssimus ille Rex per tot sæculorum gradus à Maioribus sibi relictam erga Sedem Apostolicam incredibilem pietatem vnà cum Regno, Sapientissimo filio Philippo III. reliquit. quæ Regia Pietas tot accessionibus auctum Regnum felicissimè hodieque conseruat.

Ita reliqua Regna Maiestatibus Vestris subiecta.

Ita denique Regium hoc Belgium, quamdiu Summum Pontificem quo debuit loco habuit; eæque Prouinciæ quæ sub Serenissimis Nostris Principibus Alberto & Isabella Austriacis, ab hac Apostolicæ Sedis obedientia non defecere; pietate, tranquillitate animorum, publico priuatoque rerum sacrarum cultu ac vsu florent.

Ob has aliasque causas, censuerunt quos dixi summæ Authoritatis Viri, nullum subesse iustæ offensionis periculum, neque vano metu clarissimam hāc Au-

Authoritatis Apoſtolicæ Veritatem (pro qua Maieſtates Veſtræ ac Sanctiſſimi Maiores Veſtri voluiſſent vitam oppetere) modio eſſe ſupponendam, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo Dei ſunt; imò & filijs huius ſæculi qui malè agunt & oderunt lucem, & Eccleſiæ Catholicæ lucernam extinctã vellent, ne arguantur opera eorum: ſed tenebris potiùs Diuina tamdem miſeratione egreſſi, & ipſi effecti filij lucis, Catholica fide in hac vita, in altera verò immortali Catholicæ fidei præmio cum Maieſtatibus Veſtris in perpetuas æternitates reſplendeant.

Louanij, M.DC.XI.

HÆC DEFENSIO duas habet Partes.

PRIOR PARS

EST *de potestate Summi Pontificis absolutè & in genere, præsertim in spiritualibus.*

Hæc pars continet septem genera probationum.

I. *Probatio, est ex Orbis Consensu & Confessione.*
II. *Ex Scripturis.*
III. *Ex Concilijs Oecumenicis.*
IV. *Ex Pontificum Decretis.*
V. *Ex Patrum Testimonijs.*
VI. *Ex Iure ciuili, & testimonijs Imperatorum.*
VII. *Ex varijs rationibus & signis.*

SECVNDA PARS

EST *de potestate Pontificis, quatenus se extendit ad temporalia.*

Hæc constat tribus Sectionibus.

PRIMA SECTIO

CONTINET *quinque genera probationum.*

I. *Probatio ex Concilijs Oecumenicis.*
II. *Ex Scripturis.*
III. *Ex testimonijs Principum, sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ.*
IV. *Ex varijs Exemplis.*
V. *Ex varijs rationibus ex Scripturis, Philosophia, & Politia petitis.*

1. *Ratio ex absurdo.*
2. *Ex potestate excommunicandi.*
3. *Ex variorum fundamentorum falsitate.*
4. *Ex recepta consuetudine accusandi & citandi.*
5. *Ex ratione finis.*

SECVNDA SECTIO

TERTIA SECTIO

PRÆ-

PRAEFATIO
Ad Lectorem.

SICVT Christus venit in hunc mundum, vt destrueret opera Diaboli, eiusque imperium euerteret, & nouum sibi regnum totum műdum impleturum excitaret: ita vicissim Diabolus omni conatu in id semper incubuit, vt Christi regnum (quod est Ecclesia) labefactaret & destrueret. Fecit id primò per Imperatores Ethnicos & Tyrannos. verùm cùm res parùm ex voto ei succederet, crescente magis per hoc Ecclesia, & sanguine Martyrum facessente in sementem Christianorũ; admouit hæreses, per quas longè profecit ampliùs. Vidit itaque experientia doctus Ecclesiam externis persecutionum impressionibus expugnari non posse; sed internis dumtaxat dissidijs, quibus vnitas fidei & religionis scindatur, labefactari. in hac enim vnitate totum Ecclesiæ robur ac bonum vniuersum cõsistere. Quare cùm huius vni-

tatis conſeruationem maximè pendere cerneret ab authoritate Sedis Apoſtolicæ: nec poſſe Eccleſiam diſſolui ac in varias Sectas diſſipari, illa authoritate incolumi: omne ſtudium ad illam labefactandam conuertit, nouiſſimis præſertim iſtis temporibus, quibus mundi clauſula ſenſim appropinquante, & menſura peccatorum creſcente, laxiores illi dantur habenæ ad nocendum. Hac enim authoritate ſublata, nullum ampliùs ſupereſt vinculum, quo Eccleſia in vnitate fidei & religionis contineatur, vt ſuo exemplo commonſtrãt illi, qui hac authoritate ſpreta, breui tempore in Sectas innumeras ſunt diuiſi.

Porrò ad eam conuellendam, duobus potiſſimùm vtitur inſtrumentis: Hæreticis, qui ſe iuratos Eccleſiæ hoſtes profitentur; & quibuſdam Politicis, qui ſub nomine Catholico illam oppugnant. Per Hæreticos Sedi Apoſtolicæ omnem in ſpiritualibus poteſtatem abrogat, eamque Antichriſti Sedem ab omnibus habendam contendit. Per Politicos non ita furenter in eam incurrit, ſed conceſſa quadam ſpiritalis poteſtatis vmbra, aufert ei ferè omne Ius quo ſpiritale bonum & religionis cauſa aduerſus impios in-

inuaſores defendatur, negata omni authoritate, quæ ad temporalia ſe extendat. Facit hoc eo conſilio, vt ipſius miniſtri, qui in religione oppugnanda, hæreſibus ſtabiliendis & Catholicis affligendis ei ſeruiunt, nihil habeant quod metuant; ſed ſecurè poſſint graſſari. Excommunicatio enim (quæ ſola horum ſententia Pōtifici conceditur, & nihil eſt aliud quàm à ſacramentis & officijs diuinis excluſio) inuaſoribus illis nō eſt terrori: cùm ſponte ſua omnibus iſtis libenter abſtineant. Quod ſolùm formidant eſt, ſubditos ſuos à debito obſequio & fidelitatis ſacramento abſolui, & ſeipſos abdicationis ſententia perſtringi. Hoc nimirum eſt vnicum quod metuunt & oderunt, quodq́ue multos olim ſalubriter vel in officio continuit, vel ad officium reuocauit. hoc ergo defendēdæ religionis & boni ſpiritalis præſidium, opera quorumdam vel Politicorum, qui non ita pridem emerſi, vel Catholicorum, qui à Politicis decepti, Eccleſiæ extorquere conatur, & ſummo Pontifici detrahere; idq́ue ſub Iuris & dignitatis Regiæ aſſerendæ prætextu.

Prodijt de hoc argumento libellus quidam anno ſuperiore hoc titulo: *De poteſtate*

Papa, an, & quatenus in Reges & Principes sæculares Ius & Imperium habeat, Guilielmi Barclaij I. C. Liber posthumus. in quo totis viribus author hanc potestatem sub nomine Catholico oppugnat, & eius defensoribus tamquam Monarchiæ hostibus apud Principes inuidiam concitare conatur, Monarchomachos eos vocans. Ipsam verò potestatem mirificè exaggerat, tamquam immensam, illimitatam, & omnipotentiam quamdam, quæ in nullam creaturam, sed in solum Deum cadere possit: eamque vocat potestatem eradicandorum & extirpandorum Regum, & transferendorum pro arbitrio regnorum: ita nimirum auxesi verborum ex culice faciens elephantum. Exagitat autem præ cæteris Doctoribus Cardinalem Bellarminum qui hanc rem breuiter, doctè & dilucidè pro suo more lib. 5. de Pontifice, cap. 7. & 8. tractauerat.

Perlatus est Libellus iste ad me menses abhinc aliquot; & à Magnis Viris rogatus sum, vt sepositis paulisper alijs curis, ei paulò exactiùs responderem: quod hactenus nemo extaret qui eam rem fusiùs esset persecutus, etsi plurimi breuiter explicuissent. Cessi petitioni, & paucis mensibus hanc respō-
sionem

ſionem confeci. Erunt forſan Politici, qui laborem hunc meum quaſi ſceptris Principum minùs fauentem traducant (ſimilé enim criminationem Author Præfat in Illuſtriſſ. Cardinalem Bellarminum notat) verùm Principes Catholici, & eorum Conſiliarij qua ſunt religione, prudentia & æquitate ipſimet huiuſmodi calumniam protinus refellent. nihil enim hic noui tradimus; nihil de noſtro adferimus: communem Eccleſiæ Catholicæ Doctrinam, tot Concilijs Oecumenicis probatam, tot ſacris Canonibus ſancitam, à Catholicis DD. in omnibus regnis, in omnibus Academijs Chriſtianis receptam & defenſam proponimus. Nemini tot ſæculis apud Catholicos hæc Doctrina fraudi fuit: nemo inter tot Scriptores qui eam tradidere, idcirco in ſuſpicionem minùs propenſi in Principes animi venit, aut Principibus minùs charus fuit. Iniquiſſimum planè foret ſi aduerſarijs impunè liceret ſcriptis libris receptam Eccleſiæ doctrinam conuellere, & Catholicis Doctoribus Eccleſiæ filijs fas non eſſet eam tueri, & aduerſariorum obiecta diluere. Vocent illi nos idcirco Monarchomachos: poſſunt id facere eodem iure, quo

pro-

propter cultum ſacrarum imaginum, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ adorationem, vocant ſuperſtitioſos & idololatras. Pertinet hæc contumelia ad omnes Doctores Catholicos, qui iam à 600. annis extitere, inter quos multi ſanctitate & miraculis fuere clariſſimi.

Non ſunt putandi hoſtes Monarchiæ, qui ipſam Monarchiam præ cæteris gubernandi formis extollunt; qui Principem vniuerſo populo ſuperiorem ſtatuunt, & totam regni authoritatem in eo collocant; qui fortunarum damna & mortem ſubditis antè ſuſtinendam, quàm aliquid agant contra Ius Principis, tradunt: & idipſum ſuo exemplo difficillimis temporibus demonſtrant, qui ſubditis prætextu religionis nihil contra Principem mouere permittunt, ſummo Pōtifice, ad quem cura Religionis pertinet, inconſulto.

Sed, inquiunt, ſubijcitis Principem ſummo Pontifici in temporalibus. Minimè verò. non in temporalibus, ſed in ſpiritualibus illum ſubijci dicimus, tamquam filium ſpirituali patri, tamquam ouem animæ ſuæ paſtori. quamdiu enim ſolùm agitur de bono temporali & politico, oſtendimus ſum-

ſummum Pontificem ius nullum agnoſcere vt ſe gubernationi Principis immiſceat. Si verò agatur de bono ſpirituali, gubernatione Principis tendente in euerſionem Religionis & perniciem animarum: tunc dicimus Pōtificem poſſe admouere manum, & ſtatuere quod expediens ad religionis conſeruationem & ſalutē animarum iudicàtum fuerit. hoc eſt quod potiſſimùm hic defendimus. Quî poteſt hoc aut minùs fauens aut incommodum cenſeri Principum authoritati, quæ in temporalium adminiſtratione verſatur, cùm omnia temporalia religioni & ſaluti æternæ ſeruire debeant? Quis Principum Chriſtianorum velit ſe, aut ſuos poſteros regnare cum interitu veræ religionis, & exitio æterno ſubditorum? Fertur de potentiſſimo illo Galliæ Rege Franciſco primo, eum dicere ſolitum: *Si ſcirem partem aliquam carnis meæ contagione hæreſis infectam, eam manu mea à reliquo corpore præciderem*. Eodem animo reliquos quoque Principes Chriſtianos eſſe credendum. norunt enim ſe & Chriſti religione & ipſo iure naturæ ad hoc obſtrictos, vt nolint ſe ſuoſque dominari in iſtis infimis & caducis, cum damno publico ſpiritu-

 ritu-

ritualium & æternorum : vt non pluris æstiment suum honorem, quàm regni totius salutem. denique vt parati sint cedere potiùs administratione, quàm vt regnum in impietatem præcipitetur. Itaque tantùm abest vt grauatè ferant hanc summi Pontificis authoritatem, vt eam tot iam sæculis probarint : etsi interdum aliqui de minùs prouido vsu sint conquesti ; vt suo loco ostendam. Nemini vtile esse potest habere peccandi impunitatem. non expedit vlli Principi, vt securè possit seipsum, & regnum suum perdere, veram religionem exterminare, Hæreses, Turcismum vel Atheismum introducere: sed contrà ei expedit & optandũ est, vt non desit, qui etiam vi possit à tantis malis eum auertere. Quis nauarchus mentis compos non desideret habere à quo vel inuitus prohibeatur, si eo furore contingeret illum aliquando corripi, vt nauem cum vectoribus in scopulos conetur impellere? Felix necessitas quæ ab interitu reuocat, & à tantis cladibus animum malè sanum coercet.

Neque solùm bono spirituali tuendo, sed etiam Imperijs Principum stabiliendis, ac pu-

publicæ tranquillitati hæc authoritas est opportunissima. Per hanc componuntur Principum discordiæ, in exitiosum alioquin bellum abituræ: defenduntur legitimi regnorum heredes aduersus domesticos & externos inuasores: absterrētur Magnates ne res nouas aduersus nouum Principem meditentur: impediuntur potentiores ne alios viribus impares iniquè opprimant, suisque ditionibus exuant. Itaq; omnes Principes Christiani in hac Vicarij Christi authoritate patrocinium habent & defensionem: omnes qui iniquè oppressi refugium & opem, vt in hoc scripto multis exemplis declarabitur.

Ex his perspicuum est hanc nostram sententiam & Principum statui & eorum regnis plurimùm fauere, ijsque in pace conseruandis esse aptissimam. At verò hæreticorum sententia non parum affert periculi: vt quæ Principem eiusque Imperium arbitrio Ministrorum subijcit, & furori populi ad eorum nutum exponit, vt suo loco fusè demonstrabitur. Nec minus periculi, etsi modo diuerso, adducit sententia Politicorum. dum enim plus tribuit Principi quàm vel ferre queat moderatus

 ani-

animus; dum instar Numinis eum vult haberi, cui omnia liceant impunè, cui nullo euentu liceat resistere, etiamsi omnia diuina & humana pessumdet; illum præcipitat in tyrannidem. At nostra vitatis hæreticorum & politicorum extremis media via incedit, Principum vitæ & statui securissima. si enim ijs qui patrem & matrem honorant, promittitur in lege diuina longa & quieta vita: cur Principi qui patrem suum spiritualem summum Pontificem Christi Vicarium debito honore prosequitur, non sit sperandum longum & felix imperium? Religione stabiliri regna, extolli familias, & produci in multa sæcula: impietate labefieri, euerti, extingui, plurimis S. Scripturæ & historiæ Ecclesiasticæ exemplis discimus. quod etiam Dominus insinuat his verbis: *Quicũque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Exod. 20. 12. Ephes. 6. 2.

1. Reg. 2. 30.

Porrò, vt tractatio sit plena, primo loco stabilio summi Pontificis authoritatem in genere aduersus hæreticos: deinde descendo ad eam qua parte respicit dispositionem temporalium. Et quia Barclaius cõgessit diligenter omnia quæ vel in speciẽ huic

huic authoritati videbantur posse refragari, ad illius libellum discutiendum me potissimùm conuerti. Eo enim cõfutato, abundè etiam libello Regio qua parte hæc attingit, satisfactum erit. Miratus sum aliquanto tempore authorem scribere, se fidem Catholicam Romanam profiteri, cùm tot inuectiuis in summos Pontifices & Episcopos vtatur, & multa fidei Catholicæ aduersa tradat: sed postea accepi, post mortem authoris libellum in Anglia à Fratribus reformatæ religionis fuisse reformatũ, & Londini non Mussiponti, sicuti in frõte præferebat, excusum. Licuit nimirum illis hoc modo libellum alienum reformare, vt sub Catholico nomine Catholicis sua paradoxa meliùs persuaderent. Digessi rationes in ordinem, & ad singulas distinctè respondeo simplici, proprio, ac scholastico stylo, ad veritatem nudè clareque proponendam accommodato, quique ab omnibus facilè possit intelligi.

Cùm penè ad finem peruentum esset, allatus est ad me libellus inscriptus: Quæstio in M. Georgium Blacuellum. in quo etiam nonnulla aduersus hanc summi Pontificis authoritatem proferuntur. Verùm

nihil ferè noui aduerto, quod libello Barclaij non contineatur. Nam omnia penè ex ipſo videntur deſumpta. Itaque eadem opera etiam Blacuello reſponſum erit.

Habes, Lector optime, conſilij mei rationem. Tu lege, expende, iudica; & ſi quid viſum fuerit obſcurius, benignè interpretare. Deum precor, vt hæc eius gloriæ, Religionis dignitati, & Principum Catholicorum Statui ac Amplitudini dicata fauore ſuo promoueat.

APPRO-

APPROBATIO.

HANC PONTIFICIÆ POTESTATIS DEFENSIONEM & ſolidam cenſeo, & dignam quæ ad Principum ac populorum inſtructionem emittatur in lucem . Louanij , XIIII. Sept. M. DC. X.

Georgius Fabricius Nouiomagus
Apoſtolicus Librorum Cenſor .

p. 11. b. 9 comitatur – comitatu

126. 9. mihi.

136. b. 4. inter.

144. b. 3 multos – nullos.

ERRATA.

Pag. 17.	Verf. 18.	Repondeo. Leg.	Refpondeo.
35.	10.	docuit.	decuit.
71.	21.	excutionem.	executionem.
140.	33.	hom.	tom.
160.	22.	quoque.	quæque.
171.	33.	gatulatur.	gratulatur.
173.	32.	eo quòd Henrici caufam contra Pōtificē.	
	Leg.	eo quòd Pontificis caufam cōtra Henricū.	
264.	15.	vfu.	vfus.
280.	14.	conftanrut.	conftruant.
283.	33.	communionem.	excommunicationē.
370.	23.	idem.	eidem.
381.	23.	Concila.	Concilia.
411.	19.	poteftatione.	proteftatione.

74 9 à fine. Ephesino 2. – Niceno 2.

152 5 à fine. 2. Leone tertio. – 2. Gregorius secundus Leonem tertium.

165. 3. confecto minimum aº 781. confecto cum Romano profectus, minimum aº 781.

210 7. Remensem — melensem

238 8. numerus margin. – 129

DISPV-

169 3. Imperij — Pontificij.

~~418 20 Neq — ne~~

30 24. adiudicato abiudicato.

152 7 à fine. Iconomacho – monothelita.


400 15 contemptorum.

DISPVTATIO APOLOGETICA DE SVMMI PONTIFICIS POTESTATE.

HAEC DISPVTATIO HABET duas partes. Prior est de Potestate Summi Pontificis absolutè & generatim, præsertim in Spiritualibus. Altera de eadem potestate, quatenus se extendit ad Temporalia.

PRIOR PARS.

Vtrum Summus Pontifex sit Caput Ecclesiæ Vniuersalis, ita vt in omnes Christianos, etiam Reges, habeat Iurisdictionem: Et quousque hæc Iurisdictio se extendat?



MNES Hæretici sicut Ecclesiam Romanam negant esse veram Ecclesiam Christi: ita Romanum Pontificem negant esse Christi Vicarium, & Ecclesiæ caput, aut in omnes Christianos habere Iurisdictionẽ. Illa enim duo ita sunt connexa, vt alterum sine altero consistere non possit. Itaque necesse est vel

ambo admittere, vel ambo negare. Quòd autem hæretici omnes id negent, mirum non est: quia nisi id faciant, hæretici esse non possunt. *Neque enim*, vt Cyprianus epist. 55. ad Cornelium ait, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperetur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Multi tamen, inter quos Græci schismatici, fatentur ipsum esse Episcopum Romanum, & patriarcham occidentis. Lutherani verò & Caluinistæ, & alij huius ætatis sectarij hanc Iurisdictionem non solùm negant; sed etiam adeo in summo Pontifice exosam habent, vt propter illam statuant ipsum esse Antichristum. Verùm Catholici tamquã certum ac indubitatum fidei dogma statuunt Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ vniuersalis; ita vt in omnes Christianos, etiam Reges, iure diuino habeat potestatem, possitque omnes suis legibus obstringere, & rebelles congruis modis coercere, & punire. Definita est hæc veritas, vel apertè insinuata in octo Concilijs Oecumenicis, quibus etiam Græci interfuere & subscripsere: eamque fusè probant inter alios doctissimi viri Albertus Pighius, Nicolaus Sãderus, & Cardinalis Bellarminus. Nos breuiter nonnulla adferamus, quibus eadem confirmetur: deinde quæ ab authore obijciuntur, dissoluamus.

Hęc 1. pars continet 7. genera probatio-num.

1. Probabimus eam ex Confessione totius orbis Christiani. 2. Ex Scripturis, siue ratione in Scripturis fundata. 3. Ex Concilijs Oecumenicis. 4. Ex Pontificum Decretis. 5. Ex Patrum testimonijs. 6. Ex Iure ciuili, & testimonijs Imperatorum & Regum. 7. Varijs rationibus & signis.

PRIMA

Prima Probatio.
Ex orbis confessione & consensu.

Omnes Episcopi & Reges Catholici, atq; adeo totus orbis Christianus, multis retrò sæculis agnouerũt & cõfessi sunt hanc Romani Pontificis supremam in omnes potestatem, & in eam vniuersè consenserunt. De Episcopis constabit infrà ex Concilijs. De Regibus fatetur author in Præfatione pag. 106. vbi docet, omnes Christianos Principes, postquam ruente Imperio Romano, se in libertatem vindicarunt, *in obsequium Romani Pontificis Catholicè & vniuersim consensisse, eique omnem suam potestatẽ & authoritatem concessisse, illum adorasse, eius pedes exosculatos fuisse, & in his omnibus perdiuturno tempore* (nempe à tempore Bonifacij tertij hucusque, quod est spatium mille annorum, & ampliùs) *perseuerasse.* De reliquis Catholicis non potest esse dubium. Hi enim sequuntur iudicium suorum Episcoporum; præsertim cùm etiam Principes idem sentire vident. At summa est temeritas vel potiùs insania, negare id quod totus orbis Christianus tot sæculis fatetur: quod agnoscunt & confitentur etiam illi, de quorum iure agitur, in quorum iniuriam ea potestatis vsurpatio, si iniqua esset, maximè redundaret. Nullius rei Principes sunt magis appetentes, quàm potestatis absolutæ, & nemini obnoxiæ. Iam antè excusserant iugum Imperij Romani, vt Author ait: quomodo ergo tam facilè tanto consensu, tam vniuersè se suamque dignitatem & potestatem rursus alteri submittunt, & illum Superiorem agnoscunt, nisi quia clarè videbant, id Christianam religionem, sine qua salui esse non possent, postulare, & Christum ipsum Regem Regum ita instituisse & præcepisse? Pari 2.

Insanum iudicium.

modo nec Episcopi vmquam hanc potestatem Romano Pontifici tam facilè concessissent, nisi eam diuinitus institutam & traditam sciuissent. Imò, si antea in Ecclesia fuisset aliqua ea de re dubitatio, quantæ mox contentiones & disceptationes, illa se erigente & in sublime tollente, extitissent? quantæ turbæ excitatæ fuissent, simul ac Romanus Pontifex eam potestatem sibi vindicare, & in alios Episcopos vel Principes vsurpare cœpisset? quantæ controuersiæ & contradictiones? quis æquo animo eius imperia, & minas excepisset? Incipiat Imperator aliquis aut Rex, quantumuis potens, vsurpare sibi Iurisdictionem in alios Principes, dare leges, iuxta quas sua regna administrent, imponere præcepta, intentare minas, reuocare causas ad suum tribunal, mittere per omnia Regna suos vicarios: quanta repentè erit conturbatio, quanta indignatio, quantæ querimoniæ, & contradictiones, & accusationes tyrannidis? Nihil enim homini potest accidere intolerabilius, quàm si videat suam Iurisdictionem ab alio iniquè inuadi. Non minor profectò, sed etiam maior fuisset conturbatio, si Pontifex Romanus Episcoporum & Regum iura inuasisset; aut nisi omnino constitisset, nihil eum nisi quod à Christo omnium domino ipsi concessum, vsurpare.

Neque dici potest Episcopos & Reges non fuisse ausos contradicere, quòd metuerent eius potentiam: quia multis sæculis ipsi Pontifices parùm externis viribus potuerunt, oppressi tyrannide Gothorum, Longobardorum, vel ipsorum Imperatorum; vt omittam, incredibile esse viros sanctissimos & doctissimos metuisse potentiam Romani Pontificis, qui tyrannidem Imperatorum & Principum non metuebant, sed ijs fortissimè in causa fidei & iustitiæ se opponebant. Deinde quæ potuit Regibus esse causa timendi, vt qui externis viribus, longè essent potentiores? Denique quis credat omnes ita

fuisse

fuisse ignauos, & timore Pontificis perculsos, vt illi iura ipsorum inuadenti nemo se auderet opponere, nemo hiscere, vel exigere huius potestatis probationem? Aut omnes adeo fuisse stupidos, vt in re tanta permiserint sibi imponi, & Pontifici in omnibus absque iusta probatione & examine veritatis, fidem habuerint?

Præterea etiamsi ab initio hæc potestas non fuisset immediatè in Romano Pontifice, sed vel in Regibus, vt vult author cum suis protestantibus: vel in cœtu Seniorum, vt vult Caluinus cum suis puritanis, vel in populo Christiano, vt Illyricus: nunc tamen fatendum esset, illum eam obtinere. Nam, vt author fatetur, omnes Reges Christiani, item Episcopi, & populus Christianus, iam saltem à mille annis in Pontificem Romanum consenserunt, & hanc vniuersalem ac supremam Iurisdictionem in eo agnouerunt. Hic autem consensus vim habet Iurisdictionis suæ in alterum transferédæ;adeo vt etiam is qui tyrannicè imperium inuasit, si temporis progressu regnum in illum consentiat, legitimus Princeps efficiatur, & in omnes regalem authoritatem accipiat. Hoc enim modo pleraque imperia exorta esse constat ex historijs. Cur ergo Romanus Pontifex, in quem omnes iam à tot sæculis, vt in suum legitimum superiorem & Pastorem consensere;saltem ex vi huius consensus non habeat in omnes potestatem? Vnde sicut iniuriam facerent Principi, & essent rei perduellionis, si post generalem Regni acceptationem aliqui de populo nollent illum pro suo Principe agnoscere: ita iniuriam faciunt Romano Pontifici, & sunt rei læsæ Maiestatis, qui post totius orbis tot sæculorum consensum, illum superiorem & Pastorem recusant agnoscere. His accedit vsucapio tot sæculorum,quæ etiam vim habet conferendæ Iurisdictionis, L. Sicut. 3.& L.omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. annorum. Quis Princeps

3. Author p. 157. & in Apologia pag. 109. Caluinus lib. 4. instit. c. 11. §. 6. Illyric. lib. de Episcoporũ electione.

æquo animo litem ſibi moueri pateretur de Iuriſdictione, quam pacificè vel vno ſæculo poſſediſſet? At Summus Pontifex, iam à decem ſæculis, vt aduerſarij fatentur, in poſſeſſione huius Iuriſdictionis fuit.

4. An poſſit vſucap. acquiri

Fortè reſpondebunt, hanc Iuriſdictionem vſucapione & hominum conſenſu acquiri non poſſe, eo quod à Deo conferatur. Verùm hoc aduerſarij dicere non poſſunt. Author enim cum ſuis proteſtantibus docet etiam Regiam poteſtatem immediatè à Deo conferri; quæ tamen omnium iudicio, vſucapione acquiri poteſt. Et poteſtas quæ eſt in populo libero, immediatè à Deo, vt authore naturæ & rationis humanæ, procedit; & tamen conſtat hanc totam in vnum vel plures per conſenſum populi transferri poſſe. Pari modo omnes Reges communi conſenſu poſſent vnum Regem vel Imperatorem, cui omnes parere teneantur, ſupra ſe conſtituere. Et ſi aliquis per tyrannidem totum mundum ſubiugaret, vel iuriſdictionem in omnes Reges vſucapere inciperet; hic fieret totius orbis Monarcha, & Regum omnium ſuperior, accedente ſolùm libero Regum & populorum conſenſu. Denique quoties aliqua poteſtas ſeu Iuriſdictio reſidet in pluribus, ſiue in aliquo cœtu, poteſt illa communi conſenſu in vnum conferri, qui omnibus præſit, & non ſolùm in ſingulos ſeorſim, ſed etiam iunctim in omnes, poteſtatem habeat. Omnis enim gubernatio, cùm per certa media ad vnum finem tendat, meliùs per vnum agitur, quàm per multos. Nam difficile eſt multos ſæpe in vnum coire, & in rebus agendis idem ſentire; idem velle, & idem habere propoſitum. Imò ſi magna ſit multitudo, vel ea latè ſit diffuſa, gubernatio eſt prorſus impoſſibilis. Vnde neceſſariò tota poteſtas vni vel paucis quibuſdam committenda, qui totam multitudinem regant. Perſpicuum igitur eſt, quòd etſi poteſtas

ſtas illa & ſuprema Iuriſdictio olim in multis fuiſſet, vt Hæretici volunt: iam tamen à mille annis communi conſenſu orbis, & tanti temporis vſucapione in Romanum Pontificem eſſet tranſlata, & in eo ſolo reſideret. Nec minorem iniuriam ei fieri, cùm aliquis Chriſtianum nomen ferens, illum Superiorem recuſat agnoſcere; quàm fiat Principi ſæculari, cùm poſt multorum ſæculorum pacificam regni poſſeſſionem, aliqui ciues nolunt ipſius authoritatem admittere.

SECVNDA PROBATIO.
Ex Scripturis.

SECVNDO idem probatur ex Scripturis hoc ſyllogiſmo. Ex Scripturis conſtat hanc ſupremam in totam Eccleſiam poteſtatem à Domino conceſſam B. Petro, & in Petro omnibus eius ſucceſſoribus: atqui Romani Pontifices ſunt ſucceſſores B. Petri, ergo hanc poteſtatem habent. Maior huius ſyllogiſmi apertè ex Scripturis conuincitur: minor autem ex Patrum teſtimonijs & omnium ſæculorum confeſſione. quod ad maiorem attinet, omiſſis alijs locis, potiſſimùm ex duobus confirmabimus. Prior eſt Matth. 16. vbi cùm Petrus, reliquis tacentibus, diuinitatem Chriſti confeſſus eſſet, Chriſtus illum remuneraturus reſpondit, & dixit ei: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Hic ampliſſimis verbis ſub triplici metaphora, nimirum fundamenti, clauium & pote- 5.

Expenditur locus Matt. 16. Tu es Petrus

Soli Petro potestatis ligandi atque soluendi, promittit Petro hanc supremam potestatem: soli, inquam, Petro, non alijs Apostolis. Solus enim responderat: *tu es Christus filius Dei viui*, simul mysterium Trinitatis & Incarnationis confitens, cuius confessionis mercedem (vt ait Hieronymus) ista promissione accepit. Ipsi soli dicitur: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi*. Denique idem apertè conuincunt illæ particulæ demonstrandi: ego dico *tibi*, quia *tu* es Petrus: *tibi* dabo claues: *ligaueris, solueris* Ex quibus clarissimum est Petro hic aliquid eximij promitti, quod ad alios Apostolos non pertineat.

Sub triplici metaphora. Fit hæc promissio sub triplici similitudine admodum magnifica. Si enim Ecclesia consideretur vt *domus Dei*, quid præstantius quàm esse huius domus fundamentum? Si, vt *familia Christi*, quid honorabilius quàm esse in ea œconomum cui claues commissæ; qui possit admittere & excludere, & omnia habeat in sua potestate? Si, vt *regnum Dei*, quid excellentius quàm in eo præesse potestate Vicaria, & tanta authoritate in eo præsidere, vt quam hic in terris sententiam tulerit, tribunal cæleste ratificet?

6. De metaphora fūdamenti. Primo modo promittitur hæc potestas, cùm ait: *Et ego dico tibi* &c. id est, *O Simon Bar-Iona, Ego dico tibi quòd tu es petros*, seu petra, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Vbi notandum *petros* non accipi vt nomen proprium, sed vt appellatiuum, quatenus significat saxum. græcè enim saxum vocatur πέτρος vel πέτρα. Inepta esset locutio, si vt nomen proprium sumeretur: quia ad nihil aliud seruit, quàm ad personæ designationem. Quis enim ita loquatur, Ego dico tibi Simon quòd tu es Ioannes, quòd tu es Iacobus, Lucas, &c. Deinde, iam dominus proprium nomen præmiserat *Simon Bar-Iona*, & personam designarat. Itaque dicit hanc

hanc perſonam eſſe petram, rupem, ob conſtantiam & firmitatem, quàm ei daturus erat. dicere enim Dei eſt efficax eius quod ſignificat. Quam ob cauſam Dominus diu antè, cùm illum primò reciperet, Ioan. 1. 42. *intuitus eum dixit, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*; hoc eſt petra: nimirum quia eum talem facere ſtatuerat, & iam ad hoc deſignabat. Talis igitur eſt hæc locutio, qualis eſſet, ſi Rex militem, quem fortiſſimum fore præuideret, vocaret Leonem; & poſtea diceret, tu es Leo, & per Leonem fugabo hoſtes meos. Sed in eo eſt diſſimilitudo, quod dicere Regis eſt inefficax, nec poſſit homini robur addere: Chriſti verò dicere ſit efficax, & poſſit homini fragili tantam tribuere firmitatem & vigorem, vt inſtar rupis aduerſus omnes huius mundi procellas ſtet immobilis. Dices, Cur ergo Dominus formam loquendi mutauit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. Reſpondeo. Dominus non mutauit, ſed apertè dixit: *Tu es petra, & ſuper hanc petram* &c. Nam Syriacè locutus eſt: *Tu es Cephas, & ſuper hanc Cepham ædificabo* &c. *Cephas* autem eſt petra, ſeu rupes. Verùm interpres qui hæc græcè expreſſit, mutauit; & Cephas priore loco vertit πέτρος; quia, vir aptiùs videtur appellari πέτρος, quàm πέτρα: altero vertit πέτρα, vt metaphora eſſet clarior. Nihilominus πέτρος apud Græcos non minùs ſaxum ſignificat, quàm πέτρα. Itaque cùm ait: *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, apertè ſignificat Simonem Petrum fore Eccleſiæ fundamentum, cui ipſa ſit innixura. Eccleſia enim eſt domus Dei. huius domus fundamentum eſt Petrus. Sicut fundamentum eſt pars ædificij, cui tota reliqua ſtructura innititur: ita Petrus eſt pars Eccleſiæ Chriſti, ſuper quam reliqua tota Eccleſiæ ſtructura recumbit. Rurſus, ſicut id quod non cohæret fundamento, nec vllo modo in illud recumbit, non eſt pars ædificij: ita non eſt pars Eccle-

Petrus Eccleſiæ fundamẽtum.

ſiæ Chriſti, ſed ab ea ſeparatus, qui non cohæret Petro. Denique hac metaphora ſignificatur Eccleſiæ incolumitatem & vnitatem à Petro dependere, & ſine illo non poſſe conſiſtere. Itaque neceſſe eſt illum in totam Eccleſiam Iuriſdictionem habere. Confirmatur, quia hoc eſt fundamentum in domo, quod radix in arbore, fons in flumine, ſol in lumine, caput in animante, Rex in regno; quæ omnia vniuerſalem quamdam vim & influxum habent. Imò ἐμφατικώτερον eſt nomen *fundamenti* quàm Regis. Maior enim per illud inſinuatur dependentia, & maior neceſsitas ad rei conſeruationem. Porrò cùm Eccleſia dicitur *ædificata ſuper petram*, duplex dependentia indicatur, ratione doctrinæ & gubernationis.

Duplex depēdentia Eccleſ. à Petro.

Ratione doctrinæ; quia Eccleſia nititur doctrina Petri tāquam infallibili, vtpote à Deo profecta, & per illum tamquam Dei interpretem propoſita. Ratione gubernationis; quia tota Iuriſdictio & poteſtas ſpiritalis in ipſo plenè reſidet, & per ipſum in alios diuiditur, adeo vt tota Eccleſiæ adminiſtratio ipſius authoritate agatur, & in illum tamquam fontem & originem reduci debeat. Eſt itaque fundamentum, vt doctor fidei, & vt rector morum, cultuſque diuini in ordine ad æternam ſalutem.

7. Denique quā validè fundamentum iſtud Eccleſiam ſit ſuſtētaturum, explicat dominus, cùm addit: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Facilè eſt Chriſto per hominem peccatorem ita docere Eccleſiā, vt numquā erret, ita regere vt numquam intercidat, ſed vſque ad finem ſæculi continuetur toti mundo ſpectabilis. Præualerent aduerſus eam portæ inferorum, ſi diabolus vnum ex his tribus poſſet efficere. 1. Si efficeret vt cathedra Petri aliquid falſum fide Catholica credendū proponeret. Si enim vel in vno articulo poſſet decipi, non eſſet infallibilis credendi regula, nec ſolidum fundamentum: & ita tota fides Eccleſiæ, quæ hoc fundamento nititur, incerta redderetur

Quando portæ inferorum præualerent.

tetur. 2. Si ordo Sacerdotalis penitus excideret. Nam sine sacrificij oblatione, & sacramentorum sanctificatione, quæ hoc ordine perficitur, Ecclesia Christi consistere non potest. 3. Si omnes à recta fide deficerent. Nihil horum vmquam poterit diabolus consequi, quantumuis cum omnibus suis cohortibus & ministris hæreticis conitatur. Nec solùm oppugnando non poterunt Ecclesiæ prævalere, sed neque illi resistendo: quia ipsa non solùm à diabolo non expugnabitur, sed etiam totam inferorum potentiam, & totam regni diaboli firmitatem auxiliante Christo expugnatura est, vt exponit Leo homil. de Transfigur. Dom. cap. 1. & Hilar. can. 16. in Matth. Arator. lib. 1. hist. Apostol. His congruunt veterum & sanctorum Patrum expositiones, qui docent Simonem Petrum hic vocari *petram, & super illum Ecclesiam ædificatam.* Patres docẽt Petrũ Eccl. fundamentũ.

Clemens epist. 1. ad fratrem Domini. *Simon Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est &c.*

Origenes homilia 5. in Exodum. *Vide, magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à domino, Modicæ fidei quare dubitasti?* Nimirum tunc nondum erat fundamentum, actu & reipsa, sed solùm diuina designatione. Idem tractatu 3. in Matthæum. *Petrus per promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentum.*

S. Hippolytus de consummatione sæculi: *Princeps Petrus, fidei petra, quem beatum indicauit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorum qui claues regni habuit, docuit me.* Tertullianus de præscript. *Latuit aliquid, Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claues regni cælorum consecutum, & soluendi & alligandi in cælis & in terris potestatem?*

S. Cyprianus epist. 40. ad plebem. *Deus vnus est, &*

Christus vnus est, & Ecclesia vna est: & Cathedra vna est super Petrum voce domini fundata. Epist. 55. ad Corneliũ. *Petrus super quem ædificata ab eodem domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens* &c. Et Epist. 70. ad Ianuarium. *Vna est Ecclesia à Christo domino super Petrum origine vnitatis & ratione fundata.* idem habet epist. 69. ad Florentium, 71. ad Quintum, & 73. ad Iubaianum.

S. Hilarius in cap. 16. Matthæi. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, digna ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret! O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas sit in cælo, vt quæ in terris ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo!*

S. Ambrosius in hymno qui iam ab illo tẽpore in Ecclesia canitur; vt patet ex Augustino lib. 1. retract. c. 21.

Hoc, ipsa petra Ecclesiæ,
Canente, culpam diluit.

Idem sermone 47. *Petrum vocari petram, quod velut saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque sustineat.*

S. Basilius homilia de pœnit. *Petrus petra est propter Christum petram. largitur enim Iesus suas dignitates. petra est, petram facit.* & in cap. 2. Esa. *Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellauit, super quam petram promisit ædificare Ecclesiam suam.*

S. Gregorius Nazianzenus orat. 26. de moderatione in disput. seruanda. *Petrus petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ concredita habet.*

S. Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Maxima authoritate illi dixit, Ego super te ædificabo Ecclesiã meam, & tibi dabo claues regni cælorum.* & homil. 27. ex varijs in Matth. locis. *Princeps Apostolorum Petrus, super quem Chri-*

Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra & firma confessio.

S. Epiphanius in ancorato pag. 3. *Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia dei ædificata est; & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. portæ inferorum sunt hæreses & hæresiarchæ. iuxta omnem enim modum in ipso firmata est fides, qui accepit claues cælorum &c.*

S. Hieronymus c. 16. Matth. *Secundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei; Aedificabo Ecclesiam meam super te.*

S. Augustinus serm. 29. de sanctis. *Dignus certè* (Petrus) *qui ædificandis in domo dei populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.* Serm. 124. de tempore. *Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesia: in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem: in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet.*

S. Paulinus epist. 4. ad Seuerum. *Etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dicit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

S. Maximus Taurinensis homil. 1. de natali Petri & Pauli. *Hic est Petrus cui Christus dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei domino: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et infra, *Hic est Petrus cui dominus ascensurus ad Patrem pascendas ouiculas suas agnosque commendat.*

S. Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 28. *Hæc fortissima petra ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit & nominis.*

S. Cyrillus l. 2. in Ioannem c. 12. *Christus Petrum hac re instruit, se esse eum qui cuncta antequam fiant nouit; Nec Simon fore iam illi nomen sed Petrus prædicit; vocabu-*

lo ipso commodè significans, quòd in eo tamquam in petra lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.

Philippus Presbyter in Conc. Ephes. tom. 2. cap. 16. *Nulli dubium imo sæculis omnibus notũ est, S. Beatissimumq; Petrum Apostolorum Principem & caput, fideique columnã, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à domino cælestis regni claues accepisse, nec non per successores suos hucusque viuere.*

Theodoretus in Cantica. *In Petro Apostolorum principe Dominus se Ecclesiam suam ædificaturum promisit.*

S. Leo serm. 3. in anniuersario suæ assumptionis. *Cùm ego sim immobilis petra, tamen & tu quoque petra es: quia mea virtute solidaris.* Concilium Chalced. act. 3. *Ter beatissimus, & omni laude dignus B. Petrus Apostolus, qui est petra, & crepido Ecclesiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum.*

S. Gregorius lib. 6. epist. 37. *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur?*

Habemus hic consensum omnium Patrum, qui primis sexcentis annis floruerunt. Idem sentiunt omnes posteriores, tam Græci quàm Latini, quos breuitatis causa omitto; nimirum Petrum esse Ecclesiæ fundamentum, & super ipsum Ecclesiam ædificatam.

8. Resp. ad August. Nec obstat quòd S. Augustinus lib. 1. retract. cap. 21. ponat duas interpretationes huius loci; alteram qua per *petram* intelligatur Simon Petrus: alteram qua ipse Christus; & relinquat Lectori liberum, vt vtram malit eligat: quia manifestè deceptus fuit ignoratione vocis πέτρος. Putabat πέτρος non esse idem quod πέτρα, sed aliquid à petra deriuatum, quasi petræus, quod apertè indicat cùm ait: *Non enim dictum est illi; Tu es petra, sed tu es Petrus. petra autem erat Christus, à qua petra dictus est Petrus.* & Tract. 124. in Ioannem, dicit *Petrum dictum à petra*

tra, sicut Christianus dictus à Christo. Verùm si sciuisset hæc tria, *Cephas*, πέτρος, & πέτρα idem prorsus valere, numquam viro acutissimo ista excidissent. Sic enim vidisset re vera dictum à Domino lingua Syra: *Tu es petra*, & in Græco πέτρος, vel πέτρα idem valere, nec illud ab hoc deriuari. *Non aliud*, inquit Hieron. in cap. 2. ad Galat. *significat Petrus, aliud Cephas: sed quam nos latinè & græcè petram vocamus, hanc Hebrai & Syri Cepham vocant*. Accedit quòd Ecclesia iam tunc erat erecta, & super Christum fundata. Itaq; dum promittit se eam fundaturum super petram, de alia petra loquitur, super quam nondum erat fundata; sed tunc demum erat fundanda, quando primaria illa petra præsentia visibili erat subducenda. Denique quænam esset illa connexio: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram*, id est, super me, quem confessus es, *ædificabo Ecclesiam meam*: præsertim cùm Petrus non sit confessus illum esse petrã, sed filium Dei viui? Neque aliquid noui, vel miri diceretur, sicut oratio illa præ se ferebat.

Pari modo non obstat quòd aliqui Patres dicant Ecclesiam fundatam super illam Petri confessionem: quia per illam meruit, vt fundamentum à Domino constitueretur: vt apertè insinuat Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, & alij. interdum dicunt fundatam super fidem Petri: vel quia fide sua id promeruit, vel quia ipse potissimùm ratione doctrinæ fidei quæ semper apud eum erit solida, & infallibilis, Ecclesiã sustentat. Denique ijdem Patres qui dicunt Ecclesiam fundatam super fidem, vel confessionem Petri, etiam dicunt illam fundatam super Petrum, & ipsum Petrum esse fundamentum.

Obijciũt hæretici. 1. *Nemo potest aliud fundamentũ ponere præter id quòd positum est, quod est Christus Iesus*, 9.
1. Cor. 3. Respondeo. Christus est fundamentũ prima-

ma-

marium sua virtute Ecclesiam sustentans: Petrus autem secundarium, & virtute à Christo accepta. Christus est fundamentum Ecclesiæ perpetuum, & in omni statu. nam omne bonum Ecclesiæ etiam in statu gloriæ à Christo pendet. Petrus pro tempore huius vitæ, & solùm quoad doctrinam fidei, & externam gubernationẽ. Plura possunt esse eiusdem ædificij fundamenta subordinata. Sic terra est primum, vniuersale & immutabile fundamentũ omnium ædificiorum, cui alia fundamenta imponuntur, quæ non vi sua stant & sustentant, sed firmitate ipsius terræ, cui innituntur. Denique Christus post ascensionem suam est fundamentum inuisibile, Petrus & eius successores visibile.

Christus fundamẽtum primarium.

Obijciunt secundò. Etiam alij Apostoli sunt fundamenta secundaria, similiter & Prophetæ ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Respondeo. Illos dici fundamenta, quia Ecclesia nititur doctrina Apostolorum, & Prophetarum tamquã diuinitus illis reuelata. Simili phrasi secta Platonicorum posset dici extructa super fundamento Platonis: & secta Caluinistarum super fundamento Caluini. Possunt etiã Apostoli dici fundamenta, quia sunt primi Ecclesiarum fundatores, à quibus Ecclesijs omnes reliquæ successu tẽporis sunt propagatæ: ita vt totum Ecclesiæ ædificium ab Apostolis tamquam à fundamento in hanc magnitudinem surgat. Sic Apocalypsis 21. dicuntur duodecim Apostoli duodecim fundamenta muri nouæ Ierusalem, & duodecim portæ. Verùm præter hæc oportebat esse aliquod fundamentum, quod doctrinam propheticam & apostolicam Ecclesiæ infallibiliter proponeret, sinceram ab adulterina discerneret, controuersias suborientes ex ea certò dijudicaret, & totam Ecclesiæ compagem in vnitate fidei, & cultus diuini retineret. Vnde Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, paulò ante medium ait:

Apostoli dicuntur fundamẽta duplici ratione.

Licet

Licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur (quia omnium doctrina æquè certa & firma) *tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.*

Obijc. 3. Si Ecclesia super Petrum ædificata est: ergo illo negante Dominum, Ecclesia corruit. Respondeo, negando conseq. 1. quia tunc nondum erat fundamentum actu, sed solùm designatione. Cœpit autem esse post passionem, cùm ei dicitur: *Pasce oues meas &c.* 2. quia Ecclesia non est fundata super Petrum, vt ipse priuatim credit, vel confitetur fidem, sed vt publicè Ecclesiam docet. Vnde etiamsi aliquis Pontifex priuatim fidem negaret, non ideo Ecclesia, aut eius fundamentum, quà fundamentum, corrueret.

Obijc. 4. Etiam postea Petrus grauiter errauit; quam ob causam à Paulo reprehensus est, quòd non secundum veritatem Euangelij ambularet, & gentes cogeret Iudaizare, ad Galat. 2. Repondeo, non errauit in doctrina, aut in fide, sed tantùm incauta conuersatione. Cùm enim Antiochiæ liberè ageret cum gentibus ad fidem conuersis, cibum cum eis sumendo, superuenerunt aliqui ex Iudæis conuersis missi à Iacobo; quos cum Petrus vidisset, metuens ne sua cum gentibus conuersatione offenderet eos, eò quòd non satis adhuc essent instructi de legalium cessatione, subduxit se à gentium commercio: & hac ratione dedit occasionem gentibus suspicandi legalia adhuc esse seruanda. hoc totum fuit peccatum Petri. Itaque solùm peccauit per inconsiderationem. dum enim ex magno salutis Iudæorum desiderio cauet illis dare scandalum, non aduertit se gentibus occasionem scandali præbere. Itaque vel nulla hic fuit culpa, vel minima. facilè enim accidere potuit, vt Petrus tale incommodum impendere non aduerteret. Vide Baronium tomo 1. Annalium ad annum Domi-

Quomodo Petrus gentes coegerit Iudaizare.

ni 51. vbi post alios egregiè locum illum expendit. Hactenus de promissione Principatus Ecclesiæ sub metaphora fundamenti.

10. De metaphora Clauium.

2. Eadem potestas promittitur sub nomine *Clauium regni cælorum*. Claues sunt symbolum supremæ potestatis. Qui enim habet claues, potest admittere & excludere, & ea quæ intus inclusa sunt dispensare. Hinc Oeconomo, qui toti familiæ præficitur, dantur claues domus: Gubernatori qui oppido vel arci præficitur, datur claues oppidi vel arcis: & Principi cùm primùm admittitur, vel cùm ciuitas obsessa deditur, offerri solent claues ciuitatis, vt eo signo indicetur omnia in ipsius constitui potestate. Itaque suprema potestas & authoritas per *claues* designatur. quod etiam ex alijs Scripturæ locis confirmatur: Apocal. 1. *Habeo*, inquit Christus, *claues mortis & inferni*, id est, potestatem liberandi & educendi ad vitā, qui morte & inferis tenentur conclusi. Apocal. 3. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Clauem Dauid* vocat supremam potestatem in Ecclesia (quæ per domum Dauid figuratur) per quam quidquid fecerit, ratum est, à nullo irritum reddi potest. Esaiæ 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius* (Eliacim) *& aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*. Hic per *clauem domus Dauid* intelligit summum Pontificatum, vt ait Hieronymus, qui erat suprema potestas in spiritualibus apud Iudæos.

Claues Symbolū supremæ Potestatis

Itaque per *claues regni cælorum* designatur suprema potestas in Ecclesia Christi: quæ potestas rectè dicitur clauis regni cælorum; tum quia Ecclesia in Scripturis Regnum cælorum appellatur, eò quòd illius regni sit quædam inchoatio, quæ tamdem in perfectum Dei regnum crescet, & in cælum transferetur: tum quia per illam potestatem aditus in ipsum cælum hominibus aperitur,

Cur appelletur Clauis Cęlorum.

ritur. Per illam enim efficimur Christiani; mundamur à peccatis, & iustificamur; per illam omnia Sacramenta, omnes opes, & thesauri quos Ecclesiæ suæ Christus reliquit, dispensantur. meritò ergo Regni cælorum clauis dicitur, per quam nobis omnia quæ ad regnum cælorum ducunt, suppeditantur, omniaque impedimenta submouentur.

3. Eadem potestas designatur metaphora *ligandi & soluendi*. omnis enim Iurisdictio in his duobus potissimùm consistit. Nam Superior non aliter ferè exercet Iurisdictionem in subditos quàm ligando vel soluendo. *Ligando*, cùm eos obstringit legibus, præceptis, sententia Iudiciaria: cùm propter crimina subijcit pœnis: cùm causam aliquam suæ cognitioni reseruat. *Soluendo*, cùm eos à vinculo legis, præcepti, sententiæ, voti, vel iuramenti eximit; cùm à peccatis absoluit, aut pœnas illis debitas relaxat. Cùm enim verbum *Ligandi* generale sit, extendit se ad omnia vincula quæ interdum subditis à superiore imponi expedit. similiter verbum *soluendi*, ad solutionem, & exemptionem omnium vinculorum, quibus interdum eos solui conuenit. 11. Potestas ligandi.

Hæretici, ne cogantur fateri Petro hic promitti Ecclesiæ Principatum, *per claues & potestatem ligandi, ac soluendi*, intelligunt ministerium verbi, seu potestatem concionandi. Per doctrinam enim remitti peccata, & aperiri cælum; tum quia declarantur esse remissa, si quis crediderit; tum quia doctrina excitat fidem, per quam peccata remittuntur. Sed hæc expositio facilè refutatur. 1. quia repugnat toti antiquitati. nemini enim ante nostros Lutheranos, & Caluinistas id in mentem venit. 2. quia est contra verborum proprietatem. verba enim generalia sunt, nec solùm ad remissionem peccatorum, & eorum retentionem pertinent; sed etiam ad aliorum vinculorum impositionem, vel solutionem. Excommuni- 12. Expositio Hæreticorum refellitur.

ni 51. vbi post alios egregiè locum illum expendit. Hactenus de promissione Principatus Ecclesiæ sub metaphora fundamenti.

10. De metaphora Clauium.

2. Eadem potestas promittitur sub nomine *Clauium regni cælorum*. Claues sunt symbolum supremæ potestatis. Qui enim habet claues, potest admittere & excludere, & ea quæ intus inclusa sunt dispensare. Hinc Oeconomo, qui toti familiæ præficitur, dantur claues domus: Gubernatori qui oppido vel arci præficitur, dãtur claues oppidi vel arcis: & Principi cùm primùm admittitur, vel cùm ciuitas obsessa deditur, offerri solent claues ciuitatis, vt eo signo indicetur omnia in ipsius constitui potestate. Itaque suprema potestas & authoritas per *claues* designatur. quod etiam ex alijs Scripturæ locis confirmatur: Apocal. 1. *Habeo,* inquit Christus, *claues mortis & inferni*, id est, potestatem liberandi & educendi ad vitã, qui morte & inferis tenentur conclusi. Apocal. 3. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Clauem Dauid* vocat supremam potestatem in Ecclesia (quæ per domum Dauid figuratur) per quam quidquid fecerit, ratum est, à nullo irritum reddi potest. Esaiæ 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius* (Eliacim) *& aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*. Hic per *clauem domus Dauid* intelligit summum Pontificatum, vt ait Hieronymus, qui erat suprema potestas in spiritualibus apud Iudæos.

Claues Symbolũ supremæ Potestatis.

Itaque per *claues regni cælorum* designatur suprema potestas in Ecclesia Christi: quæ potestas rectè dicitur clauis regni cælorum; tum quia Ecclesia in Scripturis Regnum cælorum appellatur, eò quòd illius regni sit quædam inchoatio, quæ tamdem in perfectum Dei regnum crescet, & in cælum transferetur: tum quia per illam potestatem aditus in ipsum cælum hominibus aperitur,

Cur appelletur Clauis Cęlorum.

ritur. Per illam enim efficimur Christiani; mundamur à peccatis, & iustificamur; per illam omnia Sacramenta, omnes opes, & thesauri quos Ecclesiæ suæ Christus reliquit, dispensantur. meritò ergo Regni cælorum clauis dicitur, per quam nobis omnia quæ ad regnum cælorum ducunt, suppeditantur, omniaque impedimenta submouentur.

3. Eadem potestas designatur metaphora *ligandi & soluendi*. omnis enim Iurisdictio in his duobus potissimùm consistit. Nam Superior non aliter ferè exercet Iurisdictionem in subditos quàm ligando vel soluendo. *Ligando*, cùm eos obstringit legibus, præceptis, sententia Iudiciaria: cùm propter crimina subijcit pœnis: cùm causam aliquam suæ cognitioni reseruat. *Soluendo*, cùm eos à vinculo legis, præcepti, sententiæ, voti, vel iuramenti eximit; cùm à peccatis absoluit, aut pœnas illis debitas relaxat. Cùm enim verbum *Ligandi* generale sit, extendit se ad omnia vincula quæ interdum subditis à superiore imponi expedit. similiter verbum *soluendi*, ad solutionem, & exemptionem omnium vinculorum, quibus interdum eos solui conuenit. 11. Potestas ligandi.

Hæretici, ne cogantur fateri Petro hic promitti Ecclesiæ Principatum, *per claues & potestatem ligandi, ac soluendi*, intelligunt ministerium verbi, seu potestatem concionandi. Per doctrinam enim remitti peccata, & aperiri cælum; tum quia declarantur esse remissa, si quis crediderit; tum quia doctrina excitat fidem, per quam peccata remittuntur. Sed hæc expositio facilè refutatur. 1. quia repugnat toti antiquitati. nemini enim ante nostros Lutheranos, & Caluinistas id in mentem venit. 2. quia est contra verborum proprietatem. verba enim generalia sunt, nec solùm ad remissionem peccatorum, & eorum retentionem pertinent; sed etiam ad aliorum vinculorum impositionem, vel solutionem. Excommunica- 12. Expositio Hæreticorum refellitur.

 nica-

nicare enim est *ligare:* absoluere ab excōmunicatione est *soluere*, vt docet S. Augustinus tract. 50. in Ioannem. vis scripturæ infertur, cùm absque manifesta necessitate à proprietate receditur, aut generalitas restringitur. 3. quia ex scripturis & communi vsu ostensum est per *Claues* designari supremam Iurisdictionem. 4. Si habere claues regni cælorum, & posse soluere, ac ligare, nihil est aliud, quàm habere ministerium verbi; ergo nihil hic peculiare Petro promittitur: tum quia etiam scribæ & pharisæi hanc potestatem habuere, Matth. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi* &c. Et Luc. 11. v. 52. *Væ vobis qui tulistis clauem scientiæ &c.* tum quia hæc potestas etiam data fuit 72. discipulis, Luc. 10. 5. Potestas docēdi iam collata fuerat omnibus Apostolis Matt. 10. v. 7. at potestas clauium promittitur primū Matt. 16. idq; soli Petro. 6. Si is qui docet dicitur remittere peccata, eò quòd auditor inde concipit fidem, qua peccata remittuntur: ergo si mulier instruat aliquem in fide, dicetur remittere peccata, dicetur habere claues regni cælorum, potestatem ligandi & soluendi, quod est absurdissimum, & in Ecclesia inauditum. 7. Ipsa fides immediatè & proximè peccatum tollit & operit, vt ipsi docent: doctrina solùm remotè quatenus excitat fidem: ergo potiùs ille qui fidem in se concipit, dicetur habere *claues regni cælorum:* quia ipse sibi cælū aperit credendo, vel claudit nolendo credere. 8. Si docere est soluere, ergo omnes homines sunt soluendi. omnes enim ex præcepto domini sunt docendi, Matth. 28. frustra ergo est potestas ligandi. 9. Si *Soluere* est docere, *Ligare* erit non docere: hæc enim duo sunt directè opposita. quicumque ergo non docet, ligat eos, quos non docet.

Sed inquiunt, *Ligare* est denuntiare eos qui non credunt, manere obnoxios damnationi. Si ita est, ergo femina ligare potest; quia hoc potest denuntiare: imò ipsa

ipsa scriptura id satis denuntiat, vt non sit opus peculiari ad hoc potestate. Rursus si *Ligare* est denuntiare hominem manere ligatum: ergo *Soluere* erit denuntiare hominẽ esse solutum (debent enim hæc inter se directè opponi) ergo priùs est hominẽ esse solutum in cælis, quàm solui in terris; ac proinde non rectè dixit dominus, *Quæcumq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*: cùm dicendum esset *quæcũque soluta sunt in cælis. soluetis super terram.*

Ex his alijsque multis quæ adferri posset, apparet vanitas huius sententiæ. Maneat ergo firmum & indubitabile per *claues*, & *potestatem ligandi, ac soluendi*, supremam in Ecclesia potestatem hic designari, ac Petro promitti.

Nec obstat quòd Ioan. 20. omnibus Apostolis detur potestas remittendi, ac retinendi peccata, illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* quia *potestas soluendi*, de qua hic agitur, non solùm ad peccata, sed etiam ad multa alia vincula tollenda pertinet: Et *potestas ligandi* longè aliud est quàm posse retinere peccata. *Retinere* enim peccata non est peccatorem ligare, aut vinculum ei inijcere; sed est nolle soluere, & cum vinculo peccati quod ipse sibi imposuit à se dimittere. Simili modo *Claues regni cælorum* latiùs patent, quã potestas remittendi, aut retinendi peccata.

13. Aliud Potestas soluendi, aliud retinẽdi peccata.

Dices, Matth. 18. v. 18. Omnibus Apostolis datur, vel promittitur etiam potestas ligandi & soluendi. Ad omnes enim dicitur, *Amen dico vobis, quæcumq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumq; solueritis super terrã, erunt soluta & in cælis.* Confirm. quia omnes Apostoli habuerunt claues regni cælorum, imò omnes Prælati eas habent. Nam *Petrus cùm claues accepit Ecclesiam sanctam significauit*, vt inquit Aug. tract. 50. in Ioannem.

Respondeo, Omnibus Apostolis datam potestatẽ ligandi & soluendi, non quidem illis verbis Matth. 18.

 (cum



(cùm illis tantùm indicare voluerit, quanta sit futura potestas eorum & successorum in Ecclesia) sed partim illis Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. quibus facit eos suos legatos, & confert potestatem Iurisdictionis in totũ mundũ: partim istis eodem cap. *Quorũ remiseritis &c*. quibus confert illis potestatem ordinis ad remittẽda peccata. Petro tamen præcipuo quodam modo potestas ligandi & soluendi data, quando ipse solus Pastor totius ouilis fuit constitutus. Ipsi enim soli dictum: *Pasce oues meas*, Ioan. 21. Vnde etiamsi omnes possent soluere, & ligare: solus tamen Petrus ita poterat ligare, vt nemo posset soluere: & ita poterat soluere, vt nemo posset ligare. Ad Confirm. Etsi fatendum sit quodam sensu omnes Apostolos habuisse claues regni cælorum (quatenus omnes habuere potestatem admittendi in Ecclesiam, & extra illam eijciendi, peccata condonandi, Sacramenta dispensandi &c.) tamen iuxta phrasim scripturæ, quæ per claues supremam potestatem designat, solus Petrus eas habuit, easque in successores suos transmisit. Ipse solus ita claudere poterat, vt nemo aperiret: ita aperire, vt nemo clauderet. Ad illud Augustini. Solùm vult dicere Petrum non accepisse claues, vt erat priuata persona, tantæ vel tantæ sanctitatis, quæ breui erat moritura (alioquin mortuo Petro Ecclesia non potuisset ampliùs ligare & soluere) sed vt repræsentabat Ecclesiam. repræsentabat autẽ Ecclesiam, vt erat caput & Princeps Ecclesiæ: sicut Rex repræsentat Regnum: quasi dicas, claues datas esse officio non personæ; & ita officio, vt etiã cum inferioribus Prælatis secundum modum & proportionem cuiusque essent communicandæ. hanc esse mentem Augustini, clarissimum est locum illum tract. 50. in Ioannẽ expendenti, iunctis ijs quæ in eamdẽ sententiam scribit tract. 124. seu vltimo: vbi dicit *Petrum, quando ei dictum, Tibi dabo*

Potestas ligandi & soluendi data Apostolis Ioãnis 20.

Solus Petrus propriè iuxta phrasim S. Script. claues habuit.

claues regni cælorum &c. propter Apostolatus sui primatum gessisse figurata generalitate personam Ecclesiæ. vbi nota, *propter Apostolatus sui Primatum* .sensus est Petrum, quia princeps erat & caput Ecclesiæ, cuius dignitas in Ecclesia debebat manere, repræsentasse omnes suos successores, & quodămodo etiam omnes alios inferiores Prælatos & Sacerdotes, ad quos aliqua ratione illa potestas erat deriuanda. pro his enim omnibus, non pro sua tantū persona potestatem illam à domino accepit. Hæc de loco illo Matth. 16.

Alter locus est Ioan. 21. *Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine tu scis quia amo te. dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi, Etiam Domine, tu scis quia amo te: dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. dicit ei Iesus: pasce oues meas.* Hic Dominus confert illi Principatum Ecclesiæ quem Matth. 16. ei promiserat. Ac primùm soli Simoni Petro hic ouile Christi committi clarissimum est. solum enim Simonem Christus alloquitur, solius Simonis nomen exprimit, idem planè quod Matth. 16. cùm illi hanc potestatem promitteret, nempe Simon Iona: subintelligitur enim Bar, filius. Vnde idem est, *Simon Iona*, seu Ioannis, quod *Simon Bar Iona*. qua in re dominus ostendit se eidem personæ hic conferre, quod ibi ei promiserat. solius Simonis dilectionem trina interrogatione explorat. soli Simoni dicitur, *Diligis me plus his?* id est plus quàm ceteri Apostoli. Itaque ad solum Simonem, non ad alios Apostolos pertinet illud: *Pasce oues meas:* sicuti ad solum Simonem pertinebat illud: *Tu es petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sicuti enim ibi præ ceteris ostendit fidem, & ideo facta est

14. Expenditur alter locus Ioã. 21. Pasce oues meás.

Soli Simoni ouile Christi committi.

ci iſta promiſſio, non alijs: ita hic vbi res promiſſa eſt conferenda, ab eo præ ceteris exigitur charitas. Qui enim ceteris omnibus præeſſe debet, eum fide & dilectione ceteris antecellere par eſt.

15. Deinde non dari hic ſolùm poteſtatem docendi & adminiſtrandi Sacramenta, ſed plenam authoritatem regendi oues Chriſti, patet primò. quia paſcere vſu Scripturæ non tantùm ſignificat præbere pabulum, ſed præeſſe, regere, & totum munus paſtorale obire. Vnde paſſim Regibus in Scriptura tribuitur. Pſal. 79. *Qui regis Iſrael intende*, Hebraicè *Robe*, paſcens, ſeu *qui paſcis*. Pſal. 77. de Dauide dicitur, quòd Dominus eum ex paſtore ouium fecerit paſtorem populorum. *Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hereditatem ſuam*. Et verſu ſequenti, *Et pauit eos in innocentia cordis ſui* &c. Pſalm. 2. *Reges eos in virga ferrea, Terohem*, paſces eos. 2. Regum 5. *Tu paſces populum meum*, & alibi ſæpiſſime. Quibus locis *paſcere*, Hebraicè *Raha*, & Græcè ποιμαίνειν. idem eſt quod Regia authoritate præeſſe & gubernare. Vnde Reges veteribus *Paſtores populorum* dicti ſunt: & Homerus ſæpiſſime Agamemnona ποιμένα λαῶν appellat. 2. Quia paſtoris non ſolùm eſt pabulum ouibus præbere, ſed etiam eos à lupis tueri, morbidas curare, noxias à grege remouere, errantes reducere &c. Ergo is cui committuntur oues rationales paſcēdæ, non ſolùm accipit poteſtatem, vt eis pabula congruentia præbeat, ſed etiam vt in ceteris omnibus regat, ſicut expedit ad finem, ob quem illarum ſocietas eſt inſtituta, qui finis in propoſito eſt cultus diuinus, & ſalus animarum. Ad hoc enim Eccleſia, quæ eſt ouile Chriſti, eſt inſtituta.

Dari plenam authoritatē regendi.

3. Poteſtatem docendi iam antè dederat omnibus Apoſtolis Matth. 10. v. 7. Luc. 9. v. 2. & rurſus generatim Ioan. 20. illis verbis: *Sicut miſit me pater, & ego mitto*

Poteſtatem docēdi vbi dederit.

mitto vos. vbi omnibus dat authoritatem Apostolicam. Denique illis verbis Matth. 28. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Potestatem autem remittendi peccata illis verbis. *Quorum remiseritis* &c. Ergo cũ hic aliquid peculiariter conferat Petro, idque tam exquisito modo, tanto cum examine, tanta cerimonia, clarissimum est, non omnino idem, sed aliquid amplius dari, quod alijs non est concessum. Ter enim repetit ipsius nomen; ter explorat ipsius dilectionem; ter illi iniungit, *Pasce oues meas*; ter ipsius nomen repetitur, vt intelligat sibi hic aliquid peculiare præ ceteris imponi; ter ipsius dilectio exquiritur; non solùm vt labem triplicis negationis, triplici confessione dilectionis abstergat, sed multò magis vt intelligat, quanta charitate opus sit, vt hac præfectura efficiatur dignus; & quantam eius administratio dilectionem postulet. Ter illi dicitur, *Pasce oues meas*, siue *agnos meos*; tum vt intelligat quanti hæc res sit momenti, & quantopere ea Christo sit cordi, vt notat Chrysostomus in hunc locum: tum vt indicetur huius muneris stabilitas, nimirum vsque in finem mundi non fore abolendum. repetitio enim in verbis Dei firmitatem & certitudinem insinuat. Sic etiam Matth. 16. triplici forma loquendi, idem significante, illud promisit.

Potestatẽ remittẽdi peccata. Ioan. 20.

Cur ter repetat.

Ex his perspicuum est illis verbis, *Pasce oues meas*, Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, Petrũ constitui totius ouilis Christi Pastorem & Rectorem, ac proinde omnẽ ei dari authoritatem, quam par est totius Ecclesiæ Rectorem, & Christi Vicarium habere. Perinde enim hic fecit Christus, ac si Rex longinquam expeditionẽ suscepturus, dicat vni ex primarijs Principibus suis, cuius fidem, & in se amorem diligenter explorauit; Tu si me amas, administra regnum meum: Guberna subditos meos. Sanè sicut ibi nemo dubitare posset, quin iste constituatur Vicarius

16.

Petrus Christi Vicarius.

Explicatur exemplo Regis

carius Regis cum omni poteſtate, quæ ad bonam adminiſtrationem regni illius eſt neceſſaria: ita hic ambigere non poſſumus, quin Petrus conſtituatur Vicarius Chriſti in regenda Eccleſia, cum omni authoritate ad eum finem opportuna.

Omnis Chriſti ouis Petro ſubiicitur.

Ex quibus vlteriùs ſequitur, quicumque eſt ouis Chriſti, hunc Petro ſubijci tamquam Paſtori, & Rectori. hoc ipſo enim quo Petrus conſtituitur omnium Paſtor, omnes ei ſubijciuntur, vt oues ab ipſo paſcendæ, omnibus præcipitur vt ipſius vocem audiant, eique obediant. Sicut hoc ipſo quo Rex committit alicui regimen Regni, ſubijcit illi totum Regnum, & præcipit omnibus, vt ei obediant. Confirmatur. quia Dominus non dicit: *Paſce oues* iſtas vel illas, oues ex Iudæis, vel oues ex Gentibus: ſed abſolutè & indeterminatè *oues meas*: vt bene expendit S. Bernardus lib. 2. de conſideratione. quicumque ergo eſt ouis Chriſti, Petro hic ſubijcitur. Vnde Epiphanius in Ancorato p. 3. dicit, *Iſtis verbis Petro concreditum ouile Chriſti*. & Chryſoſt. homil. 87. *Curam ei fratrum, & curam orbis terrarum demandatam*.

Probatur altera pars maioris ſyll. ſuprà nu. 5. poſiti.

Hactenus de duobus illis Scripturæ locis. Ex quibus probata manet prima pars noſtri ſyllogiſmi: nimirum *Petro collatum Eccleſiæ Principatum, & Iuriſdictionem in omnes Chriſtianos*. Nunc probanda eſt altera pars: videlicet *hanc poteſtatē non ſoli Petro datam, ſed in ipſo omnibus eius ſucceſſoribus*.

17. Omnibus Petri ſucceſſoribus hanc poteſtatem datam.

Hæc probatur: quia Eccleſia cùm debeat eſſe perpetua, non tantùm tempore Apoſtolorum debebat habere vnum caput, & vnum communem Paſtorem viſibilem, à quo regeretur, & vnum fundamentum viſibile, cui inniteretur: ſed etiam poſtea vſque ad finem ſæculi. Et ſanè ſi viuentibus adhuc Apoſtolis, cùm & numerus Chriſtianorum eſſet minor, & feruor fidei maior, & hæreſes pauciores, tamen ad vitanda ſchiſmata, & Eccleſiam

clesiam in vnitate conseruandam opus fuit vno capite; multò magis id fuit necessarium illis mortuis. Tunc enim Ecclesia in immensum aucta, & per totum orbem diffusa; tunc plurimæ hæreses & persecutiones exortæ. nec in successoribus Apostolorum erat illa authoritas vel sapientia, vel miraculorum gratia ad resistendum istis malis, & Ecclesiam in vnione conseruandā, quæ fuerat in ipsis Apostolis. Itaq; tunc maximè opus erat vno communi Pastore, cui omnes subessent, & adhærerent, ad quem vndiq; in subortis difficultatibus confugerent: qui omnes hæreses profligaret, & vnitatem fidei ac doctrinæ vbiq; conseruaret. deniq; cui commune bonum Ecclesiæ, eiusq; conseruatio, & propagatio præcipuo quodam modo esset curæ.

Confirmatur à simili. quia authoritas summi Pontificatus in veteri testamento, non solùm fuit data Aaroni, sed in ipso omnibus eius legitimis successoribus, quamdiu synagoga debebat extare. Ergo similiter tota authoritas summi Pontificatus in nouo testamento debet trāsire ad Petri successores. Eadem est communis Patrum sententia, quam apertè indicat Augustinus tract. 50. & 124. in Ioannem, cùm ait: *Petrum, propter Apostolatus sui Primatum, repræsentasse Ecclesiam, quando ei dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum.* Idem repetit in enarrat. priore in psal. 108. & serm. 23. de verbis Domini.

3. Pars, nimirum Romanum Pontificem esse Petri successorem, probatur 1. Quia aliquis debebat B. Petro in præfectura Ecclesiæ succedere, vt ostensum est. at nemo vmquam fuit habitus Petri successor in hac præfectura præter Romanum Pontificem. Etsi enim Petrus primò sederit Antiochiæ, tamen ibi non mansit, sed Romam Sedē transtulit, ac proinde etiamsi deseruit Sedem Antiochenam, & in ea habuit successorem Euodium; tamē hic non successit ei in præfectura totius Ec- 18. Probatio minoris syll. prædicti, Roman. Pōt. esse Petri Successorem.

clesiæ: quia hanc Petrus non deseruit, sed secum vnà Romam transtulit, & ibidē per 25. annos vsq; ad vltimum, id est quartum decimum Neronis annum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, tenuit: vt Eusebius in Chronico anni 64. & Hieronymus de viris illustribus in Petro, alijq; plurimi veterum testantur. Itaq; qui Petro post mortem in Sede Romana subrogatus est, etiam in præfectura Ecclesiæ vniuersalis successit. hæc enim per mortem iam vacabat, & illi Sedi annexa manebat. 2. Idem patet ex omnibus, qui seriem Romanorum Pontificum recensent. omnes enim primum faciunt Petrum, deinde subiungunt alios vsque ad illum qui pro tempore præsidet. Ita Irenæus lib. 3. c. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus Epist. 165. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & alij. 3. Idem constat ex communi sententia veterum, qui Sedem Romanam passim vocant *Sedem Apostolicam, Cathedram Petri; Petrum in ea per suos successores viuere, & præsidere*. Cypr. epist. 52. ad Antonianū. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio &c. cùm Fabiani locus, id est, locus Petri vacaret*. Et epist. 55. ad Cornelium. *Nauigare audent & ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam principalē, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. Epist. 45. ad Cornelium. Ecclesiam Romanā vocat, *Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem*. Hieronymus ad Damasum epist. 57. *Facessat inuidia, Romani culminis cedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram* (cathedram intelligit) *ædificatam Ecclesiam scio*. Augustinus contra litteras Petiliani lib. 2. c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ in qua Petrus sedit, in qua nunc Anastasius sedet?* Epist. 162. *Cùm se videret Ecclesiæ Romanæ in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus*

Ex Patribus.

coniun-

coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere &c. Concilium Chalcedonense actione 2. *Lecta Leonis epistola omnes acclamarunt, Petrus per Leonem locutus est.* Leo serm. 2 .de sua assumpt. *Perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis &c.* Omitto alios innumeros.

Ex his probata manet maior, & minor propositio nostri syllogismi, qui talis est: ex Scripturis constat supremam in totam Ecclesiam potestatem concessam B. Petro; & in B. Petro omnibus eius successoribus. atqui Romani Pontifices sunt successores B. Petri: ergo habent hanc potestatem. Quæ hæretici hic obijciunt nullius sunt momenti, quale in primis illud, Petrum numquam Romæ fuisse, quod adeo paradoxon est, vt passim plerosque pudeat. Nimis enim clarè toti antiquitati repugnat. Sequitur probatio 3.

III. PROBATIO.
Ex Concilijs.

ROMANVM Pontificem habere Iurisdictionem in totam Ecclesiam, siue esse caput totius Ecclesiæ vniuersalis, probari potest ex multis Concilijs Oecumenicis, quorum summa semper in Ecclesia fuit authoritas, vt quæ totam Christi Ecclesiam repræsentent. vnde sicut Ecclesia Vniuersalis errare non potest, ita nec Concilia Oecumenica. 19.

1. Ex Concilio Niceno primo 318. Episcoporum, vbi canone 39. in canonibus ex Arabico translatis ita habetur. *Sicut ille qui tenet Sedem Romæ caput & Princeps est omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Syno-*

clesiæ: quia hanc Petrus non deseruit, sed secum vnà Romam transtulit, & ibidē per 25. annos vsq; ad vltimum, id est quartum decimum Neronis annum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, tenuit: vt Eusebius in Chronico anni 64. & Hieronymus de viris illustribus in Petro, alijq; plurimi veterum testantur. Itaq; qui Petro post mortem in Sede Romana subrogatus est, etiam in præfectura Ecclesiæ vniuersalis successit. hæc enim per mortem iam vacabat, & illi Sedi annexa manebat. 2. Idem patet ex omnibus, qui seriem Romanorum Pontificum recensent. omnes enim primum faciunt Petrum, deinde subiungunt alios vsque ad illum qui pro tempore præsidet. Ita Irenæus lib. 3. c. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus Epist. 165. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & alij: 3. Idem constat ex communi sententia veterum, qui Sedem Romanam passim vocant *Sedem Apostolicam*, *Cathedram Petri*; *Petrum in ea per suos successores viuere, & præsidere*. Cypr. epist. 52. ad Antonianū. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio &c. cùm Fabiani locus, id est, locus Petri vacaret*. Et epist. 55. ad Cornelium. *Nauigare audent & ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam principalē, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. Epist. 45. ad Cornelium. Ecclesiam Romanā vocat, *Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem*. Hieronymus ad Damasum epist. 57. *Facessat inuidia, Romani culminis cedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram* (cathedram intelligit) *ædificatam Ecclesiam scio*. Augustinus contra litteras Petiliani lib. 2. c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ in qua Petrus sedit, in qua nunc Anastasius sedet?* Epist. 162. *Cùm se videret Ecclesiæ Romanæ in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus*

Ex Patribus.

coniun-

coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere &c. Concilium Chalcedonense actione 2. *Lecta Leonis epistola omnes acclamarunt, Petrus per Leonem locutus est.* Leo serm. 2. de sua assumpt. *Perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis &c.* Omitto alios innumeros.

Ex his probata manet maior, & minor propositio nostri syllogismi, qui talis est: ex Scripturis constat supremam in totam Ecclesiam potestatem concessam B. Petro; & in B. Petro omnibus eius successoribus. atqui Romani Pontifices sunt successores B. Petri: ergo habent hanc potestatem. Quæ hæretici hic obijciunt nullius sunt momenti, quale in primis illud, Petrum numquam Romæ fuisse, quod adeo paradoxon est, vt passim plerosque pudeat. Nimis enim clarè toti antiquitati repugnat. Sequitur probatio 3.

III. PROBATIO.
Ex Concilijs.

ROMANVM Pontificem habere Iurisdictionem in totam Ecclesiam, siue esse caput totius Ecclesiæ vniuersalis, probari potest ex multis Concilijs Oecumenicis, quorum summa semper in Ecclesia fuit authoritas, vt quæ totam Christi Ecclesiam repræsentent. vnde sicut Ecclesia Vniuersalis errare non potest, ita nec Concilia Oecumenica. 19.

1. Ex Concilio Niceno primo 318. Episcoporum, vbi canone 39. in canonibus ex Arabico translatis ita habetur. *Sicut ille qui tenet Sedem Romæ caput & Princeps est omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Syno-*

clesiæ: quia hanc Petrus non deseruit, sed secum vnà Romam transtulit, & ibidē per 25. annos vsq; ad vltimum, id est quartum decimum Neronis annum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, tenuit: vt Eusebius in Chronico anni 64. & Hieronymus de viris illustribus in Petro, alijq; plurimi veterum testantur. Itaq; qui Petro post mortem in Sede Romana subrogatus est, etiam in præfectura Ecclesiæ vniuersalis successit. hæc enim per mortem iam vacabat, & illi Sedi annexa manebat. 2. Idem patet ex omnibus, qui seriem Romanorum Pontificum recensent. omnes enim primum faciunt Petrum, deinde subiungunt alios vsque ad illum qui pro tempore præsidet. Ita Irenæus lib. 3. c. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus Epist. 165. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & alij. 3. Idem constat ex communi sententia veterum, qui Sedem Romanam passim vocant *Sedem Apostolicam, Cathedram Petri*; *Petrum in ea per suos successores viuere, & præsidere*. Cypr. epist. 52. ad Antonianū. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio &c. cùm Fabiani locus, id est, locus Petri vacaret*. Et epist. 55. ad Cornelium. *Nauigare audent & ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam principalē, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. Epist. 45. ad Cornelium. Ecclesiam Romanā vocat, *Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem*. Hieronymus ad Damasum epist. 57. *Facessat inuidia, Romani culminis cedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram* (cathedram intelligit) *ædificatam Ecclesiam scio*. Augustinus contra litteras Petiliani lib. 2. c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ in qua Petrus sedit, in qua nunc Anastasius sedet?* Epist. 162. *Cùm se videret Ecclesiæ Romanæ in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus*

Ex Patribus.

coniun-

coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere &c. Concilium Chalcedonense actione 2. *Lecta Leonis epistola omnes acclamarunt, Petrus per Leonem locutus est.* Leo serm. 2. de sua assumpt. *Perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis &c.* Omitto alios innumeros.

Ex his probata manet maior, & minor propositio nostri syllogismi, qui talis est: ex Scripturis constat supremam in totam Ecclesiam potestatem concessam B. Petro; & in B. Petro omnibus eius successoribus. atqui Romani Pontifices sunt successores B. Petri: ergo habent hanc potestatem. Quæ hæretici hic obijciunt nullius sunt momenti, quale in primis illud, Petrum numquam Romæ fuisse, quod adeo paradoxon est, vt passim plerosque pudeat. Nimis enim clarè toti antiquitati repugnat. Sequitur probatio 3.

III. PROBATIO.
Ex Concilijs.

ROMANVM Pontificem habere Iurisdictionem in totam Ecclesiam, siue esse caput totius Ecclesiæ vniuersalis, probari potest ex multis Concilijs Oecumenicis, quorum summa semper in Ecclesia fuit authoritas, vt quæ totam Christi Ecclesiam repræsentent. vnde sicut Ecclesia Vniuersalis errare non potest, ita nec Concilia Oecumenica. 19.

1. Ex Concilio Niceno primo 318. Episcoporum, vbi canone 39. in canonibus ex Arabico translatis ita habetur. *Sicut ille qui tenet Sedem Romæ caput & Princeps est omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Syno-*

clesiæ: quia hanc Petrus non deseruit, sed secum vnà Romam transtulit, & ibidē per 25. annos vsq; ad vltimum, id est quartum decimum Neronis annum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, tenuit: vt Eusebius in Chronico anni 64. & Hieronymus de viris illustribus in Petro, alijq; plurimi veterum testantur. Itaq; qui Petro post mortem in Sede Romana subrogatus est, etiam in præfectura Ecclesiæ vniuersalis successit. hæc enim per mortem iam vacabat, & illi Sedi annexa manebat. 2. Idem patet ex omnibus, qui seriem Romanorum Pontificum recensent. omnes enim primum faciunt Petrum, deinde subiungunt alios vsque ad illum qui pro tempore præsidet. Ita Irenæus lib. 3. c. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus Epist. 165. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & alij. 3. Idem constat ex communi sententia veterum, qui Sedem Romanam passim vocant *Sedem Apostolicam, Cathedram Petri; Petrum in ea per suos successores viuere, & præsidere*. Cypr. epist. 52. ad Antonianū. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio &c. cùm Fabiani locus, id est, locus Petri vacaret*. Et epist. 55. ad Cornelium. *Nauigare audent & ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam principalē, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. Epist. 45. ad Cornelium. Ecclesiam Romanā vocat, *Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem*. Hieronymus ad Damasum epist. 57. *Facessat inuidia, Romani culminis cedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram* (cathedram intelligit) *ædificatam Ecclesiam scio*. Augustinus contra litteras Petiliani lib. 2. c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ in qua Petrus sedit, in qua nunc Anastasius sedet?* Epist. 162. *Cùm se videret Ecclesiæ Romanæ in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus*

Ex Patribus.

coniun-

coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere &c. Concilium Chalcedonense actione 2. *Lecta Leonis epistola omnes acclamarunt, Petrus per Leonem locutus est.* Leo serm. 2. de sua assumpt. *Perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis &c.* Omitto alios innumeros.

Ex his probata manet maior, & minor propositio nostri syllogismi, qui talis est: ex Scripturis constat supremam in totam Ecclesiam potestatem concessam B. Petro; & in B. Petro omnibus eius successoribus. atqui Romani Pontifices sunt successores B. Petri: ergo habent hanc potestatem. Quæ hæretici hic obijciunt nullius sunt momenti, quale in primis illud, Petrum numquam Romæ fuisse, quod adeo paradoxon est, vt passim plerosque pudeat. Nimis enim clarè toti antiquitati repugnat. Sequitur probatio 3.

III. PROBATIO.
Ex Concilijs.

ROMANVM Pontificem habere Iurisdictionem in totam Ecclesiam, siue esse caput totius Ecclesiæ vniuersalis, probari potest ex multis Concilijs Oecumenicis, quorum summa semper in Ecclesia fuit authoritas, vt quæ totam Christi Ecclesiam repræsentent. vnde sicut Ecclesia Vniuersalis errare non potest, ita nec Concilia Oecumenica. 19.

1. Ex Concilio Niceno primo 318. Episcoporum, vbi canone 39. in canonibus ex Arabico translatis ita habetur. *Sicut ille qui tenet Sedem Romæ caput & Princeps est omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Syno-*

clesiæ: quia hanc Petrus non deseruit, sed secum vnà Romam transtulit, & ibidē per 25. annos vsq; ad vltimum, id est quartum decimum Neronis annum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, tenuit: vt Eusebius in Chronico anni 64. & Hieronymus de viris illustribus in Petro, alijq; plurimi veterum testantur. Itaq; qui Petro post mortem in Sede Romana subrogatus est, etiam in præfectura Ecclesiæ vniuersalis successit. hæc enim per mortem iam vacabat, & illi Sedi annexa manebat. 2. Idem patet ex omnibus, qui seriem Romanorum Pontificum recensent. omnes enim primum faciunt Petrum, deinde subiungunt alios vsque ad illum qui pro tempore præsidet. Ita Irenæus lib. 3. c. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus Epist. 165. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & alij. 3. Idem constat ex communi sententia veterum, qui Sedem Romanam passim vocant *Sedem Apostolicam*, *Cathedram Petri*; *Petrum in ea per suos successores viuere, & præsidere*. Cypr. epist. 52. ad Antonianū. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio &c. cùm Fabiani locus, id est, locus Petri vacaret*. Et epist. 55. ad Cornelium. *Nauigare audent & ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam principalē, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. Epist. 45. ad Cornelium. Ecclesiam Romanā vocat, *Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem*. Hieronymus ad Damasum epist. 57. *Facessat inuidia, Romani culminis cedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram* (cathedram intelligit) *ædificatam Ecclesiam scio*. Augustinus contra litteras Petiliani lib. 2. c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ in qua Petrus sedit, in qua nunc Anastasius sedet?* Epist. 162. *Cùm se videret Ecclesiæ Romanæ in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus*

Ex Patribus.

coniun-

coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere &c. Concilium Chalcedonense actione 2. *Lecta Leonis epistola omnes acclamarunt, Petrus per Leonem locutus est.* Leo serm. 2. de sua assumpt. *Perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis &c.* Omitto alios innumeros.

Ex his probata manet maior, & minor propositio nostri syllogismi, qui talis est: ex Scripturis constat supremam in totam Ecclesiam potestatem concessam B. Petro; & in B. Petro omnibus eius successoribus. atqui Romani Pontifices sunt successores B. Petri: ergo habent hanc potestatem. Quæ hæretici hic obijciunt nullius sunt momenti, quale in primis illud, Petrum numquam Romæ fuisse, quod adeo paradoxon est, vt passim plerosque pudeat. Nimis enim clarè toti antiquitati repugnat. Sequitur probatio 3.

III. PROBATIO.
Ex Concilijs.

ROMANVM Pontificem habere Iurisdictionem in totam Ecclesiam, siue esse caput totius Ecclesiæ vniuersalis, probari potest ex multis Concilijs Oecumenicis, quorum summa semper in Ecclesia fuit authoritas, vt quæ totam Christi Ecclesiam repræsentent. vnde sicut Ecclesia Vniuersalis errare non potest, ita nec Concilia Oecumenica. 19.

1. Ex Concilio Niceno primo 318. Episcoporum, vbi canone 39. in canonibus ex Arabico translatis ita habetur. *Sicut ille qui tenet Sedem Romæ caput & Princeps est omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Syno-*

do excommunicatur. Extant hi canones Arabicè in codice Patriarchæ Alexandrini, & in alio quodam vetustissimo, vt testatur Franciscus Turrianus præfat. in hos canones; estque hic canon conformis duobus alijs, quos Iulius 1. in epist. sua ad Episcopos Orientales affirmat in Concilio Niceno vnanimi patrum consensu editos: quorum alter est de appellationibus. *Omnibus Episcopis fas esse ad Sedem Apostolicam appellare, eiusque sententiæ standum:* alter de Concilijs, *Sine consensu Romani Pontificis non posse Concilia celebrari.* Hi enim duo canones apertè indicant ipsum esse Superiorem & Iudicem omnium Episcoporum. Si dicas istorum canonum Arabicorum authoritatem esse obscuram, non pertendo: at ex illis constat quid Ecclesiæ orientales quæ istos canones admittunt de Primatu summi Pontificis multis sæculis senserint. Idem Primatus insinuatur can. 6. eiusdem Concilij, vt fusè inter alios ostendit Turrianus lib. 3. pro epist. Pontif. cap. 3.

2. Ex Concilio Sardicensi 300. Episcoporum sub Iulio primo, qui per suos Legatos ei præsedit, vbi cap. 4. statuitur, vt Episcopo in aliqua causa adiudicato, fas sit appellare ad iudiciũ Romani Pontificis; & iubentur firma esse, quæ ille in causa illa decreuerit. & cap. 7. conceditur, vt Episcopus iudicio Concilij Prouincialis condemnatus & depositus, si iniquè secum actum putat, confugiat ad Sedem Romanam, & petat ab ea iudices, qui vnà cum Episcopis Prouinciæ rursus causam cognoscant, & iudicio præsint.

3. Ex Synodo Constantinopolitana prima 150. Episcoporum. Hæc enim in epist. sua ad Damasum, fatetur se iussu Damasi primò conuocatam fuisse Constãtinopolim, eoque conuenisse: deinde eiusdem mandato se vlteriùs vocatam Romam, vt se Episcopis Latinis ibidem congregatis coniungeret; à qua profectione se excu-

ſat multis cauſis allegatis, vt Damaſo ſatisfaciat, & mittit ſuo loco tres Epiſcopos, qui ei rationem actorum, & ſtatum Synodi explicent; ſimul rogans, vt omnia rata habere velit. Ex quibus apertè conſtat hanc Synodum Pontificem Romanum Superiorem ſuum, cui parere deberet, agnouiſſe. Idem confirmatur ex eo quòd Damaſus rogantibus Epiſcopis orientalibus damnauerit & exauthorauerit Apollinarem, & Timotheum eius diſcipulum, vt patet ex epiſt. Damaſi ad Orientales, & Theodoreto l. 5. hiſtor. Eccleſ. c. 10.

4. Ex Epheſina 1. 200. Epiſcoporum. Hæc Synodus omnia acta ſua mittit ad Celeſtinum Papam, vt patet ex epiſt. ad ipſum: addens, *neceſſitatem poſtulare vt omnia ad Sanctitatis ipſius cognitionem referrentur*. At cur id neceſſarium, niſi quia ipſius erat ea confirmare, vel infirmare? Ibidem dicit ſe cauſam Ioannis Patriarchæ Antiocheni (qui ſententiam depoſitionis in Cyrillum & Mēnonem, & ſententiam excommunicationis in ipſam Synodum tulerat) reſeruaſſe iudicio Celeſtini, & hortatur Celeſtinum, vt illum pro meritis caſtiget; vbi inſinuat ſententiam Pontificis Romani plus ponderis habituram, quàm totius Synodi. At vnde tanta poteſtas Romano Pontifici in Patriarcham Antiochenum, niſi quia iure diuino eſt omnium Superior & Iudex?

5. Ex Synodo Chalcedonenſi 630. Epiſcoporum, 20.
vbi actione 1. Paſchaſinus *Vicarius ſedis Apoſtolicæ dicit Romam eſſe caput omnium Eccleſiarum, & profert præceptum Leonis, quo præcipit, vt Dioſcorus Alexandrinus Patriarcha non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur*. Item accuſatur Dioſcorus, *quòd Synodum auſus ſit facere ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ; quod inquit numquam licuit, numquam factum eſt*: & aſſentitur totum Concilium. Act. 3. recitantur quatuor libelli à diuerſis deſtinati ad Pontificem Romanum, & Concilium genera-

nerale, quorum singuli habent hanc inscriptionẽ. *Sanctissimo, & Beatissimo, & Vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ & vniuersali Chalcedonensi Synodo.* vbi quater vocatur *Archiepiscopus Vniuersalis*, & præponitur toti Concilio; nimirum quia omnium totius orbis Episcoporum Caput est & Superior. Eadem actione ipsius Legati proferunt sententiam damnationis in Dioscorum petente Concilio, & primi subscribunt, & in subscriptione rursus appellatur *Vniuersalis Episcopus*. Denique ipsa Synodus in relatione ad Leonem, inter crimina Dioscori, ob quæ ipsum dicit depositum, recenset: quòd *ipsum Romanum Pontificem, cui*, inquit, *vineæ custodia à Saluatore commissa est, & corpus Ecclesiæ in vnitate conseruat, ausus fuit excommunicare.* Deinde petit acta sua ab illo confirmari, & vocat illum caput, & se filios eius. *Rogamus*, inquit Synodus, *& tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam; sic & Summitas tua filijs quod decet, adimpleat.*

Vniuersalis Archiepiscopus.

6. Ex Nicena 2. quæ vocatur septima generalis, Episcoporum 350. vbi act. 2. legitur epistola Adriani Papæ ad Tharasium, & approbatur à toto Concilio: in qua epistola inter cetera habentur ista: *Cuius* (Petri) *Sedes per totum orbem terrarum primatũ obtinens lucet, omniumq́; Ecclesiarum Dei caput existit. Vnde & ipse B. Petrus Apostolus iussu Dei Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit sed vbiq; principatũ obtinuit & obtinet: Cui etiã, & nostræ beatæ & Apostolicæ Sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim beata vestra Sanctitas ex sincera mente, & toto corde agglutinetur, vtpote quæ re vera sit bene sentiens, & pietatis incorruptæ conseruatrix.* Similia habentur in epistola eiusdem ad Imperatores, quæ eadem actione lecta est, & approbata. Actione 6. dicitur: *Execrabilis, prophana & adulterina est* (Synodus Constantinop. contra Imagines)

gines) *non enim habuit, vt hæc quæ nunc celebratur cooperarium Romanum Pontificem, neque illius Sacerdotes; neque per Vicarios, neq; per Prouinciales, litteras: quemadmodum fieri in Synodis debet.*

7. Ex Synodo Constantinop. 4. quæ dicitur octaua generalis Episcoporum 385. can. 21. *Definimus neminē prorsus mundi potentium, quemquā eorum qui Patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare: sed omni reuerentia, & honore dignos iudicare: præcipuè quidem Sanctissimum Papam senioris Romæ &c.* Et infrà. *Porrò si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambiguitas & controuersia, oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitare, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere: nemo tamen audacter sententiam dicere contra Sūmos senioris Romæ Pontifices.* Denique Legati Adriani 2. præsident Synodo, primi subscribunt, & in subscriptione Adrianus *Vniuersalis Papa* nominatur.

8. Ex Concilio magno Lateranensi, in quo 1215. Patres, quorum 484. erant Episcopi, sub Innocentio 3. Cap. 5. *Antiqua Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes sancta vniuersali Synodo opprobāte sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Deo super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatū, vtpote mater omnium Christi fidelium & magistra; Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat &c.*

9. Ex Concilio Lugdunensi 2. sub Gregorio 10. 1560. Patrum, ex quibus Episcopi 500. habetur cap. Vbi periculum. de Elect. in 6. vbi in statuto à Concilio approbato inter cetera dicitur. *Pensantes attentiùs quid eis imminet cū agitur de creatione Vicarij Iesu Christi, successoris Petri, Rectoris vniuersalis Ecclesiæ, gregis Dominici directoris &c.*

10. Ex Florentino. *Definimus*, inquit Conciliũ, *Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuersum orbem obtinere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.*

21. Quanta sit authoritas Conciliorum.

En 10. Concilia Oecumenica, quorum septem priora celebrata apud Græcos, tria reliqua apud Latinos quidem, sed ita vt Græci illis interfuerint: in quibus Primatus & authoritas Romani Pontificis in totam Ecclesiam vel agnoscitur, vel definitur. At quæ potest esse maior authoritas in terris, quàm Concilij Oecumenici cum suo capite vniti? Est enim veluti magnum regni Christi, vt ita loquar, Parlamentum. sicut ergo in rebus politicis, qui non admittit quod à magno Regni Parlamento definitum vel declaratum est, meritò censendus est hostis Regni, non ciuis: ita in negotio religionis & Ecclesiæ, qui reijcit quod à Concilio Oecumenico approbatum vel definitum est, se non Christianum, sed hostem regni Christi declarat. Quid ergo illis fiet, qui pernegant ea quæ toties diuersis sæculis, à tot Concilijs generalibus, tot regni Christi plenis comitijs omnibus consentientibus probata sunt & decisa?

Præter supradicta habemus alia quinque etiã Oecumenica, quibus Græci non interfuerunt. Primũ est Lugdunense 1. sub Innoc. 4. circa annum Domini 1224. & habetur cap. Pro humani. de homicidio in 6. Vbi dicitur 1. *Quòd Dominus ascensurus in cælum post resurrectionem suam, ne Ecclesiã suam sine pastore relinqueret ipsius curam B. Petro Apostolo commiserit*, 2. *Pontificem Romanum*

esse

esse eiusdem Apostoli successorem. 3. Ipsum tenere locum Redẽptoris nostri in terris &c. Secundũ est Viennense sub Clemente 5. habetur Clement. de Iureiurando. Tertium est Cõstantiense, quod sess. 8. damnat articulos Ioannis Hus, inter quos est iste: *Non est de necessitate salutis, credere Romanũ Ecclesiam esse supremam inter Ecclesias.* Quartum Lateranense sub Leone 10. sess. 11. Quintum est Tridentinum, sess. 6. cap. 1. de Reformat. sess. 14. cap. 7. & alijs locis plurimis. Itaq; habemus 15. Oecumenica Concilia, quibus hæc veritas comprobatur. Nimirum docuit illud fundamentum quo omnes hæreses profligantur, & corporis Ecclesiæ vnitas conseruatur (vt Conc. Chalced. ait) tot modis stabiliri.

IIII. PROBATIO.
Ex Epistolis Decretalibus Pontificum.

ROMANI Pontifices iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, ita se gesserunt in negotijs Ecclesiæ, vt manifestè suam authoritatem in omnes Episcopos & vniuersam Ecclesiam per totum orbem declarauerint; quod partim ex historijs Ecclesiasticis, partim ex epistolis illorum Decretalibus est perspicuum: ex quibus hic pauca delibabimus. 22.

Anacletus epist. 3. cap. 3. *Hæc sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro Primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse B. Petro dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. Similia habent ceteri in suis Decretalibus. Euaristus epist. 1. Alexander epist. 1. Sixtus epist. 2. Pius epist. 1. Anicetus epist. ad Episcopos Galliæ c. 3. Eleutherius ad Galliæ prouincias cap. 2. Victor epist. ad Theophilum Alexãdrinũ, & Episcopos Aegypti.

Zepherinus ad Episcopos Siciliæ. Callistus epist. 1. Sixtus secundus epist. 1. Dionysius epist. 2. Marcellus 1. epist. 1. Eusebius epist. 3. Melchiades ad Episc. Hispaniæ, & alij.

Cur primi illi Põtifices, toties proferant eminentiã Sedis Apostolicæ.

Censuerunt sancti illi Pontifices primis sæculis rem illam sæpiùs inculcandam; quia cùm ad sedandas contentiones, ad consentionem doctrinæ ac religionis, & ad pacem in Ecclesia per totum orbem retinendam, frequenter litteræ, decreta, & mandata varijs prouincijs essent destinanda: necessarium erat, vt omnes intelligerent Sedis illius potestatem, & super ceteras eminentiam. priusquã enim id longo vsu esset declaratum, non ita erat omnibus manifestum. Itaque vt ipsis obedientia præstaretur operæpretium erat, vt suam authoritatem probarent. Hanc autem ostendunt à Christo descendere, & in illis verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* & in illis Ioannis 21. *Pasce oues meas*, fundari. Hæc dixerim ne quis miretur à sanctissimis illis viris tanto studio eminentiam suæ Sedis asseri & proponi. erat enim id omnino necessarium ad Ecclesiæ gubernationem. Hæretici istas epistolas non recipiunt: sed id mirum nõ est, quia nimis apertè in illis astruuntur ea quæ ipsi destruũt. & in primis authoritas Summi Pontificis, quam ipsi supra omnia oderunt. Hac enim stante necesse est omnes hæreses concidere. defendit eas luculentè Franciscus Turrianus.

23. Idem facilè probari potest ex aliorum Pontificum scriptis, quæ ab omnibus sine controuersia recipiuntur. Iulius Papa epistola ad Eusebianos, quam in secunda sua apologia refert Athanasius. *Cur inprimis nihil nobis de Alexandria ciuitate scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, vt hinc quod iustum est, definiri posset? quapropter si isthic suspicio huiusmodi in Episcopum concepta erat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.* Et infrà. *Quæ accepimus à B. Petro*

In Episcopum Alexandrinũ.

Apo-

Apostolo ea vobis significo: non scripturus alioquin quæ nota esse apud vos arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent. Athanasius erat primus Patriarcha post Romanam Pontificem, & tamen Iulius Papa doctrina & sanctitate clarus, illius causam sicut & aliorum Episcoporum ad suum tribunal, non ad Synodum Antiochenam pertinere affirmat: hanc esse receptam consuetudinem omnibus notam, idque à B. Petro esse traditum. quam consuetudinem ex omnibus ferè antiquorum Pontificum, qui vsque ad Petrum numerantur, epistolis colligere licet. Damasus epist. ad Episcopos Illyric. refertur apud Theodoret. lib. 2. c. 22. *Numerus Episcoporum qui erant Arimini in vnum congregati, preiudicij vim habere nō debet, præsertim cùm formula illa composita sit, neque Romano Episcopo, cuius sententia præ ceteris omnibus expectanda erat, neque alijs consentientibus.* Cur eius sententia præ ceteris omnibus expectanda, nisi quia ipse est caput ceterorum? Idem Damasus epist. ad Orientales Episcopos (quam refert Theodoretus lib. 5. cap. 10.) vocat illos *filios*, & dicit sibi *in sancta Ecclesia Primas deferri*; & *se illius gubernacula suscepisse*. loquitur autem de tota Ecclesia Vniuersali.

Siricius epist. 1. ad Himericum Tarraconensem Episcopum. *Pro officij nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacere libertas; quia maior cunctis religionis Christianæ zelus incumbit. Portamus onera omnium qui grauantur; quinimo hæc portat in nobis beatus Petrus Apostolus, qui nos in omnibus, vt confidimus, administrationis suæ protegit & tuetur hæredes &c.* Hic apertè curam omnium Ecclesiarum ad officium suum pertinere docet, & se esse successorem Petri in administratione Ecclesiæ. Et infrà Ecclesiam Romanam vocat *caput Ecclesiarum Hispaniæ*, & mandat *sua decreta alijs Episcopis insinuari*. Idem epist. 3. ad Orthodoxos per varias prouinci-

uincias, dicit *omnium Ecclesiarum curam sibi impositam, & idcirco non posse dissimulare* &c.

Zosimus epist. ad Hesychium Episcopum Salonitanum. *Sciet, quisquis hoc, postposita Patrum & Sedis Apostolicæ authoritate, neglexerit, à nobis districtiùs vindicandum, vt loci sui minimè dubitet sibi non constare ratione: si hoc putat, post tot prohibitiones, impune posse tentari.* minatur depositionem Episcopis Illyrici, qui præcepta Sedis Apostolicæ non seruant. Idem epist. ad vniuersos Episcopos per Gallias, & septem Prouincias constitutos dat varia præcepta, proposita graui pœna, tum in Episcopos, tum in alios.

Anastasius ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Episcopos, præcipit illis authoritate Apostolica, vt non sinant Sacerdotes sedere dum in Missa legitur Euangelium, sed curent eos stantes audire.

Innocentius 1. epist. 2. ad Victricium Episcopum Rhothomagensem, explicat quomodo minores causæ in Prouincia sint terminandæ, permissa tamen libertate in omnibus causis appellandi Sedem Apostolicam. deinde addit. *Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit* (Nicena) *& beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur.*

Idem epist. 17. ad Arcadium Imperat. qui Chrysostomum in exilium eiecerat. *Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reijcio te & vxorem à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri: Episcopum etiam omnem, aut Clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare, aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno.* Hic apertè ostendit se habere Iurisdictionem non solùm in omnes Episcopos & Clericos, sed etiam in ipsum Im-

Imperatorem, excommunicans ipsum &c. Epistola 32. ad Synodum Mileuitanam. *Quoties fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres & Coëpiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris authorem referre debere.* Ibidem dicit, *sibi omnium Ecclesiarum incumbere sollicitudinem.*

Celestinus epist. 6. ad Ioannem Antiochenum, dicit se tulisse sententiam in Nestorium, nisi intra certum tempus resipiscat. Similia habet in epistola ad Cyrillum.

Leo serm. 1. de natali Apostolorũ Petri & Pauli, Romam alloquens ait. *Per sacram B. Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsides religione diuina, quàm dominatione terrena. quamuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra mariq́ue protuleris; minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quòd pax Christiana subiecit.* Quibus verbis apertè loquitur de Iurisdictione. Idem in suis epistolis passim ostendit se etiam in prouincias Orientis, in Africam, & in Aegyptum Iurisdictionem habere.

Sedes Petri caput orbis præses religionis.

Gelasius epist. 2. ad Episcopos Dardaniæ. *Nec planè tacemus quòd cũcta per mundũ nouit Ecclesia, quoniã quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli ius habet resoluendi: vtpote quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi; neque de eius liceat iudicare iudicio. siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Epist. 6. cap 11. docet omnes debere cõformari *Sedi Apostolicæ, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum.*

Iudicat de omni ecclesia & omnibus Episcopis.

In commonitorio ad Faustum fungentem legatione Constantinopoli. *Isti sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sedis examen voluere deferri: ab ipsa verò numquam appellari debere sanxerunt &c.*

Ad Sedem Petri ab omnibus appellari potest.

Idem in decreto de apocryphis. *Sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis ceteris*

Ecclesia Rom. iure diuino Primatũ obtinet.

teris Ecclesijs prælata est: sed Euangelica voce Domini Saluatoris nostri Primatum obtinuit, Tu es Petrus, inquientis, & super hanc petram &c.

Anastasius PP. secundus. *Gloriosissimo & Clementissimo filio Anastasio Augusto. Per ministerium humilitatis meæ, sicut semper est, Sedes Petri in vniuersali Ecclesia assignatum sibi à Domino teneat Principatum.* & infrà ostendit se esse Superiorem Imperatoris, cuius mandatis Imperator parere teneatur.

24. Bonifacius 2. Epistola ad Eulalium Alexandrinum Episcopum. *Olim & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus authoritatem vniuersali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subuenire: & quidquid nociuum, authoritate Apostolica corrigere, & emendare.*

Ioannes 2. epist. 2. ad Iustinianam Imperat. *Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissimè Principum, puriore luce tamquã aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius authorem, hoc est Apostolorum primum Domino loquente præceptum est, Pasce oues meas: quam esse omnium Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ Reuerendissimi affatus testantur.*

Vigilius epist. 1. ad Eutheriũ Episcopũ. *Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapiendi dubium est, quòd Romana Ecclesia forma ac fundamentum sit Ecclesiarum.* Et infrà dicit, *eam omnium Ecclesiarum tenere primatum: Vnde,* inquit, *omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiorum negotia causarum eidem sanctæ Sedi reseruata esse liquet: cuius tramiti si quis obuiare tentauerit sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo*

culo

culo apud eamdem Sedem nouerit redditurum.

Hic minatur depositionem ijs, qui ipsius decreta non seruauerint. Idem ad Episcopos Galliæ committit vices suas Episcopo Arelatensi per totam Galliam cum potestate cogendæ Synodi & puniendi inobedientes.

Pelagius 1. epist 1. ad Vigilium. *Memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius est à Domino Iesu Christo glorificata confessio; cuius quidem fides omnes hæreses destruit, sed maximè impietatem præsentis erroris expugnat* &c. Epistola ad Sepaudum Arelatensem, instituit eum suum Vicarium per Gallias cum magna potestate.

Pelagius 2. epist. ad Synodum Constantinopolitanam illegitimam. *Relatum est ad Sedem Apostolicam Ioannem Constantinopolitanum Episcopum Vniuersalem se scribere, vosque ex hac præsumptione ad Synodum conuocare generalem: cùm generalium Synodorum conuocandi authoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita: & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta.* Deinde rescindit eorum acta. *Quapropter*, inquit, *quidquid in vestro conuenticulo (quia Synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuistis, ex authoritate S. Petri Apostolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi atque soluendi ipse Dominus dedit, quæ etiã potestas in successoribus eius indubitanter transiuit: præcipio omnia quæ ibi statuistis, & vana & cassa esse, ita vt deinceps numquam ventilentur.* Denique sub pœna excommunicationis præcipit, ne in posterũ tale quid ausint: addens *Romanam Sedem instituente Domino esse caput omnium Ecclesiarum.* Hoc factum Pelagij refert, & valde probat S. Gregorius l. 4. Epist. 36. & lib. 7. epist. 69. 25.

His denique S. accedat Gregorius, qui multis locis Primatum Sedis Romanæ ostendit. lib. 4. epist. 7. vniuersis Episcopis per Illyricum. *Iuxta postulationis vestra*

stræ desiderium, prædictum fratrem, & Coëpiscopum nostrum, in eo in quo est ordine sacerdotij constitutus, nostri assensus authoritate firmamus, ratamque nos eius confirmationem habere, dirigentes pallium, indicamus. Deinde cõmittit ei vices suas, & mandat omnibus, vt ei obtemperent.

Idem lib. 7. Epist. 64. *De Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subiectam? quod & pijssimus Dominus Imperator & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè confitentur.*

Lib. 11. epist. 44. *Illud autem admonemus, vt Apostolicæ Sedis reuerentia nullis præsumptionibus turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur iniuria &c.* Hic Sedem Apostolicam vocat *Caput fidei*.

Lib. 1. epist. 1. Vices suas per Siciliam committit Petro Subdiacono.

Lib. 2. epist. 33. Accusatur apud Sedem Apostolicam Maximianus Ecclesiæ Pudentianæ in Africa Episcopus. Vnde Gregorius Columbo Episcopo Numidiæ mandat, *vt adunato Episcoporum vniuersali Concilio, si reus conuincatur, à dignitate officioque degradetur.*

Lib. 2. Epist. 37. Ad Natalem Salonitanum Episcopum; vbi reprehendit illum Episcopum, quòd contempta ipsius & decessoris sententia, Honoratum Archidiaconum gradu suo deiecerit: addens, *Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumelia nullo modo transire potuisset*. Vbi apertissimè indicat se esse Superiorem etiam Patriarchis, & posse eos punire. Eiusdem Honorati causam ad se reuocat.

Lib. 7. epist. 64. Cùm de quodam crimine Primas Bizãcenus fuisset accusatus, inter cetera de illo sic scribit Gregorius. *Nam quod idem Primas se dicit Sedi Apostolicæ subijci; si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episco-*

Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.

Lib. 1. epist. 27. scribit se *vsum pallij Anastasio Patriarchæ Antiocheno concessisse*.

Deniq; in quintum Psal. pœnitent. ad illum vers. *Tota die exprobrabant &c. Rex in tantum sua temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Dominam gentium terrenæ ius potestatis vsurpet: quod omnino ille fieri prohibuit, qui hãc B. Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: Tibi dabo Ecclesiam meam.*

Omnes isti Pontifices ante annum sexcentesimum extitere, & tamen apertè suum Primatum asseruerunt, eumque per totam Ecclesiam omnibus modis, quibus authoritas & iurisdictio demonstratur, exercuere, è quibus plerique sanctitate & doctrina illustres fuere. Imò quò quisque in his fuit illustrior, eò magis hunc Primatum defendit, vt patet in Iulio primo, Damaso, Zosimo, Innocentio, Celestino, Gelasio, Leone & Gregorio, qui omnes sanctitate & doctrina fuere conspicui.

V. PROBATIO.
Ex Patrum testimonijs.

Testimonia antiquorum in hanc causam possent adferri supra mille. Nos paucis contenti erimus: qui plura desiderat, consulat Sanderum. 26.

Irenæus lib. 3. cap. 3. Cùm dixisset omnes hæreses refutari ac confundi allata doctrina Ecclesiæ Romanæ, à duobus gloriosissimis Apostolis fundatæ, quæ doctrina ab ipsis Apostolis tradita per successiones Episcoporum ad nos peruenit, addit: *Ad hanc enim Ecclesiam* Omnes hæreses per doctrinam Ecclesiæ Romanæ confundi.

 pro-

propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio. Hic dicit esse necessarium vt omnes Ecclesiæ adhæreant Ecclesiæ Romanæ: cuius rei duas insinuat rationes. prior est, quia ipse est Princeps & caput omnium: altera, quia Apostolica traditio semper ab omnibus, qui huic Ecclesiæ adhærent, hactenus seruata est, ita vt numquã ad hæreses deflexerint.

Pontifex max. Episcopus Episcoporum.

Tertullianus lib. de pudicitia cap. 1. *Audio esse Edictum propositum & quidem peremptoriũ: Põtifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dicit, Ego & mœchiæ & fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto.* Hæc scribit iam hæreticus contra Pontificem, indicans quo loco & nomine censeretur apud Catholicos: & etiam illo tẽpore toti Ecclesiæ edicta & decreta sua proposuisse seruanda.

Idem lib. contra Praxeam cap. 1. insinuat Montanistas in Asia & Phrygia à decessorib' Zephyrini Papæ fuisse excommunicatos. & Zephyrinum aliquorum informationibus fuisse inductum *ad pacem Ecclesijs Asiæ & Phrygiæ inferẽdam,* hoc est ad illos ab excommunicatione absoluendos, sed per Praxeam fuisse impulsum ad litteras pacis reuocandas. Vbi apertè agnoscit Tertullianus authoritatem Pontificis in Ecclesias Asiæ.

Victor excommunicat Ecclesias Asiæ.

Eusebius lib. 5. historiæ cap. 24. Refert Victorem Papam *excommunicasse Ecclesias totius Asiæ & omnes illis adhærentes, quòd in celebratione Paschæ se nollent alijs accommodare.* Nec obstat quòd Irenæus & alij propterea reprehenderint Victorem: quia non reprehenderunt illum de vsurpata potestate, sed quòd non videretur ea secundum regulam charitatis vsus, tot Ecclesias ob tam leuem (vt ipsis videbatur) causam à communione segregans. Itaque per hoc apertè declarabant se sentire illum habere in omnes potestatem, & Decretum ipsius validum

dum esse; alioquin non fuissent ita solliciti ne illas Ecclesias excommunicaret, & vt excommunicatas iterum ad pacem admitteret. *Nam extra suum territorium ius dicenti impune non paretur*, vt Iureconsultus ait. Addo Victorem nihil etiam contra charitatem egisse: quia res erat summi momenti, vtpote tendens ad latenter introducendum Iudaismum. Obseruabant enim Asiani pascha luna decima quarta cum Iudæis, non tamquam liberam traditionem, sed vt necessariã ex præcepto legis veteris, vt scribit Nicephorus lib. 4. cap. 38. & insinuat Polycrates in sua epistola ad Victorem, apud Euseb. suprà, cùm rationẽ reddens, cur Victori non obtemperet, ait: *oportere magis obedire Deo quàm hominibus*: apertè insinuans esse præceptum diuinum, vt vnà cum Iudæis pascha nostrum celebretur. Et Blastus eodem tempore latenter Iudaismum introducere conabatur, asserens pascha non aliter seruandum esse, quàm secundum legem Moysi, luna quarta decima, vt refert Tertullianus lib. de præscript. Denique Victoris sententia stabilita fuit in Concilio Niceno; & ex eo tempore, omnes qui cum Iudæis pascha celebrarent, hæretici habiti, & Quartadecimani appellati.

Cyprianus epist 45. ad Cornelium. *Nos*, inquit, *singulis nauigantibus* (Romam) *ne cum scandalo vllo nauigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent & tenerent*. Hic Ecclesiam Romanam vocat *radicem & matricem Ecclesiæ Catholicæ*. Et paulò pòst. *Vt te vniuersi collegæ nostri, & communicationem tuam, id est Ecclesiæ Catholicæ vnitatem pariter & charitatem probarẽt ac firmiter tenerẽt*. Est ergo Romanus Pontifex vinculum Ecclesiæ Catholicæ. Epistola 42. rursus Ecclesiam Romanam vocat *radicem & matricem Ecclesiæ Catholicæ*. 27.

27. Ecclesia Romana radix & matrix Eccl. Catholicæ.

Idem epist. 55. ad Cornelium, Sedem Romanam

Ecclesia Principalis.

vocat *Cathedrā Petri & Ecclesiam principalem, unde vnitas sacerdotalis orta est*. Vocat Ecclesiam *principalem*, quia est Principis & capitis. ab ea *orta est vnitas sacerdotalis*, quia quòd omnes per orbem Episcopi in vna fide contineantur, ab illa prouenit; nimirum quia illi adhærent. Illa est vinculum consociationis & vnionis omnium Catholicorum, omnium Ecclesiæ membrorum.

Quomodo Ecclesia sit vna.

Idem lib. de vnitate Ecclesiæ docet Ecclesiam esse vnam, licèt in multa membra sit diuisa, *sicut multi solis radij sunt vnum lumen: & multi arboris rami vnum robur* (vna quercus) *tenaci radice fundatum: & multi riui vnius fontis, vna aqua ratione vnius originis*. Deinde addit, *Auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præcisus arescet. sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur* (ratione originis à qua pendet) *ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos latiùs expandit: vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur*. Hic apertè docet omnes Ecclesias esse vnam Ecclesiam ratione vnius capitis & originis, à qua reliquæ Ecclesiæ dependent, sicut membra à capite, riui à fonte, rami à radice, radij à sole: à qua omne bonum ad reliquas dimanat. Quæ autem sit ista origo, & istud caput, satis aperit, cùm Ecclesiam Romanam vocat *Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis orta est*: cùm illam vocat *matricem & radicem Ecclesiæ Catholicæ*. Hæc enim nomina non minùs indicant illius authoritatem, & aliarum subiectionem ac dependētiam, quàm cūm dicitur *Caput* Ecclesiarum. quod enim est *caput* in animante, id est *radix* in arbore.

Nec obstat quod Cyprianus eodem lib. de vnitate Ec-

Ecclesiæ ait: *Episcopatus vnus est, cuius in solidum à singulis pars tenetur:* Inde enim non sequitur quin omnes subsint vni, & ab vno pendeant. Omnia enim membra sunt vnum corpus; caput tamen præest reliquis. & omnes partes arboris constituunt vnam arborem; tamen radix habet vim in ceteras &c. Ita omnes Episcopatus constituunt vnam potestatem completam, qua corpus Ecclesiæ gubernatur: in hac tamen ita potestas Romani Episcopi eminet, vt ceteris præsit, & in ea ceterarum vis contineatur. Ecclesia similis est rebus compositis ex partibus heterogeneis, quæ partes ita inter se sint dispositæ & connexæ, vt ceteræ omnes ab vna principali dependeant, à qua vim omnem accipiant. Idem dicendum de Episcopatu, & Ecclesiastica potestate.

Athanasius apologia 2. *Vrsacius & Valens Romam profecti peccata sua cum pœnitentia confessi sunt, gratiamque facti postularunt*. Et infrà ponit litteras eorum ad Iulium Papam, in quibus fatentur suas calumnias in Athanasiũ, & promittunt emendationem, & faciunt fidei professionem, damnantes Arium, & recipiunt Athanasij communionem, addita hac causa: *Maximè*, inquiunt, *quia tua Pietas veniam secundum suam genuinam pietatem nostro errori impertiri dignata est*. At cur apud Iulium culpam suam fatentur, & veniam petunt, & emendationem promittunt, & non potiùs apud Athanasium, in quem peccauerant, nisi quia Iulium agnoscebant suum Superiorem? 28.

Idem in opusculo de sententia Dionysij Alexandrini dicit quosdam Catholicos iuisse Romam, & accusasse Dionysium Patriarcham Alexandrinum apud Romanũ Pontificem, quòd videretur Filium Dei facere minorem Patre. Sentiebant ergo isti Romanum Pontificem esse illius Superiorem.

Basilius epist. 52. ad Athanasium Ancyræ Episcopum

pum, dicit *sibi videri consentaneum vt scribatur ad Episcopum Romanum, vt sua authoritate in negotio vtatur* (αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα) *& deligat viros idoneos, quos mittat ad visitandas Ecclesias Orientales, & ad exterminandam hæresim Marcelli, tamquam à sana fide alienam*. Habet ergo Episcopus Romanus iuxta Basilium in Ecclesias Orientales authoritatem.

Gregorius Nazianzenus epist. 2. ad Cledonium. *Quod Damasus quoque ipse cùm postea rectiùs edoctus fuisset, simulque in pristinis eos expositionibus perstare audijsset, eos ab Ecclesia proscripsit, fideique libellum cum anathematismo deleuit*. Loquitur de Apollinari, & eius discipulis, qui Damasum oblata fidei confessione, sana quidem iuxta communem intellectum, sed peruersa iuxta mentem illorum, deceperant: qua fraude intellecta Damasus eos excommunicauit, cùm tamen essent Orientales.

Chrysostomus epist. ad Innocentium Papam. *Obsecro te, vt scribas quòd hæc tam iniquè facta nō habeant robur. illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant. Nos autem insontes Ecclesijs nostris iubete restitui*. Hic tria petit Chrysostomus veræ Iuridisdictionis opera à Romano Pontifice. 1. vt acta Synodi contra Chrysostomum declaret irrita. 2. vt puniat eos qui iniquè egerunt. 3. vt iubeat illum restitui suæ Ecclesiæ.

Ambrosius oratione in obitum fratris. *Percunctatus est ex eo* (Satyrus) *vtrumnā cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret?* Idem ergo Ambrosio, cōuenire cum Catholicis, & cum Romana Ecclesia: nimirū quia omnes Catholici cum illa, tamquam cum sua matre conuenire debent. Idem epistola 81. ad Siricium Papā vocat illum *Pastorem & custodem ouilis Christi, dignum quem oues Domini audiant & sequantur* &c. Et in cap. 3. prioris ad Timotheum. *Ecclesia est domus Dei, cuius hodie Rector est Damasus*.

Op-

Optatus Mileuitanus l. 2. aduersus Parmenianum. „
Negare non potes scire te in vrbe Roma Petro primò ca- „
thedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit „
omnium Apostolorum caput Petrus (vnde & Cephas „
appellatus est) in qua vna cathedra ab omnib' vnitas ser- „
uaretur, ne ceteri Apostoli singulos sibi defēderent, vt iā „
schismaticus & peccator esset, qui cōtra singularē cathe- „
dram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica est &c. „
Vnicam dicit, quia est vna suprema cui omnes debent copulari & subesse.

Sic Prudentius de S. Hippolyto.

Vna Sedes vigeat, prisco quæ condita sæclo est;
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.

Hieron. epist. 57. ad Damasum, ex deserto Syriæ consulit Sedem Romanam. *Apud vos solos*, inquit, *Patrum incorrupta seruatur hereditas. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos vasa aurea & argentea* &c. Et infrà. *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, hoc est Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio*. Et infrà. *Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Itaque omnes Caluinistæ cùm non adhæreant Sedi Romanæ ad Antichristum pertinent, iuxta Hieronymū. Ibidē vocat se *ouiculam*, & Damasum suū *Pastorē*, cùm tamē ipse Paulino Antiocheno Patriarchæ subesset. 29.

Augustinus Epistola 157. *Iniuncta nobis à venerabili Papa Zosimo Apostolicæ Sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas ad Cæsaream in Mauritania nos traxerat*. Poterat ergo Pontifex Romanus præcipere Episcopis Africanis, & imponere necessitatem indicendi Synodum. quod etiam refert Possidius in vita Augustini cap. 14.

Epist. 106. *Missæ sunt hac de re à duobus Concilijs Carthaginensi & Mileuitano relationes ad Apostolicam Sedem* &c. *Ad omnia nobis Innocentius Papa rescripsit eo modo quo fas est, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem*. Cur Synodi Africanæ referunt Acta sua ad Sedē Apostolicam confirmanda, nisi quia ipsum agnoscunt Superiorem?

Epist. 162. *Episcopum Cæcilianum potuisse non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cùm se videret, & Ecclesiæ Romanæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit per communicatorias litteras coniunctum: vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.*

Seuerus Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ. *Instantius, Saluianus & Priscillianus in Synodo apud Cæsaraugustam damnati, Romam profecti sunt, vt apud Damasum Vrbis ea tempestate Episcopum, obiecta purgarent*. Cur damnati à Synodo Hispaniæ volunt se purgare apud Damasum, si Damasus non erat Synodo Superior, qui damnatos posset absoluere?

Vincentius Lirinensis contra hæreses cap. 42. Iuliū Vrbis Romæ Episcopum vocat *Caput orbis*. Prosper l. contra ingratos c. 2.

——pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri; quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo: quidquid non possidet armis,
Relligione tenet. ——

Idem lib. 2. de vocat. gentium c. 16. *Quæ* (Roma) *per Apostolici Sacerdotij Principatum, amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.*

Victor Vticensis lib. 2. de persecutione Vandalica. *Veniant Coëpiscopi mei qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana,*

quæ

quæ caput est omnium Ecclesiarum.

Episcopi Metropolis Arelatensis epist. ad Leonem. refert eam Baron. tom. 7. p. 713. *Per Beatissimum Petrum Apostolorum Principem sacrosancta Romana Ecclesia tenet supra omnes mundi Ecclesias Principatum.*

Ennodius lib. de Synodis sub Symmacho. *Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis Apostolicæ factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium vbique est, submittitur; dum totius corporis caput esse designatur: de qua mihi videtur dictum per Prophetam, si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium.*

Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Iesu Christi cap. 11. *Quod Romana (quæ cacumen est mundi) tenet & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis &c.*

Cassiodorus lib. 11. epist 2. ad Ioannem Papam. *Vos speculatores Christiano populo præsidetis: vos patris nomine vniuersa dirigitis. Securitas ergo plebis ad vestram spectat famam, cui diuinitus est commissa custodia. quapropter nos decet custodire aliqua, vos omnia.* Et infrà. *Sedes illa toto orbe mirabilis proprios regat affectione cultores: quæ licèt generalis mundo sit præstita, vobis etiam cognoscitur & localiter attributa.* Singula expendenda. nam apertè indicāt generalem in omnes Iurisdictionem, non solùm in spiritalibus, sed etiam in temporalibus: quatenus videlicet necessarium ad spiritalia. Addit enim. *Pascitis quidem spiritaliter* (commissum vobis) *gregem, tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate: ita boni patris est vtraque refouere.*

Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in Breuiario cap. 21. refert Agapitum Papam deposuisse Anthimum Constantinopolitanum Patriarcham, & Menam pro eo ordinasse. Et cap. 22. Cùm Syluerius Papa ab Imperatore missus esset Pataram in exilium, venerabilis Episcopus

» piscopus ciuitatis illius venit ad Imperatorem, & iudi-
» cium Dei contestatus est de tantæ Sedis Episcopi expul-
» sione, multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non
» esse vnum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi to-
» tius. quem audiens Imperator, reuocari Romam Syl-
» uerium iussit.

Hi omnes extitere ante annum sexcentesimum, & Primatum Romani Pontificis agnouere. De posterioribus nec aduersarij negant.

VI. PROBATIO.
Ex testimonijs Imperatorum, & Principum.

30. HIS addamus aliquot Principum confessionem, omissis illis qui iam à mille annis, nimirum à tempore Phocæ Imperatoris, qui Bonifacium tertium *Oecumenicum Episcopum* appellauit, & vetuit ne Patriarcha Constantinopolitanus hoc titulo vteretur, extiterunt. quia fatetur Author pag. 106. omnes Principes Christianos ab eo tempore hanc potestatem in summo Pontifice veneratos esse. itaque solùm adducemus eos qui ante illud tempus regnarunt.

Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Imppp. L. 1. C. de summa Trinitate, & fide Catholica, ducentis ampliùs annis ante Phocam. *Cunctos populos quos Clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret.* Quare iubet omnes sequi fidem Ecclesiæ Romanæ, nisi quia ipsa est Princeps, & Magistra omnium Ecclesiarum?

Valentinianus tertius epist. ad Theodosium Impera-
» torem annis 160. ante Phocam. Cùm venissem ad Vr-
» bem Romam, rogatus sum à Romano Episcopo, & alijs

scribere

scribere vestræ Mansuetudini de fide, quæ dicitur per- »
turbata. quã nos à nostris maioribus traditam debemus »
defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Petro »
Apostolo intemeratam conseruare: quatenus Beatissi- »
mus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatũ sacer- »
dotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, & »
facultatem de fide & sacerdotibus iudicare. Hac enim »
gratia secundum solemnitatem Conciliorum, & Con- »
stantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, »
propter contentionem, quæ orta est de fide &c.] Itaque »
Pontificem Romanum esse *Principem sacerdotum*, & *posse iudicare de fide, & de omnibus Episcopis*, iam tunc Imperatore teste, erat res antiqua.

Valentinianus & Martianus AA. Epistola ad Leonem PP. *Ad hoc maximum Imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus Excellentissimi, cunctæque militiæ. Vnde pro reuerenda & catholica religione, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem Principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris literis credimus in principio alloquendam.* Nota, *Principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem.*

Martianus Augustus epist. ad Leonem annis 150. ante Phocam, petit à Leone, vt curet celebrari Synodum in Oriente, *quò Episcopi Orientis, Thraciæ, & Illyrici conueniant, & quæ Catholicæ religioni prosint. sicut*, inquit, *Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.* Hic agnoscit Imperator authoritaté in Rom. Pont. cogendi Synodum in Oriente, illamque dirigendi, & illi præscribendi quæ tractanda.

Iustinianus Imperator annis 70. ante Phocã epist. ad Ioannem PP. C. de Summa Trinitate, & fide catholica. Reddentes honorem Apostolicæ Sedi & Vestræ »
Sanctitati (quod semper nobis in voto fuit, & est) & »
vt decet, patrem honorantes Vestrã Beatitudinem, om- »

„ nia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus
„ ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis: quoniam semper
„ fuit nobis magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ
„ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire,
„ qui hactenus obtinet & incommotè permanet. Ideoque
„ omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus & subijcere, & vnire Sedi vestræ Sanctitatis properauimus.] Et
„ infrà. Nec enim patimur quidquam quod ad Ecclesiarum
„ statum pertinet, vt non etiam Vestræ innotescat Sancti-
„ tati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Hic Iustinianus apertè fatetur, *Romanum Pontificem esse caput omnium Ecclesiarum*. & ideo omnia quæ vbique geruntur, ipsi debere innotescere, ipsi debere omnes subijci, & vniri.

Idem Authent. vt Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscript. *Vt legum originem Roma anterior sortita est: ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus patriam legum, fontem sacerdotij speciali nostri numinis lege illustrare &c.*

Ex quibus patet, diu ante Phocam, Primatum Romani Pontificis ab Imperatoribus fuisse agnitum: ac proinde falsum esse hæreticorum commentum eum à Phoca primùm concessum.

VII. PROBATIO.
Ex varijs rationibus & indicijs.

31. AVTHORITAS & Iurisdictio Principis, ex vsu, functionibus, & effectis elucet. Si esset aliquis Princeps politicus, qui plurimis sæculis orbi dedisset leges, Regibus particularium regnorum posuisset præcepta, statuisset pœnas, abdicasset inobedientes, confirmasset electos, restituisset iniquè expulsos, indixisset comitia,

comitia, appellationes ex omnibus Prouincijs admiſiſſet, iudicia retractaſſet, ſententias roboraſſet vel in irritum reuocaſſet, cauſas grauiores vbique emergentes ſuo tribunali reſeruaſſet; & hæc omnia miro regnorũ & populorũ omniũ conſenſu feciſſet: quis dubitare poſſet de talis Principis in totum orbem Primatu & Iuriſdictione? quis non diceret illum eſſe Regum Regem, & Iudicem? Itaq; cùm Romanos Pontifices hæc omnia omnibus ſæculis, in tota Eccleſia feciſſe cõſtet: nemo ſanæ mentis de eius Primatu & Iuriſdictione in totam Eccleſiã, ambigere poteſt.

PRIMA RATIO
Ex Legibus & Præceptis.

PRimùm enim, præſcribere leges & dare præcepta, certiſſimum ſignũ eſt Iuriſdictionis; præſertim cùm 32 ipſa ratio Iuriſdictionis potiſſimùm in poteſtate præcipiendi conſiſtat. Atqui conſtat iam inde ab initio Eccleſiæ naſcentis Romanos Pontifices toti Eccleſiæ, & Epiſcopis aliarum Prouinciarum dediſſe leges, ac mandata. Plerique enim ſingulis ſæculis Decretales Epiſtolas ad varias Prouincias ſcripſere; quibus quid vel in fidei quæſtionibus credendum ſit, aut in cultu diuino & moribus ſeruandum, ex authoritate declarant; vel varia de varijs rebus ad bonum Eccleſiæ pertinentibus ſtatuunt, ordinant, & præcipiunt: vt de ratione in iudicijs Eccleſiaſticis ſeruanda; de ritibus cultus diuini, & Sacramentorum; de Eccleſiarum gubernatione; de correctione morum in clero, aut populo; de fidei integritate retinenda, & alijs huiuſmodi, quæ ad formam Eccleſiæ, vel ſalutem animorum ſpectant. Oſtendam id aliquot exemplis.

Euariſtus epiſt. 1. ad Epiſcopos Africæ, præſcribit quomodo ineunda ſunt Chriſtianis connubia. Epiſt. 2. ad E-

ad Episcopos Aegyptios, statuit vt Episcopus Ecclesiam suam non dimittat, nec sua dimissa alteram capessat. Vt sententiam non ferat nisi re antea diligenter discussa. Alexander epist. ad omnes orthodoxos; præscribit in sacrificio miscendam aquam vino; populum aqua benedicta adspergendum; & quomodo hæc conficienda. Sixtus statuit sacra vasa non nisi à sacratis ministris contrectanda; & alia quædam circa liturgiam. Telesphorus in epist. decretali ad vniuersam Ecclesiam, statuit vt clerici septem hebdomadas plenas ante Pascha à carnibus abstineant; & vt nocte Natiuitatis Dominicæ tres missas celebrent. Pius statuit Pascha die Dominico post decimam quartam lunæ celebrari, & varios canones pœnitentiales sancit. Anicetus epist. ad Episcopos Galliæ quædam præscribit de ordinatione Archiepiscoporum, & habitu Clericorum. Soter epist. 2. ad Episcopos Italiæ multa constituit circa cultũ diuinum, & præcipit ab omnibus seruari. Eleutherius instruit Prouincias Galliæ, nullas escas vt immundas refutandas: Britannis petente Lucio eorum Rege, ministros Euangelij mittit, & Episcopos ordinat. Fabianus epist. ad Orientales quotannis chrisma in die Cœnæ Domini cõficiendum, & vetus cremandum. *Ista*, inquit, *à sanctis Apostolis & eorum successoribus accepimus, & vobis seruanda mandamus*. Ter, vt minimum, quotannis omnibus fidelibus cõmunicandũ. Cornelius ep. ad Rufũ Episcopum Orientalem vetat ab Episcopis, & Dei ministris exigi iuramentum, nisi pro recta fide. Item iuramentum à ieiunis nuncupandum. Lucius epist. 1. ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ, excommunicat eos qui bona Ecclesiæ occupant, vel Ecclesijs vexationem inferunt. Decernit vt ministri altaris Presbyteri, & Diaconi non eligantur, nisi qui continentiam seruant, & alia quædam circa conuersationem Clericorũ cum feminis.

Et

Et vt antiquiores omittã, quàm multa statuit Syluester, Iulius primus, Felix secundus, Damasus, Siricius, Zosimus, Anastasius, Innocentius, Leo, Pelagius & Gregorius magnus, ad vniuersam Ecclesiam, vel ad exteras Prouincias pertinentia? Quàm sæpe præscribunt quid credendum, quid in moribus, & vsu tenendum & seruandum? Quanta authoritate Episcopis aliarum Prouinciarum dant præcepta? Denique omnibus sæculis multæ Decretales à Romanis Pontificibus editæ, quæ huiusmodi præscriptis, & mandatis sunt plenæ.

SECVNDA RATIO,
Ex pœnis.

2. NEque solùm leges & præcepta alijs omnibus dedere, sed etiam minas & pœnas in præuaricatores addidere, easque sæpius sunt executi: quo nullum potest esse certius argumentum Iurisdictionis & potestatis coactiuæ. Anicetus epist. ad Episcopos Galliæ, iubet Metropolitanum, qui non seruat rationem in Iudicijs præscriptam, ad Sedem Apostolicam deferri; *vt*, inquit, *vindicta de eo fiat, & ceteri timorem habeant*. Liberius epist. ad Athanasium. *Nulli liceat statum sanctæ Ecclesiæ cõmouere absque sui periculo honoris*. Innocentius 1. epist. 17. Arcadium Imperatorem & eius Vxorem, longissimè absentes, nimirum Constantinopoli agentes, excõmunicat, quòd Chrysostomum restitui non permisissent, vt Innocentius iusserat; & omnes Episcopos, ac Clericos communionem sacram illis porrigentes, dignitate priuat. Zosimus præscribit legem circa ordinationem ministrorum, & tam ordinantem, quàm ordinatum, qui contrà fecerit, ab executione sacerdotij suspendit: *Vterque*, inquit, *Sacerdotio se carere cognoscat*. Cælestinus epist. ad Cyrillum Alexandrinum, mandat Cyrillo, vt 33.

nisi Nestorius intra decem dies resipiscat authoritate Sedis Apostolicæ alium eius loco in Ecclesia Constantinopolitana substituat. Leo 1. Epist. 80. ad vniuersos Episcopos Campaniæ, cùm quædam scripsisset de tempore solemnis baptismi, addit: *Si quis post hoc interdictum, in eadem fuerit vsurpatione detectus, dignam pertinaciæ suæ incidet vltionem*. Hilarius PP. in Concil. Romano. *Nulli fas sit absque status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare*. Vigilius epist. 1. ad Eutherium Episcopum, cùm ostendisset deferendum esse appellationi ad Sedem Apostolicam, addit: *Cuius tramiti si quis obuiauerit sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo, apud eamdem Sedem nouerit redditurum*. Pelagius 2. cum irritasset acta Synodi Constantinopolitanæ illegitimæ, addit. *Vos quoque deinceps nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis*. Gregorius magnus lib. 2. epist. 37. apertè insinuat se quemuis ex quatuor Patriarchis, culpa exigente, punire posse. Lib. 7. epist. 64. Dicit omnes Episcopos Sedi Apostolicæ esse subiectos, si culpam aliquam admiserint.

34. Neque solùm pœnas suis legibus sunt minati, sed etiam sæpissime sunt executi. Nam præter excommunicationis sententiam in Episcopos aliarum prouinciarum, & in summos Principes sæpius latam, non rarò Episcopos suo gradu deiecerunt, & Episcopali dignitate priuarunt, alijs in eorum locum subrogatis.

Damasus deposuit Flauianum Patriarcham Antiochenum, teste Theodoreto lib. 5. historiæ cap. 23. Leo 1. Dioscorum Patriarcham Alexandrinum. nam actione tertia Concil. Chalcedonensis per legatos Leonis consentiente Concilio, spoliatus est omni dignitate Episcopali, & omni ministerio sacerdotali abdicatus. Vnde Gelasius Epistola ad Episcopos Dardaniæ: *Dioscorum se-*

secundæ Sedis Præsulem sua authoritate Sedes Apostolica damnauit. Sixtus 3. deposuit Polychronium Episcopum Hierosolymitanum per Leonem Archidiaconum (qui postea fuit Papa Leo primus) quem eam ob causam Roma in Orientem miserat; vt patet ex actis Sixti 3. Denique multi Episcopi Constantinopolitani per Romanos Pontifices gradu suo deiecti fuere: *Ex quibus vt paucos commemoremus* (inquit Nicolaus primus epist. ad Michaëlem Imperatorem) *nonne Maximus, postquam multùm à Damaso Papa laboratum est, Constantinopoli pulsus est? Nonne Nestorius? Nonne Acacius? Nonne Anthimus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Sedis Apostolicæ discurrẽtibus consultationibus ac decretis, eiecti sunt?* Et Gelasius in commonitorio ad Faustum: *In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & ceteri sola Sedis Apostolicæ authoritate sunt deiecti; cuius rei testis est ipse Acacius, qui præceptionis huius extitit executor.*

Præterea Damasus abdicauit Apollinarem & Timotheum, teste Theodoreto l. 5. hist. c. 10. Leo epist. 87. priuat Hilarium Viennensis Prouinciæ potestate, quia Sedi Apostolicæ rebellis fuerat.

Gregorius magnus cùm apud illum accusatus esset Maximianus Africæ Episcopus, mandat Columbo Episcopo Numidiæ, vt adunato Episcoporum Vniuersali Concilio, si reus conuincatur, à dignitate officioque degradetur: vt constat ex l. 2. epist. 33.

Idem Gregorius quemdam Hispaniæ Episcopum, qui in Ecclesia alterius Episcopi adhuc viuentis ordinari præsumpserat, priuat sacerdotio & omni Ecclesiastico ministerio, & iubet haberi in custodia, vel ad se Romã transmitti. Episcopos qui illum ordinarãt, sex mensibus priuat sacra cõmunione, & addicit pœnitentiæ in monasterio: vt patet l. 11. epist. 50. & 53. Idem per

Vicarium deponit Anastasium Episcopum in Græcia; & punit eius Clericos lib. 4. epist. 50. Prætereo exempla alia plurima, ex quibus perspicuum est, quãta semper in omnes Romani Pontificis fuerit potestas; vt qui omnibus potuerit dare leges & præcepta, & omnes non obtemperantes castigare.

TERTIA RATIO,
Ex Vicarijs.

35. 3. PRobari potest authoritas suprema Summi Pontificis ex eo, quòd in alijs Prouincijs constituere solet Vicarios, qui nomine ipsius visitarent, præessent, causam cognoscerent, & similia Iurisdictionis munia obirent, qui modo dicuntur Nuntij Apostolici, vel Legati. hi omnes Prouinciæ Episcopos antecedebant; in omnes authoritatem habebant.

Basilius epist. 52. dicit scribendum ad Damasum, vt authoritate Apostolica mittantur aliqui, qui visitent Ecclesias Orientis, & corrigant, quæ ibi corrigenda. Cælestinus Papa vices suas in causa Nestorij committit Cyrillo, & mãdat, vt Nestorio Episcopo Constantinop. deposito, alium in eius locum præfici curet: vt constat ex epist. ipsius ad Cyrillum. Zosimus epist. ad Vniuersos Episcopos per Gallias, Arelatensem præficit toti Galliæ in causis Ecclesiasticis.

Leo epist. 84. apertè indicat Episcopos Thessalonicenses solere esse Vicarios Sedis Apostolicæ in regendis Ecclesijs Orientalibus. *Sicut*, inquit, *prædecessores mei prædecessoribus tuis; ita etiam ego dilectionem tuam, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, adiuuares, & longinquis ab Apostolica Sede Prouincijs, præsentiam quodammodo nostræ visitationis*

tationis impenderes. Et infrà. *Vices enim nostras ita tuæ credimus Charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis &c*. Epist. 87. ad Episcopos Africæ, committit vices suas Potentio per Mauritaniam Cæsariensem. *Cùm*, inquit, *de ordinationibus sacerdotum quadã apud vos illicitè vsurpata, crebrior ad nos cõmeantium sermo perferret: ratio pietatis exigit, vt pro sollicitudine, quam vniuersa Ecclesiæ ex diuina institutione impendimus, rerum fidẽ studeremus agnoscere, vicem curæ nostræ fratri, & consacerdoti nostro Potentio iniungentes, qui de Episcopis, quid veritas haberet, inquireret, & nobis omnia fideliter indicaret &c*.

Simplicius Papa commisit Acacio Episcopo Constantinop. vices suas in disponendis negotijs Ecclesiæ Alexandrinæ, & Patriarcha Alexandrino deponendo: vt constat ex epist. Simplicij ad Acacium, & Acacij responso. Et ex epist. Gelasij ad Episcopos Dardaniæ.

Hormisda epist. 4. Salustium Hispalensem Episcopum constituit suum Vicarium per Bœticam, & Lusitaniam, monens vt vbique Patrum decreta seruari faciat.

Vigilius epist. ad Episcopos Galliæ. *Auxentio fratri & Coëpiscopo nostro Arelatensis ciuitatis Antistiti, vices nostras Charitas vestra nos dedisse cognoscat*. Ibidẽ dat ei potestatem cogendi Synodum quoties iudicauerit expedire, mandans authoritate Apostolica, vt omnes illi obtemperẽt: & nemo sine eius epistola formata ad longinquiora loca audeat proficisci. Idem Episcopum primæ Iustinianæ constituit suum Vicarium in Prouincijs Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, item Triballiæ, ac Dardaniæ, Mysiæ superioris, & Pannoniæ: vt colligitur ex Nouella Iustiniani 131.

Pelagius 1. vices suas per Gallias cõmittit Sepaudo Arelatensi. *Sedis*, inquit, *nostræ Vicarius institutus ad in-*

ſtar noſtrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas: & quidquid ad gubernationem, vel diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſeruatis Patrum regulis, & Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, diuini iudicij conſideratione diſpenſes &c.

Gregorius lib. 2. epiſt. 33. vices ſuas committit Columbo Epiſcopo Numidiæ in Africa. & lib. 11. epiſt. 50. Ioanni defenſori eunti in Hiſpaniam. lib. 4. epiſt. 52. Virgilio Arelatenſi per Galliam. lib. 10. epiſt. 36. ſcribens Epiſcopo Scodritano. *Ioannes*, inquit, *primæ Iuſtinianæ Epiſcopus ſeruat vices noſtras &c.* Martinus primus vices ſuas cum magna poteſtate in prouincijs Orientis delegat Epiſcopo Philadelphiæ, vt liquet ex epiſt. eius 10. & 11.

Ex quibus patet Romanos Pontifices in longiſſimè diſſitis Prouincijs ſuos Vicarios habuiſſe: quod eſt clariſſimum ſupremæ Iuriſdictionis argumentum. Quantam autem hi Vicarij Pontificis haberent authoritatem, & quanta præſidia ad exequendum quod ſtatuerant; patet ex epiſtola 261. S. Auguſtini ad Cæleſtinum. & ex epiſt. 88. S. Leonis, & ex S. Gregorij lib. 11. epiſt. 50. Præſto enim illis erat apparitura ſæcularis, & ſubſidium Præfectorum Prouinciæ, vt ex prædictis authoribus conſtat.

QVARTA RATIO,
Ex reſeruatione cauſarum grauiorum.

36. 4. PRobatur eadem authoritas ex eo quòd cauſæ Epiſcoporum in quibus agebatur de eorum depoſitione, vel tranſlatione, & aliæ maioris momenti, ſemper fuerint Apoſtolicæ Sedi, per totam Eccleſiam Catholicam reſeruatæ: quod etiam eſt ſignum euidens ſupremæ illius authoritatis, & ſubiectionis aliorum. Qui enim

enim non habet in alios Iuriſdictionem, non poteſt eorum causas, & lites ſuæ cognitioni reſeruare: vt per ſe notum eſt.

Sixtus 2. *Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia, antiqua Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum, atque canonum authoritas reſeruauit*. Marcellus primus epiſt. ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ. *Ad quam* (Petri Sedem) *cuncta maiora Eccleſiaſtica negotia, diuina diſponente gratia, iuſſa ſunt reſeruari*. Et infrà. *Epiſcoporum iudicia, & ſummarum cauſarum negotia, Apoſtolicæ Sedis authoritate ſunt agenda, & finienda*. Melchiades ad Epiſcopos Hiſpaniæ. *Epiſcopos nolite iudicare, nolite condemnare abſque huius Sedis authoritate: quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra iudicia, & vos condemnabimini. hoc enim priuilegium huic ſanctæ Sedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſeruare, quod illæſum manet vſque in hodiernum diem*.

Similia habet Alexander primus, Sixtus primus, Anicetus, Eleutherius, Victor, Zephyrinus, & alij: Sæpè enim hoc primis illis ſæculis erat ingerendum, vt rectus iudiciorũ ordo ſtatueretur. Eadem habet Iulius 1. epiſt. 1. & 2. Felix 2. epiſt. 1. ad Athanaſiũ, & ceteros Aegypti Epiſcopos. Damaſus epiſt 2. ad Stephanũ, & ad Concilia Africæ. Innocentius primus epiſt 2. ad Victricium Rhothomagenſem. *Si maiores*, inquit, *cauſæ in mediũ fuerint deuolutæ, ad Sedẽ Apoſtolicã ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit reſerantur*.

Leo epiſt. 88. apertè indicat maiores cauſas Eccleſiæ ſolere Sedi Apoſtolicæ ſeruari, etiamſi ipſa Vicarios in Prouincias longè diſſitas mitteret. Vigilius epiſt. ad Eutherium Epiſcopum. *Omnium appellantium Apoſtolicam Sedem Epiſcoporum iudicia, & maiorum negotia cauſarum eidem ſanctæ Sedi reſeruata eſſe liquet &c.* Gregorius magnus lib. 4. epiſt. 52. reſeruat ſibi maiores cauſas per

Galliam

Galliam. & epist. 50. ad Episcopum Corinthiorum dicit Vicarium suum, deposito Anastasio, ex sua commissione quorumdam causas reseruasse Sedi Apostolicæ.

QVINTA RATIO,
Ex Iure appellationis, & retractatione iudiciorum aliorum Episcoporum.

37. 5. PRobatur hæc suprema authoritas ex eo quòd semper licuerit ex omnibus Prouincijs ad Sedem Apostolicam appellare: & ipsa aliorum sententias solita sit vel confirmare vel in irritum reuocare: restituendo in suas Sedes eos qui iniquè pulsi fuerant. Vnde perspicuè colligitur, Pontificem Romanum in tota Ecclesia semper habitum supremum omnium Iudicem, qui omnibus personam Christi tamquam Vicarius repræsentaret. Ius esse omnibus ad Sedem Apostolicã appellare, affirmant omnes suprà in probatione 4. citati. Adducam verba paucorum, quæ etiam ab aduersarijs non negantur. Innocent. primus epist. 2. ad Victricium. *Si qua causa vel contentiones inter clericos fuerint exortæ, vt secundum Synodum Nicenam congregatis eiusdem Prouinciæ Episcopis iurgium terminetur: nec alicui liceat (sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cuius in omnibus causis debet reuerentia custodiri) relictis Episcopis eiusdem Prouinciæ, ad alias Prouincias conuocare.* Hic apertè indicat, etiamsi non liceat ad alios extra Prouinciam appellare, semper tamen posse appellari Sedem Apostolicam.

Leo epist. 92. ad Episcopos Prouinciæ Viennensis
„ c. 2. Nobiscũ vestra fraternitas recognoscat Apostolicã
„ Sedem pro sui reuerentia à vestræ etiam Prouinciæ sacer-
„ dotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro
„ diuersarum (quemadmodũ vetus consuetudo poscebat)
„ appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse

fuisse iudicia.] Et infrà. Sed hunc tramitem semper in- „
ter maiores nostros seruatum, & bene tentum, & salu- „
briter institutum, Hilarius Ecclesiarum statum nouis „
præsumptionibus turbaturus excessit &c.] Fuit ergo, „
testimonio S. Leonis, hæc cõsuetudo ab initio Ecclesiæ semper seruata.

Gelasius epist. 2. ad Episcopos Dardaniæ. *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpote quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi: neque de eius liceat iudicare iudico. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt. ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Eadem habet & quidem fusiùs in commonitorio ad Faustum fungentem legatione Constantinopoli.

Vigilius epistola ad Eutherium Episcopum. vide suprà probat. 4. Nicolaus primus epist. 8. ad Michaë- 38.
lem Imperatorem. Omitto posteriores. constitutum autem id fuit in Concilio Oecumenico Sardicensi circa annum Domini 351. can. 4. & 7. Canone 4. sic habetur: *Si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum iudicium renouetur; si vobis placet S. Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur ab his qui causam examinarunt, Romano Episcopo: & si iudicauerit renouandum iudicium, renouetur, & det Iudices. Si autem probauerit talem esse causam, vt non refricentur quæ acta sunt; quæ decreuerit confirmata erunt. & respondit tota Synodus, Placet.*

Canone 7. Placuit, vt si Episcopus accusatus fuerit, „
& iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & „
de gradu suo eum deiecerint; si appellauerit qui deiectus „
est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & „
voluerit se audiri; si iustum putauerit, vt renouetur iu- „
dicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis „

„ dignetur, qui in finitima, & propinqua Prouincia sunt,
„ vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanũ, vt è latere suo Presbyterũ mittat, erit in potestate Episcopi Romani quid velit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius authoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

39. Vbi notandũ, nihil hic Episcopo Romano præcipi, nec vllum Ius nouum illi tribui in appellationibus admittendis; sed tantùm id agi, ne Episcopi Prouinciæ, qui causam iudicarunt, appellantem impediant, sed ob honorem Sedi B. Petri debitum, appellationi deferant: & rogari Romanum Pontificem, vt iudices vicinos assignet, vel etiam è suo latere mittat. His accedit perpetuus Ecclesiæ vsus. Basilides enim Episcopus Hispaniæ ob sua crimina priuatus Episcopatu à Synodo, confugit Romam ad Stephanum Papam, & falsis narrationibus cum fallens, curauit se ab eo in Episcopatum restitui: vt refert Cyprianus epist. 68. *Basilides*, inquit, *Romam pergens collegam nostrum longè positum, & gestæ rei, & tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi se iniustè in Episcopatũ, de quo iustè fuerat depositus*. Hanc restitutionem vult Cyprianus esse inualidã, non ob defectum potestatis, sed quia fraude extorta; vnde dicit Stephanũ excusandũ. Rursus Fortunatus & Felicissimus Episcopi Africani excõmunicati à Synodo in Africa, Romã se conferunt ad Cornelium Papam, ibi causam suam acturi. Vnde Cyprianus epist. 55. ad Cornelium Papã multis agit, vt causa eorum non Romæ, sed in Africa discutiatur, vbi facilè accusatores & testes haberi possunt.

Marcel-

Marcellus Ancyræ Episcopus in exilium eiectus, quòd videretur cum Sabellio sentire, appellauit ad Iulium Papam, & Romam se conferens, rogauit Pontificem, vt suos accusatores Romam accerseret, & ibi eius causa discuteretur. ita Epiphanius hæresi 72. Eodem tempore Athanasius Alexandrinus, & Paulus Cõstantinopolitanus depositi à Synodo Antiochena, Romam ad Iulium Papam se receperunt, & curarunt suos aduersarios Romam citari, qui cùm non comparerent absoluti fuere, & suis sedibus authoritate Romani Pontificis restituti: qui etiam minatus est Orientalibus se in posterum non passurum eos inultos esse, nisi nouis rebus studere desisterent. ita refert Sozomenus l. 3. c. 7. & Socrates l. 2. c. 11. Et quidem hæc omnia ante Synodum Sardicensem facta, vt ex Socrate constat.

Instantius, Saluianns, & Priscillianus in Synodo Cæsaraugustana damnati, Romam profecti sunt ad Damasum Papam, vt apud eum causam agerent, & obiecta purgarent. verùm Damasus conscius criminũ ipsorum, eos non admisit: vt scribit Seuerus Sulpitius l. 2. historiæ sacræ. Ioannes Chrysostomus à Theophilo Alexandrino depositus, confugit ad Innoc. Papam, rogans illum vt acta Synodi rescinderet, & aduersarios suos pœnæ Ecclesiasticæ subijceret, & se suæ Ecclesiæ restitui iuberet: vt constat ex epistola ipsius ad Innocentium Papam.

D. Augustinus epist. 261. adfert tria exempla Episcoporum sui temporis ex vna Africæ Prouincia, qui à Synodo in Africa damnati, ad Sedem Apostolicam appellarunt: qui etiam spoliati fuere administratione, retento solo titulo Episcopi.

Theodoretus à Synodo Ephesina secunda depositus, appellauit ad Leonem Papam. *Ego*, inquit, *suffragium Sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro atque ob-*

ſecro Sanctitatem veſtram, vt ea me tribunal veſtrum iuſtum ac rectum appellantē defendat ac protegat. Poriò Leo diſcuſſa eius cauſa illum abſoluit, & ſuæ Eccleſiæ reſtituit. Vnde in Concilio Chaeledonenſi act. 1. dicitur à Patribus: *Ingrediatur & Reuerendiſsimus Epiſcopus Theodoretus, vt ſit particeps Synodi, quia reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſsimus Archiepiſcopus Leo*. Ad eumdem Leonem appellauit quoq; Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolis, teſte Liberato in Breuiario cap. 12. Idē Leo epiſt. 87. ſcribit ad Epiſcopos Mauritaniæ, ſe Lupicino Epiſcopo communionem reſtituiſſe, eò quòd Sedem Apoſtolicam appellaſſet.

Honoratus Archidiaconus ab Epiſcopo Salonitano in Dalmatia Archidiaconatu priuatus, confugit ad Gregorium magnū. Gregorius monet Epiſcopum, vt Archidiaconum ſuo loco reſtituat: alioquin ſe quod iuſtum eſt decreturum. Cùm Epiſcopus non pareret, priuat illum pallio, & communione: & ſi pergat minatur depoſitionem. vide lib. 2. epiſt. 14. 15. 16. 17. Idem Ioannem Epiſcopum primæ Iuſtinianæ, caſſatis eius decretis & actis, priuat communione ſacra per triginta dies, eò quòd Adrianum Thebanæ Ciuitatis Epiſcopum, Sedem Apoſtolicam appellantem, auſus fuiſſet deponere: & eumdem Epiſcopum in ſuum gradum reſtituit. Wilfridus Epiſcopus Eboracenſis, regnāte Egfrido pulſus Epiſcopatu, Romam confugit, coram Apoſtolico Papa Agathone cauſam dicturus, à quo abſolutus eſt, & ad Sedem ſuam remiſſus: vt ſcribit Beda l. 5. hiſtoriæ gentis Anglorum cap. 20.

40. *An Africani ſe oppoſuerint appellationi.*

Nec obſtat quòd Patres Concilij 6. Africani videantur ſe huic appellationi oppoſuiſſe. 1. Quia non negant Pontificem Romanum habere ius admittendi appellationes Epiſcoporum Africanorum; imò id ſatis apertè fatentur, cùm in epiſtola ad Cæleſtinum Papam ſic ſcribunt

bunt: *Impendiò deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilè admittatis*. Rogant, non imperant; quod tamẽ facerent, ſi putarent hoc ius indebitè in ipſos vſurpari. Deinde non rogant vt numquam nullo euentu, ſed ne facilè admittat: nimirum niſi grauiſſima cauſa ſubſit. Itaque ius appellationis agnoſcunt, ſed eius vſum ordinariè cenſent non expedire ſuæ Prouinciæ. multò enim faciliùs & certiùs poſſe cauſam cognoſci ab Epiſcopis in Prouincia, vbi accuſatores & teſtes ſuppetunt, quàm Romæ. Et ſanè moleſtiſſima eſt appellatio, nulloque modo admittenda, quando crimina, ob quæ quis damnatus eſt à ſuo iudice ordinario, ſunt manifeſta, & pœna menſuram delicti non excedit. vnde Cyprianus epiſt. 55. fuſè agit aduerſus huiuſmodi appellationes, eaſque docet nõ admittendas: nihilominus quàm neceſſaria ſit interdũ appellatio, etiam à ſententia Synodi Prouincialis, oſtendunt exempla Athanaſij, Pauli, Chryſoſtomi, Theodoreti, & ſimilia ſuprà allata. 2. Quia Epiſcopi Africani, ſi quis bene aduertat, non recuſant appellationes ad Sedem Apoſtolicam, ſed ſolùm deprecantur duos modos proſequendi: cùm enim tribus modis Romanus Pontifex poſſet proſequi appellationem. 1. deputando Iudices in Prouincia, vel locis vicinis. 2. cauſam auocando Romam. 3. mittẽdo aliquos è ſuo latere, qui cognitioni in Prouincia præeſſent: illi non recuſant primum, ſed ſolùm deprecantur ſecundum & tertium; vt manifeſtum eſt ex illorum epiſtola. Iudicium enim tranſmarinum detrectant, quòd teſtium neceſſariæ perſonæ ob ſexus vel ſenectutis infirmitatem, aliáue impedimenta eò adduci non poſſent: Legatum à latere, quòd hi interdum nimia vterentur authoritate, & manu militari ſua decreta exequerentur; vt colligitur ex eadem epiſtola, vbi rogant Cæleſtinum ne executores mittat cum potentia ſecula-

culari. & ex epistola D. Augustini 261. 3. Episcopos Africanos manifestè fuisse deceptos. ita enim scribunt. *Nam vt aliqui tamquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum*. Etsi enim id modò non reperiatur in Synodo Nicena: tamen expressè habetur in Synodo Sardicensi can. 7. quam fuisse Oecumenicam constat ex Athanasio, apologia 2. in principio, & Hilario lib. de Synodis. adfuerunt enim plusquam 300. Episcopi ex 36. Prouincijs totius orbis. & Legati Iulij Papæ teste eodem Athanasio. Vnde in fine Concilij dicitur: *Vniuersa quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in vniuerso orbe diffusa custodiat*. Vnde autem contigerit Africanos Patres huius Synodi decreta ignorare, cùm tamē Primas Africæ cū 30. Episcopis Africanis illi interfuerit. item an Zosimus errauerit, canonem Synodi Sardicensis tribuendo Nicenæ, vide Baronium ad annum Domini 419.

VI. RATIO,
Ex authoritate ipsius in Concilijs.

41. 6. EMinet suprema authoritas Romani Pontificis in Cōcilijs Oecumenicis. Ipsius enim est illa indicere, illis præsidere, illorum decreta confirmare, vel reprobare: adeo vt sine ipsius authoritate, nullum Concilium celebrari possit, nullum robur habeat: quod est apertissimum signum supremæ authoritatis. Sicut enim in regno politico nemini ius est indicendi Comitia generalia, nisi supremo regni moderatori: ita neque in regno Christi.

Non posse Cōcilia sine authoritate Romani Pontificis celebrari, constat ex multis veterum testimonijs. Marcellus primus epist. 1. ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ scribit, fuisse constitutum ab Apostolis vt nulla

nulla Synodus fieret, præter authoritatẽ Sedis Romanæ.

Iulius 1. epist. 1. ad Episcopos Orientales: *Ipsi primæ Sedis Ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum iura, & Episcoporum iudicia, singulari priuilegio, Euangelicis & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis &c.* Idem constitutum fuit in Synodo Nicena teste Iulio in eadem epistola. Eiusdem canonis meminit Socrates lib. 2. c. 13. referens Iulium Papam reprehendisse Synodum Orientalem, *Quòd contra canones egissent Synodum celebrando ipso non vocato: cùm Ecclesiasticus canon iubeat, ne absque sententia Romani Pontificis canones Ecclesijs sanciantur.* Sic enim vertendum videtur illud, μὴ δεῖν, παρὰ γνώμην ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας: siue vt Nicephorus lib. 9. cap. 5. habet, τὰς ἐκκλησίας συνοδικῶς κανονίζεσθαι. Cassiodorus lib. 4. historiæ tripartitæ cap. 9. vertit *Concilia indicere*, alij *Canonicum conuentum conuocare*. sed ferè in idem redit. Nam sicut non possunt canones Ecclesijs præscribi absque sententia Romani Pontificis, vt vbique fidei, & cultus diuini, sacræque religionis seruetur vniformitas: ita nec Concilia in eum finem indici. Ridiculè prorsus Centuriatores Magdeburgenses verba illa Socratis interpretantur de Ecclesiarum dedicatione: quasi κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, sit Ecclesias cõsecrare. quid enim hoc ad propositũ Iulij, & causam Synodi Antiochenæ? Non enim illos reprehendit Iulius, quòd Ecclesiam aliquam consecrassent, sed quòd se inconsulto Synodum ad statuendum de rebus fidei coegissent, & Athanasium è gradu suo deiecissent. deinde si canon Ecclesiasticus iubet ne tantilla res, nimirum consecratio Ecclesiæ, absque consensu Romani Pontificis fiat, vt ipsi volunt: quomodo permittit vt Synodici conuentus, quæ res tanti est momenti, illo inconsulto agantur? Omitto quòd consecrare, dedicare Ecclesias, Græci dicant καθιερῶσαι, ἱεροποιῆσαι, non κανονίζειν.

Eiusdẽ

Eiuſdem meminit Sozomenus lib. 3. hiſtor. c. 9. vbi dicit: *eſſe legem Sacerdotalem* (νόμον ἱερατικόν) *qua decernuntur inualida eſſe, quæ præter mentem Romani Pontificis acta fuerint.*

In Synodo Chalcedonenſi act. 1. accuſatur à Vicario Sedis Apoſtolicæ Dioſcorus: *Quòd auſus ſit Synodum facere ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ: quod,* inquit, *numquam licuit, numquam factum eſt.*

In Synodo 3. ſub Symmacho, Epiſcopi Romã à Theodorico Rege conuocati, reſponderunt Regi: *Papam debere Synodum conuocare, quia eius Sedi Petri principatus & Conciliorum authoritas ſingularem in Eccleſijs tradidit poteſtatem.* Denique Pelagius 2. epiſt. ad Synodum Conſtant. dicit eſſe Apoſtolicam conſtitutionem. *Multis,* inquit, *Apoſtolicis & Canonicis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari.*

42. Imperator quomodo poſſit Synodum conuocare.

Nec obſtat quòd Imperatores interdum legantur Synodos conuocaſſe. Id enim non fecerunt, niſi ex conſenſu Romani Põtificis, qui ea in re vtebatur Imperatorũ opera. Hæc enim erat neceſſaria ob multas cauſas. 1. quia multi Epiſcopi ex locis remotis noluiſſent venire, niſi authoritate Imperatoris, cui penè totus orbis Chriſtianus parebat, fuiſſent compulſi. Deinde, quia pleriſque deerant facultates, ad tam longinquas profectiones. itaque ſumptu publico illis vehicula & alimenta erant præbenda, quod inſinuat Epictetus Epiſcopus Arianus, qui cùm Liberius Papa peteret à Conſtantio fieri Synodum Alexandriæ in cauſa Athanaſij, ad diuertendum Imperatorem, reſpondit: *Ad Epiſcopos eò conuehendos, publicæ vecturæ Prouinciarum non ſufficient;* vt refert Theodoretus l. 2. hiſt. cap. 16. 3. Quia Imperator locum Concilio aſſignare debebat. non enim poterant, niſi cum bona ipſius venia, tanti ex toto orbe

conuentus

conuentus in aliquo ipsius oppido fieri. Denique Conciliũ in multis aduersus hæreticos & malignos homines egebat ipsius protectione & auxilio; tum vt Patres possent tutò conuenire & discedere, tum vt omnia tranquillè & absque turbis transigerentur, tum vt damnati suis Sedibus pellerentur, iniquè depulsi restituerentur, & decreta Concilij executioni mandarentur. Itaque vterque ad Concilij conuocationem concurrebat: Romanus Pontifex vt author Principalis, qui sua authoritate ceteros posset obligare, & cuius consensus erat necessarius, vt Synodus cēseretur legitima: Imperator vt generale instrumentum, sine quo non posset fieri execu-tio. Sic Nicenum primum congregatum fuit à Constantino & Syluestro; vt habetur actione 18. Synodi sextæ. Sardicense à Iulio primo, opera Constantis Imperatoris, & Constantij; vt colligitur ex Socrate l. 2. hist. c. 16. Constantinopolitanum primum à Damaso, opera Theodosij; vt habetur in epistola huius Concilij ad Damasum, quam refert Theodoretus lib. 5. histor. c. 9. Ephesinũ primum authoritate Cælestini, teste Prospero in chronico. Chalcedonense authoritate Leonis primi, opera Martiani Imperatoris; vt colligitur ex epistola Leonis 93. cap. 17. Et ex epistola Martiani ad Leonē Papam, & Gelasij ad Episcopos Dardaniæ. Si penes Imperatorem primaria authoritas conuocandæ Synodi esset, pessimè consultum foret Ecclesiæ. nam postquam Imperiũ in multos Reges est diuisum, nulla ampliùs Synodus generalis cogi posset. Episcopi enim aliorum Regnorum nollēt ipsi morem gerere, nec etiam Reges permitterent; ne Imperatori in aliquo adhuc subiecti viderentur, & ipse aliquid iuris in eorum regnis habere. Simili modo si Imperator esset Ethnicus vel hæreticus, nulla posset haberi Synodus. itaque luce meridiana clarius est penes Imperatorē hoc ius non residere.

43. Præsidere Concilijs. Quòd etiã Pontifex Romanus per se, vel per Legatos suos omnibus Concilijs Oecumenicis præfuerit, certum est. Nam Niceno 1. præsedit Siluester per suos Legatos, vt apertè testatur Photius de 7. Synodis; qui Legati fuere Hosius Cordubensis Episcopus, & duo Presbyteri Vitus & Vincentius: vnde primi subscribunt.

Sardicensi Iulius primus per Legatum suum Hosium. Hic enim totum Concilium dirigit, & vbiq; tamquam Præses loquitur. Constantinopolitanum 1. per se non fuit Oecumenicum, sed solùm quatenus se studio, conatu, & sententia coniunxit cum Romano, cui præfuit Damasus, vt apertè colligitur ex epistola illius ad Damasum, quam refert Theodoretus l. 5. c. 9. & 10. Ephesino 1. præfuit Cælestinus per Cyrillũ suum Vicarium, teste Photio suprà, & apertè colligitur ex epistola Cælestini ad Cyrillum. Chalcedonensi præfuit Leo primus per suos Legatos, Paschasinum & Lucentium, vt ex 1. & 3. actione, & ex epistola Leonis 49. perspicuum est. Constantinopolitano 2. quod coactum fuit contra Petrum Antiochenum, Anthimum, Seuerũ, & Zoaram hæreticos præsedit Eutychius Patriarcha Constantinop. sed permissu Vigilij Papæ: vt apertè colligitur ex epistola Eutychij ad Vigilium. Deniq; per suos Legatos præsedere Constantinopolitano tertio cõtra Monothelitas Agatho; ~~Ephesino~~ [Niceno] 2. contra Iconomachos Adrianus primus; Constãtinopolitano 4. contra Photium Adrianus secundus: vt ex actis singulorum est perspicuum. De reliquis nulla potest esse dubitatio, cùm in Occidente celebrata sint.

44. Acta confirmare vel reprobare. Postremò, Ipsius esse Conciliorum acta confirmare, vel in irritum reuocare, constat ex antiqua tot sæculorum consuetudine. Solent enim Synodi acta sua, & decreta, ad Romanum Pontificem mittere, & ab eo petere

tere confirmationem: vt patet ex epistola Orientalium ad Damasum, & ex relatione Synodi Ephesinæ ad Cælestinum: & epistola Leonis 60. ad Martianum Augustum: & ex actione 18. Synodi sextæ &c. Hinc omnia Concilia quæ in Ecclesia legitima habentur, videmus à Sede Apostolica esse confirmata; & multa quæ non legitimè facta, reprobata. Leo primus epist. 55. ad Pulcheriam Augustam: *Consensiones Episcoporum sanctorum canonum apud Niceam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus*. Hic irritat canonem Concilij Chalcedonensis, quo Episcopo Constantinop. tribuitur primus honor post Romanum Pontificem, & Epistola 60. dicit Imperatorem à se petijsse, vt scriptis ad Concilij Patres litteris, firmaret ea quæ de fidei regula illic essent definita; seque id implesse.

Gelasius epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ: *Prima Sedes vnamquamque Synodum sua authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit*. Pelagius 2. ad Synodum Constantinop. illegitimam, irritat illius Synodi acta, & *præcipit ea vana & cassa haberi*. Eius decreti verba suprà nu. 25. à nobis relata. Commendat illud decretum S. Gregorius lib. 4. epist. 36. & lib. 7. epist. 69. qui etiã epist. illa 69. ad Episcopos Græciæ ait: *Sine Apostolicæ Sedis authoritate & consensu, quæcumque acta* (in Synodo) *fuerint, nullas vires habent*. Et infrà excommunicat eos, qui cõtra ea, quæ ibi præcipit egerint. In Romana Synodo 4. sub Symmacho dicitur: *Præsulem Apostolicæ Sedis, qui beata prærogatiua B. Petri meritis per totũ orbem primatum obtinet sacerdotij, statutis Synodalibus consueuisse tribuere firmitatem*. Isidorus præfat. de Concilijs: *Nullam Synodum ratam esse legimus, quæ non fuerit Sedis Apostolicæ authoritate congregata vel fulta.*

45. Omitto aliqua alia Iurisdictionis munia, quæ Pontifices Romani passim solent in alijs Prouincijs præstare, vt confirmare vel reijcere Episcopos recens electos; Archiepiscopis pallium mittere, vel denegare; Ecclesias & nouos Episcopatus vbique instituere; Episcopatuum ordinem præscribere; alios alijs subijcere, vel aliorum Iurisdictioni eximere. Horum exempla & testimonia plurima extant in historijs Ecclesiasticis, & in Epistolis Pontificum, præsertim Innocentij primi, Leonis primi, & Gregorij primi, qui tres sanctitate & doctrina illustres fuere.

Ex his perspicuum est, omne genus functionis ad authoritatē Superioris & Iurisdictionem pertinens, à Romanis Pontificibus in vniuersam Ecclesiam, etiam prioribus illis sæculis obitum esse ac frequentatum: ac proinde ipsum semper pro Superiore & Pastore vniuersalis Ecclesiæ habitum & receptum.

SEPTIMA RATIO,
Ex vnitate fidei.

46. 7. His addo necessarium fuisse, vt vnus toti Ecclesiæ, cui omnes parere tenerentur, præficeretur. 1. Vt in Ecclesia per totum orbem retineretur vna fides. 2. Vt eadem vbique retinerentur sacramenta, nec in illis vlla fieret mutatio. 3. Vt ijdem ritus. Consensio enim in ritibus externis diuini cultus, multùm facit ad consensionem animorum, & Ecclesiæ authoritatem. 4. Vt omnes Ecclesiarū particularium Episcopi in officio continerētur, cùm haberent Superiorē, à quo possent puniri. Denique vt Episcoporū seu Procerū Ecclesiæ possent celebrari cōuentus generales, quorū saluberrima & maxima semper in Ecclesia fuit authoritas, quiq; maximè conducunt tum ad fidei, tum animorum coniunctionem

Cur vnus debeat præesse.

ctionem. Ad hæc omnia necessarium fuit, vt vnum omnibus caput præesset. Ac primum quod ad fidem & sacramenta attinet, in quibus ratio Ecclesiæ consistit; nisi sit vnum caput, hæc eadẽ vbique integra & intemerata seruari nequeunt. quilibet enim Episcopus, imò quilibet Parochus nouam populo suo credendi formulam condere poterit, nouas Scripturæ sacræ expositiones comminisci, noua sacramenta instituere. denique addere, demere, mutare omnia pro arbitrio. Si enim nemo in illos ius habeat, quis illos coget alijs consentire? Sicque tot erunt diuersæ fides & religiones, quot sunt Regna vel Prouinciæ, vel etiam Diœceses & Episcopatus. Cùm enim humanum ingenium sit curiosum & ambitiosum, semper aliquid noui excogitabit & inducet, vnde gloriam & sapientiæ famam captet, nec alijs volet acquiescere: præsertim cùm nihil æquè amet ac suas inuentiones; & nihil æquè affectet, ac sapientia videri antecellere ceteris.

Dices, fient Synodi generales, & omnes tenebuntur obedire & consentire Synodo. Sed id non rectè dicitur. 47.
Quis enim coget Synodum, si nemo sit, cui omnes teneantur obedire? Quis è longinquis partibus magno sumptu & labore volet conuenire, nisi præcepto Superioris compellatur? Quis item huic Synodo præsidebit, cùm nemo sit Superior reliquorum? Denique sæpissime huiusmodi Synodis opus erit, quia semper nouæ quæstiones excitari poterunt.

Confirmãtur hæc omnia quotidiana experientia. Lutherani enim quia caput non habebãt, cui tenerentur se accommodare, statim in varias sectas & factiones sunt diuisi, nihil curantes suum Prophetam & Parentem Lutherum. Carolstadius enim & Zuinglius discipuli Lutheri circa annum Domini 1523. parte dogmatum ipsius recepta, parte reiecta, noua quædam præ-

sertim de cœna Domini addidere, ita vt aliam sectam cuderint, quam Lutherus cum suis vt hæresim & blasphemiam execrantur: neque hactenus vlla Synodus ab illis fieri potuit, qua hæc controuersia sopiretur. Simili modo Bernardus Rotmā & Menno quibusdā articulis Lutheri receptis, & nouis quibusdam adiunctis aliam sectam fabricati sunt, quam & Lutherani & Zuingliani detestātur. Denique singulæ istæ sectæ rursus in multas alias sunt dissectæ, exortis nouis Doctoribus qui non minùs spiritu Dei præditos se putabant, quàm eorum maiores. Itaque alius hunc articulum, alius alium correxit, & noua placita adiecit. Vnde factum est, vt modò tot sectæ Lutheranorum, Anabaptistarum, & Sacramentariorum inter se mutuò digladiantes, & se vicissim hæresios damnantes reperiantur, nec vlla Synodus ab illis possit fieri, qua in concordiam redigātur: idque quia non agnoscunt vllum Caput, cui omnes teneātur obedire. idem accidit sectæ Arianæ, & alijs antiquis. Ex quibus apparet quàm sit necessarium, vt sit vnum caput summæ apud omnes authoritatis, ad vnitatem fidei & diuini cultus vbique retinendā, ac proinde ad Ecclesiæ ipsius, quæ in hac vnione consistit, conseruationem. Sublato enim capite statim in varias sectas & schismata scindetur.

Hanc rationem insinuant Patres. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ: *Quamuis*, inquit, *Apostolis omnibus parem tribuat potestatem* (ratione ordinis, & amplissimæ in totum orbem Iurisdictionis) *tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sub authoritate disposuit*: id est, vt ostenderet Ecclesiam debere esse vnam, statuit vt vnus ei præesset, & super vno fundaretur, à quo hæc vnitas penderet. Et infrà: *Exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur*, id est, Ecclesiæ structura ab vno tamquā

quam à fundamento inchoatur, vt vna esse ostendatur. sicut domicilium vnicũ est, quod ab vno fundamento assurgit, etsi plurimas contignationes habeat. Idem epist. ad Iubaianum. *Nos*, inquit, *Ecclesiæ vnius caput & radicem tenemus*: deinde dicit hanc radicem esse Petrum: *Nam Petro primùm Dominus, super quẽ ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit & ostendit, potestatem istam dedit*. à Petro ergo & eius successoribus pendet Ecclesiæ vnitas: sicut vnitas domus à fundamento. Hieron. l. 1. contra Iouinianum: *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto schismatis tollatur occasio*. Leo epist. 82. ad Anastasiũ Episcopum Thessal. *Cùm omnium* (Apostolorum) *par esset electio, vni tamen datum est, vt ceteris præmineret, de qua forma Episcoporum quoque orta est distinctio; & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret.*

Quòd etiã ad rituũ consensionẽ, quæ maximè Ecclesiam ornat, & fideles diuersarum prouinciarum inter se coniungit, vnitas capitis sit necessaria, perspicuũ est. 48.
Quia alioquin in sacramentis administrandis, in sacrificio celebrando, in officijs diuinis, in festis, in ieiunijs, alijsque huiusmodi cultus diuini cerimonijs, pro diuersitate locorum, maxima esset diuersitas, maxima inconstantia. quisque enim Episcopus pro suo ingenio omnia disponeret, & quod decessor induxisset, successor abrogaret. cuique enim sua placent instituta, displicent aliena, nimirum vt plus alijs sapere videamur. Sicque in Ecclesiã summa introduceretur confusio, & simul animorum dissensio, cultusque diuini contemptus: cùm quisque

quisque è populo suæ Ecclesiæ ritus præferret, aliarum improbaret & refugeret.

Quanti etiam sit momenti ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vt omnes Episcopi & vineæ Dominicæ cultores habeant vnum veluti ἐργοπαρέκτην, qui operi omnium inuigilet, & omnes ad officium compellat; cui rationem reddere teneantur; qui illos, si populum non rectè doceát, si moribus sint offendiculo, possit castigare, & si opus sit gradu deijcere, per se notum est.

Denique id esse necessarium ad Synodos maximè generales, iam ostensum est. quod etiam exemplũ Græcorum declarat. Hi enim cùm Romanum Pontificem caput suum agnoscerent, intra 540. annos, octo Synodos Oecumenicas habuere. postquam verò ab eius obedientia recessere, iam per 760. annos ne vnam quidem cogere potuerunt. Addo si non sit vnum caput, vix fieri posse, vt Synodi Prouinciales, vel Nationales instituantur. Si enim singuli Episcopi sunt supremi, nec vllum habent superiorem cui teneantur obedire; quis iure poterit illis imperare, vt Synodum ineant? Nam Synodi Prouinciales quæ modò celebrãtur, imperio Romani Pontificis coguntur, qui statuit vt certis temporibus fiant, & omnes conuocante Primate Metropolita vel Archiepiscopo conueniant,

49. Ex his perspicuum est, articulum de *Primatu Summi Pontificis* non solùm ad fidem catholicam pertinere: sed etiam inter primarios fidei articulos censendum.

Esse articulũ fidei.

Etsi enim aliqui alij, vt quibus Personarum in vna essentia Trinitas, mysterium Incarnationis, & Redemptionis humanæ nobis proponitur, sint excellentiores ratione materiæ, magisque singulis necessarij ad salutem: tamen in ordine ad conseruationem corporis Ecclesiæ in vna fide & vnius religionis cultu, nullus est magis necessarius quàm iste: cùm vnitas Ecclesiæ ab eo dire-


directè pendeat, vt ostensum est. Vnde non est mirum sanctissimos Pontifices tum primis sæculis, tum posterioribus, tantopere in hoc Primatu asserendo laborasse. Non enim id ex ambitione, & Imperij affectu fecere, vt hæretici & politici, qui summum bonum in honoribus & principatu collocant, illis imponunt: cùm multi illorum humillimi fuerint, & magis subesse in monasterio, quàm orbi præesse optauerint. sed quia id necessariũ ad Ecclesiæ incolumitatẽ cernebant, & honor Christi, cuius vices gerebant, postulabat. Sicut enim qui vices Regis in administratione Regni gerit, censetur proditor sui muneris, & iniurius in suum Principem, si authoritatem suam pessumdari sineret: ita Summus Pontifex grauiter in Christum & Ecclesiam peccaret, nisi authoritatem, quam ad regendam Ecclesiam, vt Christi Vicarius accepit, omni ope tueretur: imò potiùs mortem oppetere debet, quàm illam permittere imminui. Vnde B. Gregorius lib. 7. epist. 1. *Antè paratior sum mori, quàm B. Petri Ecclesiam meis diebus degenerare.*

Quod autem hæretici obijciunt, fieri non posse, 50.
vt vnus homo totius orbis administrationẽ rite obeat, manifestè falsum est, si loquamur de gubernatione generali, per quãdam, vt ita dicam, superintendentiam, qua veluti in specula constitutus, maioribus & generalibus Ecclesiæ negotijs inuigilat, curando vt Prælati officium præstent, & eadem fides ac religio vbique conseruetur. Singulæ enim Ecclesiæ suos habent Episcopos; his præsunt Archiepiscopi, Archiepiscopis Primates, qui pauci sunt, & proximè Summo Pontifici subiecti: sicque facili modo per certos gradus tota gubernatio ab vno capite, in totum Ecclesiæ corpus diffunditur. Idipsum confirmat iam tot sæculorum vsus, quibus feliciter Ecclesia vniuersa ab vno capite gubernata

Obiectio hæreticorum repellitur.

gubernata est.

Hactenus ex sacris Scripturis, Concilijs, Pōtificum decretis, sanctis Patribus, & varijs rationibus satis demonstratum est, Romanum Pontificem tamquam Vicarium Christi, etiam prioribus sæculis, ante annum sexcentesimū, in totam Ecclesiā habuisse authoritatem & iurisdictionem: eamque plurimis modis ab omnibus in grauioribus causis occurrentibus, fuisse passim agnitam. Obiectiunculas quasdam hæreticorum, quas Author Monitionis attingit, infrà suo loco proferemus.



SECVNDA

SECVNDA PARS.

SEQVITVR nunc altera Pars huius Disputationis, in qua explicandum nobis est, quousque se Iurisdictio Sũmi Pontificis extendat: nimirum, vtrùm se proferat etiam ad Iura temporalia Laicorum; ita vt Sũmus Pontifex ob aliquã causam possit de illis disponere, & Laicos, præsertim Principes, suis Iuribus & Dominijs priuare?

Diuidimus hãc partẽ in tres Sectiones. Prima Sectio proponit statum controuersiæ, discrimen sententiarum, & quinque genera Probationum nostræ sententiæ. Secunda continet Obiectiones Aduersariorum & nostras Responsiones. Tertia agit de certitudine istius doctrinæ, & Fidelitatis Iuramento.

Sectio Prima.

Statum Controuersiæ, & quinque genera probationum continens.

POlitici quidam & Protestantes docent Romano Pontifici nihil esse iuris in Principes, nec posse illos, etiãsi id mereantur, suis Dominijs & Iurisdictione tẽporali priuare: & quidquid hactenus ea in parte ab aliquibus tentatum est, id totum iniustè vsurpatum.

51. Sententia Protestãtium, & Politicorum.

 Idem

Idem ferè tradit Guilielmus Barclaius Iureconsultus, in libello de potestate Papæ, qui cum hæc scriberem ad manus meas peruenit; vbi ista quatuor docet. 1. Summum Pontificem esse Christi Vicarium, Petri successorem, & totius Ecclesiæ Pastorem, eumque plenam potestatem habere in spiritalibus. 2. Etiam Principes Christianos in spiritalibus illi esse subiectos, tamquam oues suo pastori: ac proinde si delinquunt, posse ab eo illos pœna spiritali, nimirum excommunicatione castigari. 3. Summum Pontificem nihil habere iuris, nec directè nec indirectè in iura, & bona temporalia Laicorum, multoque minùs in iura temporalia Principum; adeo vt ob nullam causam, etiamsi Ecclesiam perturbent, opprimãt, vastẽt, & hæreses inferant, possit eos iure regnandi, aut principatu temporali priuare, aut alijs ius illius occupandi concedere. 4. Pontifices Romanos, & alios Ecclesiasticos in temporalibus semper fuisse subiectos principibus secularibus, in quorum ditionibus degebant, & ab illis potuisse iudicari, & pœnis temporalibus lege statutis puniri.

52. Sententia Catholica.

Verùm sententia communis Catholicorum est, Summi Pontificis potestatem etiam ad temporalia, saltem indirectè pertinere, nimirum quatenus id ad bonum spiritale est necessarium. Vnde Laicos etiam Principes posse in temporalibus ab ipso puniri, suisque bonis, iuribus, & iurisdictione priuari, quando magnitudo rei id postulat, nec ipsi aliter ad officium reuocari, aut grauissima mala, quæ Ecclesiæ ab eis irrogantur, impediri queunt.

Fraus Hæreticorũ.

Sed notanda hic est mira hæreticorum vel malignitas vel inconstantia, qui hanc doctrinam Catholicis tamquam in Principes iniuriam exprobrant, vt qui sua sceptra à Deo immediatè habeant, neminem præter illum Superiorem agnoscant, & illi soli rationem reddere

re teneantur: ac proinde non possint iudicio Pontificis esse subiecti. atque hac ratione, Catholicis Doctoribus apud Principes inuidiam, odiosissimis dictis concitare nituntur; quasi eos mãcipia Papæ faciamus, de quibus ipse pro arbitrio possit disponere, & quoties libuerit, è solio deijcere. Interea ipsi cùm de noua eorum religione tuenda agitur, contemptissimè de potestate Principum sentiunt & scribunt; eosque si aliquo modo eorum placitis repugnant, tamquam impios, & à Deo exauthoratos furori populi obijciunt. Itaque pauculos aliquos nouellæ Religionis Ministros, Principum iudices faciunt, & populum sententiæ Ministrorum executorem. Si enim Ministris visum fuerit Principem impiè agere, hoc est, ipsorum Religioni aduersari; possunt illi statim ex verbo diuino declarare, ipsum à Deo esse depositum, & populum diuinæ sententiæ constitutum executorem; sicque pro commodo causæ se gerunt, nunc politicorum, nunc reformatæ religionis Ministrorum personam agentes. Id ita esse ostendam ex eorum verbis.

Hæretici Principẽ subijciunt iudicio suorum Ministrorum & populari manui.

Lutherus Patriarcha hæreticorum huius temporis, de coniuratione Smalcaldica contra Cæsarem inita, rogatus an esset licita? Respondit (teste Sleidano lib. 8. historiæ) *Quoniam hoc tempore tam dubio, tamq; periculoso multa possunt incidere, sic vt non modò ius ipsum, sed consciẽtiæ quoque necessitas arma nobis porrigat, defensionis causa fœdus iniri potest, siue Cæsar ipse, siue alius bellum faciat.* Quo oraculo accepto, coniurati populum vbique concitant contra Cæsarem; allata causa, quòd Cæsar Religioni & libertati conscientiæ exitium moliretur: & scribunt ad Cæsarem se nullo ampliùs vinculo illi esse obstrictos. Verba eorum apud Sleidanum sunt: *Quamquam propter hoc tuum institutum nullo tibi sumus obstricti vinculo: tamen amplioris cautionis loco, renunciamus eam tibi qua diuincti sumus fidem atque officium.* Idem Lu-

Sententia Lutheri.

therus passim concitat plebem contra Principes Catholicos, eosque vocat *Tyrannos, Euangelij persecutores, Inimicos Dei, Lictores Dei, Porcos, Sues, Bestias, Animalia fera, Lupos, Vrsos, Apros, Lendes capitis, Pediculos, Stultos, Moriones*: & vt reddat plebi magis contemptibiles, probrosissimũ canticum in eos sub Lendium nomine comminiscitur; vt ex ipsius scriptis commemorat D. Ioannes Cochlæus in suo opere *Septiceps Lutherus* cap. 13.

Zuinglij. Zuinglius Lutheri filius, Sacramentariorũ Apostolus tom. 1. a. 42. sic scribit: *Quando Rex perfidè & extra regulam Christi egerit, potest cum Deo deponi. Cùm autem in manifestè impios & delinquentes non animaduertit, extra regulam Christi ambulat: magis verò cùm sceleratos prouehit, & innoxios prægrauat &c* Et infrà. *Quòd autem deponi ab officio possit, Saulis exemplum manifestè docet* 1. Reg. 15. 16. *Quin dum flagitiosi Principes & Reges loco non mouentur, totus populus à Deo punitur:* vt patet Ierem. 15. *In summa, si Iudæi Regem suum non ita impunè consceleratum esse permisissent, à Deo non tam grauiter fuissent puniti: nec filij Israel, si Manassen exauthorassent. oportet oculũ offendentem effodere, & abijcere*. & alia multa in eamdẽ sentẽtiam. idem docet lib. 4. epist. pag. 186. Itaque iste populo non solùm facit potestatem, Principem qui criminosus videtur, vel impios (Catholicos) prouehit, aut innoxios (Sacramentarios) prægrauat, solio deturbandi: sed etiam adiectis minis vindictæ diuinæ imponit necessitatem.

53. Caluini. Eadem est mens Caluini, qui in hoc præceptorem suum est secutus. nam in cap. 6. Danielis ad v. 22. in fine, ita scribit: *Abdicant se potestate terreni Principes dum insurgunt contra Deum, imò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero. potiùs ergo conspuere oportet in illorum capita, quàm illis parere, vbi sic proteruiunt, vt velint spoliare Deum iure suo*. Deinde vt sciamus quidnam sit

sit in Deum insurgere, & eum suo iure spoliare, id explicat ad v. 25. *Nisi omnes superstitiones aboleantur, Deus ius suum minimè obtinet*. Itaque iuxta Caluinum, hoc ipso, quo Princeps non vult fieri Caluinista, nec abolere Religionem Catholicam, excidit iure regnandi, & ab omnibus est eijciendus & conspuendus. Idem magis explicat eodem v. 25. cùm ait: *Rex Darius exemplo suo damnabit omnes eos, qui hodie se profitentur vel Catholicos vel Christianos Reges, vel fidei defensores, & in terra non modò obruunt veram pietatem, sed etiam quantùm in se est, labefactant totum dei cultum, & libenter nomen eius extinguerent è mundo: exercent tyrannidem in omnes pios, & sua sauitia impias superstitiones stabiliunt*. Quibus verbis abundè declarat omnes Reges Catholicos, & etiam Principes Lutheranos in Deum insurgere, & illum suo iure spoliare: ac proinde à Deo esse abdicatos, & posse à populo eijci.

Idem verbo & exemplo docuit Beza, qui sæpius milite stipatus, subditos causa nouæ religionis aduersus suum Principem incendit, & author maximorum tumultuum, & præliorum extitit, externis etiam hostibus in viscera patriæ immissis, *Nullam spem pacis esse*, dictitans, *nisi hostibus ad internecionem deletis: nullam cum Satana* (hoc est cum Rege & Regijs) *vmquam ineundam concordiã*. *Geneuæ præterea* (inquit Genebrardus) *consilium de Francisco II. Rege Franciæ, Regina vxore, Regina matre, eius liberis, Proceribus, & bonis Magistratibus ad certum diem per insidias trucidandis, Beza Principe, Caluino authore, Ottomanno subsignatore, Spifamio suasore, omnibus Galliæ prædonibus & lanistis conscijs initum*. Idem testatur Surius ex scripto Petri Carpentarij Caluiniani.

Beza.

Genebrardus lib. 4. Chronol. ad annum Domini 1561.

Eamdẽ doctrinã copiosè præscribit Synodus Caluinistarum Bernæ habita anno 1572. & multos ad eius pra- 54.

xim

Synodus Bernensis.

xim tradit canones,quibus tota Galliæ monarchia ad merã oligarchiã Ministrorũ reducitur. Inter cetera, canone vltimo sic præcipitur: *Habeant duces & præfecti omnes hoc axioma instar oraculi, numquam vt fidant ijs* (Regi & Regijs) *qui toties, & tam insigniter fidem violarunt: nec vmquam arma deponant, quamdiu viderint eos persequi doctrinam salutis, aut eius doctrinæ discipulos*. Et infrà. *Si Deo placuerit mollire corda Tyrannorum, eosque mutare* (vt fiant Caluinistæ) *tum bona cum voluntate omnes se submittent ijs, quos Deus nobis dedit Principes naturales. si verò malum sit insanabile, & diuinæ voluntatis sit eos exterminare; tum si Domino placuerit aliquem Christianum* (Caluinistam) *Principem suscitare ad peccata istorum vlciscenda, & populum suum liberandum; ei se Principi subiectos tradant, tamquã alteri Cyro diuinitus ad eos misso*. Itaque ex sententia huius Synodi, nisi Princeps fiat Caluinista, potest deturbari, & alius eius loco surrogari.

Ministri Angli.

Eadem planè tradunt Ministri Angli & Scoti. De Anglis constat ex libello quodam (cui titulus, Quemadmodum Superioribus Magistratibus obediendum sit.) quem primarius Anglicanæ Ecclesiæ apud Geneuenses Minister Goodmanus nomine emisit, quo generalem omnium Anglorum Geneuæ agentium, & aliorum Geneuæ atque Heluetiæ Ministrorum sententiam explicat.
„Cap. 9. pag. 118. sic ait. Quamdiu Principes &
„Magistratus, etiamsi coram Deo impij sint, scelesti &
„reprobi, exteriùs tamen curant Dei leges custodiri &
„obseruari ab alijs, tamdiu debemus illis obedientiam.
„sin verò audacter & ipsi leges Dei transgrediantur, &
„alijs idipsum præcipiant: tunc perdiderunt eum hono-
„rem & obedientiam, quam aliàs subditi eis præstare te-
„nebantur: neque deinceps habendi sunt pro Magistra-
„tibus, sed puniendi tamquã priuati homines.] Hic nullam requirunt sententiam, sed solùm euidentiam facti,

vt

vt imperium amittant, & puniri possint. Verùm quia dubitari poterat à quo essent puniendi, explicat id cap. 13. pag. 180. & sequentibus, docens id populo iure diuino esse cõmissum & iniunctum: *Si Princeps & Magistratus omnes repugnent legi diuinæ, habetis vos qui è populo estis expressum verbi diuini testimonium pro parte vestra, & Deus ipse vobis dux & signifer erit: qui præcipit non solùm Primoribus & Magistratibus auferre malum ex ipsis, siue idololatriam, siue blasphemiam, siue apertam iniuriam: sed hoc à tota multitudine requirit, cui gladius iustitiæ ex parte commissus est. Ideoque si Magistratus omnes simul despicere velint iustitiam & leges Dei; vestrum est contra Magistratum, aliosque omnes eas defendere & conseruare, quanta maxima vi & contentione potestis. Hoc enim Deus à vobis postulat. Toti populo hoc onus incumbit, vt animaduertat in idololatram quemcumque. nemo excipitur siue Rex, siue Regina, siue Imperator.*

Et Infrà idem sic confirmat. *Factum illud quod memoratur Num. 25. perpetuum est exemplum in omnem æternitatem, & certa denuntiatio populo, vt in simili defectione à cultu Dei, Rectores suos qui à Deo ipsos abducunt, ad furcas abripiant & suspendant. Et quamquam hoc videri possit magna confusio, vt populus tantum sibi asumat; tamen cum Magistratus officio suo fungi desinit, populus ita considerandus est, ac si careret omni Magistratu: & tum Deus ipse gladium in manus populi tradit, & Deus ipse efficitur immediatè eorum caput, eosque defendet & benedicet.*

Ex his patet istos Ministros lege diuina obstringere populum, vt Principem diuersæ religionis, præsertim catholicum, & omnes catholicos statim interficiant.

De sententia Ministrorum Scotiæ constat ex libello Ioannis Cnoxi Geneuæ excuso, cui titulus: Appellatio ad Nobilitatem & Populum Scoticum. Vbi inter alia pag. 36. ita habetur. *Illud audacter affirmauerim debuisse* Scotorum Ministri.

Nobiles, Rectores, Iudices, populumque Anglicanum non modò resistere & repugnare Mariæ illi Iesabel, quam vocant Reginam suam; verùm etiam de ea & sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerant, mortis supplicium sumere, vt primùm cæperunt Euangelium Christi supprimere. Omitto alia plurima, quæ in hanc sententiam, tum ex ipsorum libellis, tum ex Catholicorum scriptis, qui ipsorum hac in re doctrinam ad verbum referunt adduci possent. qui plura desiderat, videat libellum Doctissimi & Illustrissimi Cardinalis Alani, cui titulus, Ad persecutores Anglos, qui nobis in prædictis testimonijs plerisque notandis, non parùm adiumenti attulit.

Anabaptistæ.

His planè consentiunt Anabaptistæ, quorum est iste articulus, qui inter articulos anno 1534. ab ipsis editos, est octauus: *Nulli potestati obedire*. Denique hãc doctrinam omnes Sectæ huius temporis suo facto, & exemplo satis declararunt, & quotidie declarant; quando prætextu Religionis, arma contra suos Principes corripiunt, vrbes inuadunt, Ecclesias & monasteria diripiunt, Catholicos bonis & vita exuunt, Principes suis Prouincijs & Dominijs spoliant.

55. Discrimen inter sententiã Cathol. & Hæret. quod ad Regis abrogationem attinet.

Ex quibus perspicuum est, non solùm Catholicos, sed etiam Sectarios omnes, quando aliquem religionis sensum præ se ferunt, tamquam indubitatum statuere, Principem si Religionem opprimat, deponi posse, & regno spoliari. Verùm inter sententiam Catholicorum & illorum est discrimen triplex. 1. Quòd ipsi nomine Religionis intelligant suas hæreses, & proprij cerebri inuentiones. Catholici antiquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, quæ tot sæculis toto orbe viguit, tot miraculis, tot Sanctorum scriptis, actis, sanguine confirmata. 2. Quòd ipsi Principem Religioni eorum aduersantem, aut Catholicam fidem promoueu-

uentem ſtatim velint excidiſſe, vel Miniſtris authoritatem tribuant declarandi ipſum à Deo eſſe exauthoratum. At Catholici etiamſi Princeps Eccleſiam vexet, non ideo volunt illum ſuo iure priuatum, nec concedunt particularibus Paſtoribus authoritatē ferendi ſententiam, qua vel priuatur, vel priuatus declaretur: ſed cauſam volunt referri ad Summum Eccleſiæ Paſtorem, qui primùm illum roget, hortetur, moneat, & opera aliorum Principum ac virorum ſapientum interpoſita, ad ſanitatem reducere ſtudeat. Quod ſi omnibus remedijs diu adhibitis, videatur animum in malo obſtinaſſe: tunc demum Pontifici deliberandum, quid ad Eccleſiæ vniuerſalis, & illius Regni bonum expediat. qua in deliberatione ſemper adhibetur iudicium Cardinalium, & multorum virorum magnæ authoritatis, doctrinæ, & experientiæ: & res diutiſſimè diſcutitur, vt patet ex cap. Ad Apoſtolicæ, de ſententia & re iudicata in 6. 3. Quòd ipſi, omnia clanculū agant, & ex improuiſo in Principem inſurgant, eiuſque ditiones inuadant & occupent, nulla antè iuridica denuntiatione præmiſſa. vnde non poteſt ſibi ab illorum vi & machinatione cauere. At ea quæ gerit Pontifex in huiuſmodi negotijs, toti mundo ſunt manifeſta: ac proinde ſemper in manu Principis eſt reſipiſcere, & ſe omni periculo eximere. Itaque facile eſt videre, quàm lubricus ſit Principum ſtatus, quantoque in periculo verſetur apud Sectarios, & omnibus illis locis, vbi magnus eſt Hæreticorum numerus: & è contrario quàm firmus & tutus apud Catholicos. Neque ſolùm Principum Catholicorum ſtatus apud Sectarios in periculo verſatur, ſed etiam eorum, qui fidem catholicam deſeruere. Ea enim Miniſtri ex verbo ſcilicet Dei iam ſtatuere axiomata, per quæ tota popularis potentia ipſis redditur obnoxia, & in eorum ponitur arbitrio; vt

Periculū ſtatui Principum impendens ex ſententia Hæreticorum.

ea ad quidlibet, sub prætextu verbi diuini & religionis, facilè possint vti. Itaque sensim omnem gubernationem & authoritatem ad suum Consistorium pertrahere curant. cùm enim populus, vt ipsi inquiunt, ex verbo Dei regi debeat, Deo ita in scripturis passim iubente, & Principes verbum Dei non intelligãt, sed Ministris verbi hoc intelligentiæ donum, & cura diuinæ voluntatis interpretandæ sit commissa: consequens est, vt Princeps nihil nisi ex sententia Ministrorum agere debeat. Hoc vbi semel populo est persuasum, quid amplius authoritatis apud Principem residet? Etsi enim nomen Principis ei permittant, res tamen penes ipsos est; cùm ille nihil quod sit alicuius momenti, absque eorum consilio vel consensu agere possit. alioquin plebem aduersus eum tamquam verbi diuini perduellem concitant. Exemplis hæc res multis apud Anglos, Scotos, Gebennenses, & alibi gestis declarari posset, quibus historiæ sunt plenæ. Hic enim videtur totius purioris Caluinisticæ religionis finis, vt tota administratio tam in temporalibus quàm in spiritualibus ad Consistorium, siue cœtum Ministrorũ & Seniorum reducatur; & Principes ac Magistratus nihil omnino nisi ex eorum consilio agere queant. Cœtus enim Seniorum, iuxta Caluinum & puriorem ipsius Sectam, habet supremam authoritatem in spiritualibus, & consequenter etiam in politicis, quantum opus vt ea legi diuinæ consentaneè administrentur. Et quia sæculares Principes scripturas plerumque non intelligunt, neque quænam in singulis sit Dei voluntas per se cognoscere possunt; oportet vt nihil maioris momenti absque consilio Consistorij agant. Porrò quidquid Consistorio visum fuerit, id pro verbo Dei, Principi & populo obtruditur, sicque omnia ex illius arbitrio geri debent.

Lib.4. Instit.cap.11. §. 6.

Et

Et quamuis nondum vbique Consistorium aduersus Principes & Magistratus obtinuerit : res tamen ita sunt comparatæ, vt sensim videatur obtenturũ. Quod cùm non immeritò quidam Principes & Magistratus metuant, vt huic conatui obuiam eant, sibi capitis, vel supremi gubernatoris, aut gubernatricis Ecclesiæ dignitatẽ & authoritatem vindicant, vt hac ratione Consistorio & Ministris ansam illam prætextu verbi Dei, religionis & rerum spiritualium, vsurpandi authoritatẽ in politicis excutiant. Prudenter planè, si rem politicè consideres; sed impiè, si negotium religionis. Vt enim omittam 15. solidis sæculis, nulli vmquam Principi, nulli Hæretico, nulli Catholico, nulli ratione prædito hoc paradoxon in mentem venisse; quid hoc est aliud, quàm religionem subijcere & facere seruam Politiæ? Quotusquisque enim Principum erit, qui si apud ipsum summa religionis sit authoritas, eam in regno suo non instituat religionem, quam politiæ & suo regimini iudicabit aptissimam? sicque tot erunt religiones, quot erunt Principes, vel diuersæ politiæ. Itaque ex hoc fundamento tollitur omnis religio. ea enim religio quæ seruit politiæ non est religio, sed fucus & hypocrisis. Et id quod tollit religionis vnitatem, tollit etiam eius veritatem, cùm vera religio sit vnica, vnde patet hoc esse præclarum semen Atheismi.

His præmissis accedamus ad confirmationem nostræ assertionis, quam probabimus, 1. Ex Concilijs Oecumenicis. 2. Ex Scripturis. 3. Testimonio Doctorum & Principum. 4. Exemplis. 5. Rationibus duodecim Philosophicis, Theologicis, Politicis.

PRIMA PROBATIO.
Ex Concilijs Oecumenicis.

ADDVCAM Concilia ante Scripturas, nō quòd illorum ſit maior authoritas, ſed quia expreſſiùs & clariùs rem iſtam definiunt; & apud Catholicos planè certam efficiunt. Scripturæ faciliùs praua interpretatione eluduntur.

56. PRIMVM ſit Concilium magnum Lateranenſe ſub Innocentio 3. celebratū, ante annos ferè quadringētos. Hoc Conciliū cap. 3. multis modis oſtendit Eccleſiam habere Iuriſdictionem in temporalia Laicorū, quatenus ea ſpiritalibus deſeruiunt. 1. Dum ſtatuit, *vt bona hæreticorū Laicorum addicantur fiſco: & ipſi hæretici relinquātur poteſtati Laicæ debita animaduerſione puniendi.* Sentit ergo ſe habere poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus Laicorum, eaque fiſco addicendi, & eos pœna mortis plectendi. Nec enim Princeps ſæcularis per ſe ius habet ad hæreſim puniendam (cùm ſit crimen merè ſpiritale, de quo ipſe non poteſt cognoſcere, nec iudicare) ſed ſolùm ex commiſſione Eccleſiæ, cuius eſt de illa cognoſcere & pœnā congruam ſtatuere. Crimen enim hæreſis per ſe eſt contra bonū ſpiritale, & finē quē Eccleſia ſpectat, qui eſt ſalus animarum, non autem contra politicam tranquillitatem, cuius procuratio ad Principem pertinet. Itaque non poteſt à Principe politica authoritate puniri niſi ratione effectuū, qui ex hæreſi ſequūtur: vt ſi obtētu religionis ſeditiones moueant, & publicam tranquillitatē perturbent. Vnde quòd eorū bona fiſco ſint addicta, & ipſi morte ſint plectendi, eſt ex lege, & ſtatuto poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ in executione vtitur brachio ſæculari, vel certè quod ad pœnā mortis attinet, ex lege Principis cui Eccleſia hac in re

Pœna in hæreticos

ſuam

ſuam authoritatem impertit, vt Religionis & fidei defenſori. Itaque habet Eccleſia, ac proinde Summus Pontifex in quo tota poteſtas Eccleſiaſtica collectim exiſtit, authoritatem de bonis, & vita laicorum diſponendi.

2. Cùm præcipit poteſtatibus ſæcularibus, *vt omnes hæreticos è ſuis ditionibus pro viribus expellant: & ſimul ſtatuit, vt quando aſſumuntur, præſtent iuramentum ſe hoc pro viribus, & bona fide executuros*. An hoc non eſt diſponere de Iuribus temporalibus Principum, præcipere illis, vt tot ſubditos à quibus plurimum emolumenti temporalis fortaſſe obueniebat, regno expellant, & iuramentum Eccleſiæ præſtent ſe id pro viribus facturos? Hoc ſtatutum ab omnibus Principibus Chriſtianis fuit receptum, & iam penè quatuor ſæculis ſeruatum.

Præceptū de Hæreticis expellendis, & ea de re Iuſiurandum Principum.

3. Cùm Dominis temporalibus illud negligentibus, ſtatuit pœnam excõmunicationis & depoſitionis: 57.
Verba Concilij ſunt hæc. *Si verò Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum, & ceteros comprouinciales Epiſcopos, excommunicationis vinculo innodetur: & ſi ſatisfacere contẽpſerit intra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, vt ex tunc ipſe vaſſallos eius ab eius fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis ſine vlla contradictione poſsideant, & in fidei puritate cõſeruent, ſaluo iure Domini principalis (ſi feudũ ſit) dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege ſeruata circa eos, qui non habent Dominos principales*. Hic manifeſtè Concilium agnoſcit in ſummo Pontifice poteſtatem priuandi Principẽ (ſiue feudatarius ſit, ſiue principalis) imperio, & trãſferendi illud in alium, quando in perniciem Eccleſiæ cedit illius adminiſtratio.

Pœna in eos qui id neglexerint in ſuis ditionibus præſtare.

4. Cùm

4. Cùm *credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicat, & si ita excommunicatus intra annum satisfacere contempserit, statuit vt talis ipso iure sit infamis, nec possit admitti ad publica officia vel consilia, nec ad electionem, nec ad testimonium dicendum:* Item, *vt sit intestabilis, sic vt nec liberam testandi habeat facultatem, nec ad hereditatis successionem accedat, & vt neminem possit pertrahere in iudicium.* Item, *si Iudex sit, sententia eius nullam habeat firmitatem: si aduocatus, eius patrocinium non admittatur: si tabellio, instrumenta sint nullius momenti &c.* Hic Conciliũ disponit de multis rebus & iuribus temporalibus omnium Laicorum, etiamsi hi Magnates sint vel Principes, infligendo infamiam, inhabilitatem ad officia publica, ad condendum testamentum, ad successionem hereditatis, ad ferendam sententiam, ad postulandum &c. Omnes hæ pœnæ sunt temporales, & priuant iure vel re tẽporali. Idem Concilium sub finem multa de temporalibus statuit. Ne Iudæi graues vsuras à Christianis extorqueant: vt per omnes Prouincias Christianorũ habitu ab alijs distinguãtur: ne officijs publicis præficiãtur: ne tẽpore Dominicæ passionis in publicum prodeant. præcipit Principibus, vt Iudæos Christum blasphemantes puniant. Item vt Christiani qui ferrum, vel ligna ad Saracenos mittunt, vel eos iuuant: priuẽtur bonis & fiant serui capientium: ne mercatores ad quadriennium in Syriã nauigent; ne Torneamenta intra triennium fiant: vt toto orbe Christiano Pax per quadriennium seruetur: & ei qui seruare noluerit minatur priuationem status & Imperij.

Variæ pœnæ in hæreticorum fautores.

Habemus itaque iudicium & exemplum multiplex Concilij Oecumenici, cui non minùs quàm Euangelio iuxta B. Gregorium lib. 1. epist. 24. fides est adhibenda. vnde nemo vmquam in Ecclesia Catholicus fuit habitus, qui in Concilij Oecumenici iudicio nollet

ac-

acquiescere. Est enim magnum, vt ita dicam, Regni Christi Parlamentum, totam Christi Ecclesiam repræsentans, omnem eius authoritatem continens. Vnde quod sentit vel statuit Concilium, sentit & statuit vniuersa Christi Ecclesia. *Disputare autem contra id, quod vniuersa frequētat Ecclesia, insolentissimæ insaniæ est,* vt ait S. Augustinus epistola 118. nec minoris insaniæ & arrogantiæ est sentire contra id quod vniuersa Ecclesia sentit. Accedit, quòd istud Concilium longè fuerit amplissimum, vt cui tum ex Latinis, tum ex Græcis interfuerint Archiepiscopi 70. Episcopi 412. Prælati 800. Viri eruditione præstantes ex toto orbe plurimi. Denique Legati Imperatoris Latini & Græci, & reliquorum ferè Principum orbis Christiani. Ex quibus omnibus nemo huic sententiæ contradixit, nemo de hac Ecclesiæ potestate dubitauit.

58. Dicet aliquis, Concilium non definiuit Ecclesiam habere hanc potestatem. Respondeo non definiuit quidem in actu signato, vt Scholæ loquuntur, condendo canonem fidei: definit tamen in actu exercito, quia supponit hanc doctrinam vt claram & certam in tota Ecclesia, omnibusque Christianis indubitatam, eaque tamquam fundamento vtitur in condendis decretis, quæ sub anathemate præcipit seruari. Si doctrina illa vera non esset, erraret Concilium. 1. In doctrina maximi momenti circa potestatem Ecclesiæ. 2. Insignem iniuriam faceret toti Laicorum ordini, de rebus & iuribus eorum temporalibus statuendo. 3. Decreta illa essent omnino irrita, & nullius momenti, vtpote sine legitima potestate condita: ac proinde tutò possent contēni. 4. Grauissimam iniuriam faceret, excommunicationis sententiam in eos, qui illa non seruarent vel contemnerent, statuendo. Quis catholicus ita de Concilio Oecumenico senserit?

SECVNDVM sit Concilium Lugdunense Oecumenicum sub Innocent. 4. habitum ante annos 366. in quo Concilio summus Pontifex commemoratis grauissimis sceleribus ac iniurijs in Ecclesiam à Frederico 2. Imperatore patratis, & ijs quæ à se acta essent ad illum placandum, & ad sanitatem reuocandum, tamdem subdit: *Nos itaque super præmissis & quàmpluribus alijs eius nefandis excessibus, cũ Fratribus nostris, & sancto Cõcilio deliberatione præhabita diligenti (cùm Iesu Christi vices, licèt immeriti teneamus in terris, nobisque in Petri persona sit dictum, Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis) memoratum Principem qui se Imperio & Regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum: quique propter suas iniquitates à Deo ne regnet vel imperet, est abiectus, suis ligatum peccatis & abiectum, omnique honore ac dignitate priuatum à Domino ostendimus, denuntiamus, & nihilominus sententiando priuamus: omnes qui ei Iuramento fidelitatis tenentur adstricti, à iuramento huiusmodi perpetuò absoluentes: authoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cetero ei tamquã Imperatori pareat & intendat*. Denique excommunicat omnes qui illi vt Imperatori vel Regi consilium, auxilium vel fauorẽ præstiterint, & mandat Electoribus, vt alium eligant. Hæc tota sententia approbata est in Concilio generali: nec vllus fuit qui dubitaret, an summus Pontifex haberet potestatem huiusmodi sententiam ferendi.

Iudicio Concilij Fredericus deponitur.

Si Summus Pontifex non haberet hanc potestatem, hic rursus Concilium erraret in doctrina maximi momenti, & perniciosè exponeret sacram Scripturam; & consentiret in grauissimas iniurias, & sacrilegam diuinæ potestatis vsurpationem.

TERTIVM sit Viennense plusquam 300. Episcoporum, vbi sancitum fuit decretũ de Iuramento ab Imperatoribus electis præstãdo, & declaratur illud Iura-

ramentum esse verè & propriè Iuramentū Fidelitatis. Porrò in eo decreto multa habentur, quæ ad nostrum propositum faciunt. 1. Dicitur Imperatores non reputare indignum submittere capita sua Romano Pontifici Christi Vicario. 2. Approbationem personæ ad Imperialis Celsitudinis apicem assumendæ, nec non vnctionem, consecrationem, & Imperij coronationem à Romano Pontifice fieri debere. 3. Authoritate Ecclesiæ Romanæ Imperium à Græcis translatum in Germanos. 4. Eiusdem Ecclesiæ authoritate, ius & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouēdū, ad certos Germaniæ Principes peruenisse. 5. Imperatores se Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ adstringere vinculo Iuramenti consueuisse: idque manifestū esse, tum ex more obseruationis antiquæ nouissimis temporibus renouatæ, tum ex forma Iuramenti sacris canonibus inserta. 6. Ponuntur tres formæ Iuramenti ab Imperatoribus electis præstari consuetæ; & declaratur ea propriè esse Iuramenta Fidelitatis. Habentur hæc omnia Clement. Romani Principes, de Iureiurando: & à Cōcilio generali sunt approbata.

Qvartvm sit Concilium Constantiense. Hoc enim Sess. 31. in monitorio contra Philippum Comitem, qui Episcopum suum in carcerem coniecerat, & alia grauia patrarat, statuit, & committit duobus Episcopis, vt si post Excōmunicationis & Interdicti sententiam prædictus Comes, & eius Commissarij, vel Officiales obstinati perstiterint, *ad omnes alias pœnas spirituales & temporales, authoritate præsentium aduersus eos procedere valeant*. Habet ergo Ecclesia authoritatē infligendi pœnas quaslibet temporales etiam Principibus, quādo magnitudo criminis, & contumacia postulat. Idē sess. 39. In prouisione aduersus schismata statuit, vt *Quicumque Electoribus in electione Papæ metum aut vim* 60.

Pœnas tēporales infligi iubet.

fecerit, vel fieri procurauerit, vel factum ratũ habuerit aut in hoc consilium dederit aut fauorem &c. cuiuscumq; status, gradus, aut praeminentiæ fuerit, etiamsi Imperiali, Regali, Pontificali, vel alia quauis Ecclesiastica, aut sæculari præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat quæ in constitut. fel. recordat. Bonifacij 8. quæ incipit, Felicis, continentur, illisque effectualiter puniatur. ita Conciliũ. Porrò pœnæ illius capitis maxima ex parte sunt temporales: vt *infamia, intestabilitas, bonorũ confiscatio, inhabilitas ad omnes dignitates tam sæculares quàm Ecclesiasticas, inhabilitas ad agendũ in iudicio, ad postulandum, ad testificandũ* &c. Itaq; manifestum est etiam hoc Concilium sentire, & tamquã certum & extra omnem cõtrouersiam supponere, Ecclesiam habere potestatem ad omnes illas pœnas infligẽdas.

Renouat pœnas c. Felicis.

61. QVINTVM sit Conciliũ Lateranense sub Leone 10. sess. 9. *Approbante sacro Concilio, cùm à Iure tam diuino quàm humano Laicis nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes & singulas Cõstitutiones felicis recordat. Bonifacij 8. etiam prædecessoris nostri, quæ incipit, Felicis: & Clementis V. quæ incipit, Si quis suadente* &c. Atqui pœnæ vtriusque illius constitut. præter excommunicationem pleræque sunt temporales. Et infrà. *Statuimus & ordinamus, vt de cetero talia præsumentes, vltra supradictas pœnas (quas innouamus) ad omnes actus legitimos inhabiles, & intestabiles habeantur.* Quod statutum etiam ad Principes pertinere, patet ex ijs quæ ibidem præmittuntur.

Innouatur Constitutio c. Felicis.

62. SEXTVM sit Concilium Trident. quod sess. 25. cap. 20. ita statuit: *Decernit & præcipit* (Sancta Synodus) *sacros canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere.* Hic Concilium confirmat,

&

& innouat inter cetera duas prædictas constitutiones, in quibus multæ pœnæ temporales, vt dictum est, in omnes hominũ ordines Ecclesiasticam libertatem violantes decernũtur, & præcipit illas seruari. innouatio autem vim habet nouæ cõstitutionis. Habemus itaque sex Concilia Oecumenica, quæ apertè tradunt vel supponunt hanc doctrinam, eaque in praxi vtuntur, & super ea decreta plurima fundant. Itaque dubium nullum est, quin fide Catholica sit tenenda.

His addi possunt multa Concilia particularia, varijs locis habita; sed omissis ceteris, solùm proferam decretum Gregorij in Synodo Romana editum ante annos 534. *Nos*, inquit, *sanctorum prædecessorũ nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica authoritate à iuramento absoluimus: & ne fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant*. Hoc decretum per totum orbem fuit receptum, & in corpus Iuris relatum: nec vnquam aliquis catholicus dubitauit, an Pontifex illud sancire potuerit. Huic conforme est decretũ Gregorij 9. cap. fin. de Hæreticis. *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominij, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur astricti.*

Can. Nos Sanctorũ 15. q. 6.

SECVNDA PROBATIO.
Ex Sacra Scriptura.

VENIAMVS nunc ad Scripturam sacram, cui Concilia innixa hanc doctrinam tenuere. 1. Ex Scripturis sacris habemus summum Pontificem Petri successorem, esse constitutum Pastorem totius ouilis Christi, eique datam omnem potestatem necessariam ad regendum oues Christi, in ijs quæ ad salutẽ 63.

Habet omnẽ potestatem Pastoralem.

 per-

pertinent, vt suprà nu. 14. & sequẽt. ostensum est ex illis verbis Domini, Ioan. 21. ter repetitis, *Pasce oues meas*. Atqui temporalium bona dispositio, & rectus vsus est ad salutem necessarius: ergo data est ei à Domino potestas, vt possit statuere de omnibus temporalibus, quatenus ad rectum eorũ vsum & salutem ouium est necessarium. Itaque in omnibus contractibus ciuilibus, & temporalibus negotijs, in quibus incurritur periculum salutis æternæ, potest ipse se inserere, iniqua & periculosa vetando, & in irritum reuocando; iusta præcipiendo, & congruentem modum, qui saluti non repugnet præscribendo, vel vt à Principe præscribatur iubendo. Neque dici potest Principes esse exemptos: quia si sunt Christiani, non minùs sunt oues Christi, quàm alij: imò quò sunt maiores, & plurium ab illorum regimine pendet salus vel damnatio, eò magis summo Pastori debet esse curæ illorum administratio, vt saluti subditorum non aduersetur. idem expressè fatetur Barclaius c. 34. p. 283. *Papa*, inquit, *potest imperare & iubere, vt Principes faciant quæ ad suam & suorum salutẽ pertinent: & ni faxint, etiam cogere per excommunicationem*.

64. Dicet aliquis, posse illum per sua decreta statuere de temporalibus & humanis negotijs, quatenus opus est vt absque salutis detrimento agantur, & omnes teneri parere; non tamẽ posse animaduertere in eos, qui recusant parere, temporalium priuatione, sed solùm subtractione spiritalium per Excommunicationem, & Interdictum, & similes pœnas spiritales. Verùm hoc nullum colorem habet. Si enim potest de temporalibus Laicorum statuere præcipiendo, vetando, leges præscribendo, acta confirmando, vel irritando: cur non etiam potest de illis statuere puniendo, & priuando, si temporalia Laicorum ita illi subsunt, vt in illorum vsu & commercijs possit modum præscribere,

Potestas puniendi ad plura se extendit quàm præcipiendi.

ne

ne cum ſalutis pernicie tractentur? cur non poſſit etiam auferre, ſi illorum retentio, & vſus manifeſtè ſaluti aduerſetur; præſertim cùm poteſtas puniendi ad plura & maiora ſe extendat quàm præcipiendi? Princeps enim per iuſtam vindictam etiam vita priuare poteſt, de qua tamen alia ratione non poteſt diſponere.

2. Rurſus Paſtor habet poteſtatem in lupos, non ſolùm ad eos abigendos, ſi gregi ſe immiſceant, ſed etiam exarmandos & occidendos. Atqui omnis hæreticus iuxta S. Scripturam eſt lupus, & quò potentior eò nocentior, & magis coercendus. ergo Summus Pontifex, qui eſt Paſtor ouilis Chriſti habet ius non ſolùm vt illum è grege abigat, ſed etiam vt illum exarmet, ac potentia, qua tamquam vnguibus & dentibus gregem diſcerpit, exuat. Idem dicendum, ſi ouis aliqua fiat gregi pernicioſa. Si enim paſtor ouium arietem furioſum, qui gregem turbat, poteſt cohibere, & cornibus mutilare: cur Paſtor ouilis Chriſti non poterit coercere quẽlibet Chriſtianum, qui potentia ſua in perniciem aliorum abutitur? Vnde friuolum eſt, quod ad ſimile argumentum Cardinalis Bellarmini reſpondet Barclaius cap. 32. de poteſtate Papæ, vbi dicit: *Hoc argumento ſolùm conuinci: Paſtori Eccleſiæ ius faſque eſſe expellere malum Principem de ouili Domini, & eum excludere, ne cum reliquo grege Chriſtiano in caula dominica conquieſcat: id eſt, eum extra communionem Eccleſiæ & Sanctorum per excommunicationem eijcere. vltrà nihil Eccleſiam poſſe, vel contra priuatum.* Non enim Paſtor ſolùm poteſt lupos & furentes arietes excludere à grege: ſed etiam inſtrumentis nocendi ſpoliare, & ſi opus ſit interficere. alioquin gregem commiſſum tueri non poterit. Quid enim proderit excommunicatio, ſi ei nolit deferre, & pergat gregem vaſtare? Sed de hoc fuſiùs infrà.

Paſtoris eſt lupos abigere & coercere.

Refutatur reſp. Barclaij.

3. Ex Scripturis conſtat Romano Pontifici conceſ- 65.

ſam

Potestas ligandi generalis.

sam esse potestatem ligandi ad Ecclesiæ regimen necessariam, vt suprà ostensum est ex verbis Domini, Matth. 16. *Quodcumque*, inquit, *ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis*. Atqui cuiusque pœnæ non solùm spiritalis, sed etiam temporalis, quæ iustè ab homine imponi potest, per statutum vel sententiam impositio, est ligatio & vinculum quoddam. ergo potestas Pontificis ad eam se extendit, quando Ecclesiæ vsus postulat. Confirmatur. quia cùm Scriptura loquatur vniuersè, nec restringat ad vinculum spiritale, nulla causa est, cur nos restringamus: præsertim cùm vinculum pœnæ temporalis sæpe sit vtilius, vel etiam necessarium. plerique enim magis pœnæ tēporalis, quàm spiritalis metu in officio continentur. Denique incredibile est Dominum maximorum vinculorum & pœnarum, vt sunt spiritales, ei facere potestatem, minima verò non concedere.

Ex quibus patet hanc potestatē non inuerecundè, nec impudēter ex illis duobus Scripturæ locis, *Pasce oues meas*, &, *Quodcumque ligaueritis super terram* &c. asseri, vt Author Monitionis pag. 113. criminatur: præsertim cùm Gregorius 7. in Concilio Romano, & Innocent. 4. in Concilio Lugdunensi, eamdem ex illis locis asserunt. Idem probatur ex illis verbis, *Tibi dabo claues regni cælorum*: quibus designatur suprema potestas ad Eccclesiam regendam. atqui regimen Ecclesiæ postulat sæpenumero temporalium dispositionem, & authoritatem de illis statuendi, vt experientia constat, & infrà ostendetur. ergo hæc authoritas in clauibus continetur. Item per *Claues* designatur potestas tollendi impedimēta salutis, per quæ cæli introitus impeditur. atqui hæc impedimenta sæpe per temporalia obijciuntur: ergo cōceditur potestas de his statuendi.

66. 4. Eadem confirmari potest ex veteri Testamento. Nam Deuter. 17. omnes nullo excepto sub pœna mor-

tis

tis in quæstionibus ad religionem, vel diuinæ legis obseruationem pertinentibus, iubentur summi Sacerdotis iudicio acquiescere: *Qui autem superbierit*, inquit, *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia*. Vbi in primis habemus summum Sacerdotem in veteri lege habuisse potestatem statuendi de rebus temporalibus, iudicando hoc esse licitum secundum legem diuinam, hoc illicitum. Non enim solùm loquitur de causis religionis, qualis est lepræ & similium cerimonialiũ, sed etiam de politicis, vt patet ex illis verbis, *inter causã & causam*: & vt est apud 70. *inter iudiciũ & iudicium, controuersiã & controuersiam*, quæ generalia sunt, & omnẽ quæstionem ac causam comprehendunt. Itaque etiam de politicis, quatenus legi diuinæ consentiunt vel repugnant, iudicare poterat, & suo iudicio omnes, etiam Laicos ita obligare, vt nisi parerent, morte essent plectendi.

Imperiũ Sacerdotis obstringebat omnes

Dices, hæc non esse extendenda ad Principes, quia Superiorem non habent, cuius decreto mors illis infligatur. Nã ipse Princeps est iudex ille cuius decreto rebellis Sacerdoti morte est plectendus. Respondeo. Valde probabile est summum Sacerdotẽ hic vocari *Iudicem*, vt colligi potest ex verbis antecedentibus, cùm ait: *Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore*. Vbi per *Iudicem* designatur summus Sacerdos, quia quæstiones in quibus agebatur de lepra, cerimonijs, & lege diuina non deferebantur ad Iudicem politicum, sed ad summum Sacerdotem. vnde paulò post ait; *qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio &c.* itaque Sacerdos erat Iudex Principis. Quod si velimus per *Iudicem* intelligi Iudicem politicum, dicen-

dum est eo euentu quo ipse Iudex in summum Sacerdotem contumax esset, ad officium Sacerdotis pertinuisse id quod diuina lege generatim constitutum erat, in ipsum, si commodè posset, exequi: sicut ad illum spectabat Principem lepra infectum à regni administratione amouere, & extra conuictum hominum constituere: vt ex ijs quæ Leuit. 13. habentur, constat.

Hinc Lucifer Calaritanus lib. 1. pro S. Athanasio p. 12. commemorato loco isto Deuteronomij, ita scribit: *Præceptum est tibi Imperator hoc loco non solùm non dominari Episcopis, sed & ita obedire eorum statutis, vt si subuertere eorum decreta tentaueris, morte mori iussus sis. Et quomodo dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, iam quantum ad Deum, mortis pœna fueris multatus.* Hic Lucifer etiam Reges comprehendi docet, & eadem pœna afficiendos. Et paulò antè dicit Imperatorem *ita traditum & subiectum potestati Episcopi à Deo, vt si illi iusta defendenti* (in causa religionis) *restiterit, morte sit plectendus.*

67. 5. Quod confirmatur 2. Paralip. 26. vbi legimus Oziam Regem cùm Sacerdotum officium vsurparet, & idcirco lepra à Deo percussus fuisset, statim à Sacerdotibus fuisse è templo expulsum, & vrbe eiectũ, & regni administratione priuatum. Quod enim non sua sponte, sed ex sententia summi Sacerdotis vrbe & regni administratione priuatus fuerit, colligitur ex ijs quæ habentur Leuitici 13. 3. vbi de leproso dicitur: *Ad arbitrium Sacerdotis separabitur*. & v. 44. *Quicumque maculatus fuerit lepra, & separatus ad arbitrium Sacerdotis; habebit vestimenta dissuta, caput nudum &c. omni tempore quo immundus erit, solus habitabit extra castra*. Quod si olim Sacerdos summus in causa lepræ corporalis poterat Regem iudicare, vrbe eijcere, & regni procuratione priuare: cur modò in nouo Testamento non idem poterit sum-

ſummus Sacerdos in lepra ſpiritali, nimirum in hæreſi? Hãc enim per lepram figurari docet S. Auguſt. qq. Euangel. lib. 2. q. 40. cur quod Sacerdos typicus poterat ob peccati contagioſi figuram corpori ſolùm noxiam; idem nõ poterit Sacerdos verus propter ipſius peccati ſubſtantiam animabus nocentiſſimam: præſertim cùm idcirco in veteri Teſtamento illa Deus ſanxerit de lepra corporali, vt intelligamus quid nobis faciendum in nouo de lepra ſpiritali?

Huic argumento ſimili ferè modo à doctiſſimis viris Sandero & Bellarmino propoſito, mirè inſultat Barclaius cap. 37. Summa reſponſionis eſt, Oziam non fuiſſe priuatum regno; ſed regni dumtaxat procurationem quam ipſe ob vim morbi obire non poterat, filio eius commẽdatam. Eadẽ habet Blacuellus q. 2. p. 162. Verùm nihil dicunt quod ad rem magnopere faciat. Non enim illi vrgent priuationem tituli, vel authoritatis Regiæ conſideratæ in habitu, vt Philoſophi loquũtur; ſed quatenus expedita ad actum. Quia etſi fortè authoritas Regia non omnino fuerit ei adempta, tamen non potuit ea vllo modo vti, nec honoris Regij eſſe particeps. vnde fuit ea priuatus, ſi facultatem vtendi, & eius vſum, & cetera quæ in hac dignitate æſtimari ſolent ſpectemus. Quid enim prodeſt nomen Regium, ſi domi concluſum & ſolitarium manere oportet, nec vlli negotio te potes miſcere, aut vllius honoris eſſe particeps? Quamobrem Chryſoſtomus homilia 5. de verbis Eſaiæ bis ait, *Oziam dum vult vſurpare ſacerdotium etiam amiſiſſe regnũ*. Itaque ex hoc loco illud ſaltem manifeſtè conuincitur, Principem ſi ſpiritalem lepram incurrat, iudicio ſummi Sacerdotis non ſolùm extra Eccleſiam poſſe eijci, vt vult Barclaius, ſed etiam adminiſtratione regni, donec reſipiſcat, priuari: ſicut olim ob lepram non ſolùm extra ciuitatem & caſtra pellebatur, ſed etiam regni procu-

68. Reſp. aduerſarij refutatur.

ratio ei adimebatur.

Non fuit amotus ob vim morbi.

Neque id fiebat ob vim morbi, vt ipse sine Authore & ratione confingit, quasi idcirco administratio regni alteri committeretur, quòd lepræ vis Regem effecisset ineptum: sicut cùm quis incidit in amentiam, paralysin, vel sensibus necessarijs destituitur: quia Leuit. 13. Scriptura omnem leprosum iubet separari, etiamsi corpore, sensibus & iudicio ad consuetas functiones satis polleat; & sæpè lepra vnam tantùm corporis partem, vt caput, frontem, mentum vel manum occupat. Imò etiam ingens lepra totum corpus occupans sæpe hominem aptum ad functiones publicas & priuatas relinquit. Nam Almaricus Rex Hierosolymæ etsi lepra vehementi laboraret, Regnum tamen constantissimè & prudentissimè vsque ad mortem gubernauit, vt scribunt Platina in Alexandro 3. Tyrius, & alij. Naaman quoque Princeps militiæ Regis Syriæ, totus leprosus erat, & tamen rem bellicam optimè gerebat 4. Regum 5. Itaque propter ipsam speciem morbi, non propter valetudinis imbecillitatem administatione priuabatur. nec obstat quod non priuabatur titulo Regni; quia cùm lepra corporalis non esset culpa, sed pœna, vel calamitas inuoluntaria, non suberat ratio, cur propter illam titulo priuaretur. Aequitas enim postulabat, vt obtenta sanitate restitueretur. secùs in lepra spiritali; quæ cùm culpa sit grauissima, meretur hanc priuationem.

Sed inquit, Deus disertè iusserat vt leprosi separarentur, & ita Sacerdos solùm erat executor diuini mandati. Respondeo. Etiam modò est executor diuini mandati, quando Hæreticum Ecclesiæ perniciosum eijcit, & viribus spoliat, vt nocere desinat. Ideo enim Dominus illa statuit de leprosis corpore, vt intelligamus quid modò faciendum de leprosis animo. Res legis veteris figuræ sunt earum rerum, quæ gerendæ in lege noua,

1. Cor.

1. Cor. 10. Accedit, quòd iure diuino Paſtor teneatur totis viribus oues ſuas tueri, & lupis reſiſtere. Si ergo Princeps lupus fiat, poterit paſtor ouium Chriſti, tamquam Iuris diuini executor, aduerſus illum inſurgere, & facere quidquid ad ouium ſalutem eſt neceſſarium.

6. Rurſus in lege veteri Ioiada ſummus Sacerdos cõgregatis Ducibus & manu militari, iuſſit eis vt Athaliã matrẽ Regis defuncti, quæ occiſis nepotibus Regnum occuparat, interficerent, & omnes eos, qui eius partes tuerẽtur: & in locum eius Ioas filium Regis nepotem Athaliæ Regem creauit, vt habemus 4. Reg. 11. & 2. Paralip. 23. Cauſa verò huius facti primaria non erat, quòd illa per tyrannidem, & cædem legitimorum heredum regnum occupaſſet: ſed quod eſſet impijſſima, vt quæ filium ad cultum Baal impulerat; & eo mortuo, eumdem cultum in regno foueret. Vnde cùm Scriptura narraſſet quomodo præcepto Ioiadæ fuerit interfecta, ſtatim ſubdit: *Pepigit autem Ioiada fœdus inter ſe, vniuerſumque populum & Regem, vt eſſet populus Domini. Itaque ingreſſus eſt omnis populus domum Baal, & deſtruxerũt eã, & altaria, ac ſimulacra illius confregerunt. Mathan quoque Sacerdotem Baal interfecerũt ante aras.* Si cauſa religionis hæc poterat ſummus Sacerdos in lege veteri, cur non in lege noua? præſertim cùm Religio nunc longè ſit excellentior, & poteſtas ſummi Sacerdotis longè maior & diuinior? 69.

Ad hoc argumentum Barclaius cap. 38. poſt aliqua parerga reſpondet. Exemplum *de Ioiada & Athalia nihil ad hanc diſputationem pertinere: hic enim agi de legitimo Principe, Athaliam autem nullo iure regnum poſſediſſe, ſed immani tyrannide per vim & ſcelus, & cruentã Regiæ ſobolis necem: quæ propterea in ea cauſa fuit, vt in iuſſu Ioiadæ Sacerdotis, cædi iuſtè à quolibet priuato potuerit.* 70. Reſponſio aduerſarij.

Sed contrà. 1. Quia etſi Athalia initio ius ad regnum

O 3

gnum non haberet, legitimis heredibus extantibus; tamen illis interfectis ipsa debebat succedere. Quare cùm non putaretur aliquis superesse, opinione populi Ius habuit, & à populo pro legitima Principe fuit admissa, ita vt per 6. annos pacificè regnum possederit. Itaque verùm non est illam à quouis priuato potuisse interfici. Etsi enim tyrannicè egerit legitimos heredes interficiendo: non tamen visa est tyrannicè agere, regnum postea occupando & possidendo, cùm putaretur hoc iam ad illam pertinere. Vt autem posset ratione tyrannidis interfici, opus erat declarari illam re vera Ius non habere, & per ignorantiam veri heredis illam à Regno fuisse admissam: imò debebat constare id regno placere. Rebus enim tranquillis, non facilè aliquid aduersus eum qui tyrannicè ingressus est, attētandum; quia consensus regni ex tyrannicè ingresso, iustum Principem facere potest. Hoc enim modo pleraque regna exorta; estque res in omnibus regnis, & præsertim in Romano Imperio crebrò vsitata.

Refutatur

Athalia nō poterat à quouis priuato interfici.

2. Tyrannus non potest occidi, nisi in modum iustæ defensionis, nimirum quia alia ratione vis eius quam infert Reipub. auerti nequit. Athalia verò non est occisa ob necessariam defensionem (facilè enim potuisset coerceri absque morte, ne Reipub. noceret, vniuerso populo ad nouum Regem transeunte) sed in vindictā præcedentium scelerum: ac proinde authoritate iudiciaria. itaque Ioiadas egit ibi tamquam Superior & Iudex. Quare non solùm suasu (vt vult Barclaius, falsò addens interpretes id notare) sed præcepto & authoritate Ioiadæ interfecta fuit, quod etiam apertè indicat Scriptura, cùm ait: *Egressus Ioiada Pontifex ad centuriones & Principes exercitus dixit eis: Educite illam extra septa Tēpli, & interficiatur gladio: præcepitque Sacerdos ne occideretur in domo Domini &c.* Quæ verba manifestè insinuant authorita-

tem

tem & præceptum. Accedit, quòd in centurionibus & milite non fuerit vlla ad hoc faciendum authoritas. Necesse ergo est affirmare eam in Ioiada fuisse, cuius ductu hæc omnia peracta.

7. Lex diuina iubet interfici omnes diuinos, ariolos, pseudoprophetas, & omnes qui populum à cultu diuino auertũt, vt patet Leuit. 20. Deuteron. 13. & alibi, nec vllus ab hac lege excipitur. quia etiam integræ vrbes cum omnibus suis habitatoribus ob desertam religionem deleri iubentur: ergo etiam Princeps quando ad hæc scelera se conuertebat, nec vlla ratione ad sanitatem reduci poterat, coerceri & puniri poterat, si vires ad exequendum suppeterent. Sicut enim quia lege diuina statutum erat, vt leprosus degeret extra castra, nec vllum cum hominibus haberet commercium, hoc ipsum etiam cum Principibus obseruandum erat, Sacerdote cognitore, iudice, & executore, vt ostensum est suprà nu. 67. ita etiam ea quæ de tollendis è medio, vel coercendis ijs, qui à cultu diuino ad impietatem se conferunt diuinitus sunt statuta, cum ijsdem seruanda erunt, quia eadem lege sancita sunt; præsertim cùm in his longè maior sit ratio. Absurdum profectò est dicere Sacerdotem potuisse exequi legem diuinam circa Principem leprosum; non tamen circa Principem Atheum, Idololatram, Hæreticum, qui vniuersum populum ad impietatem impelleret. Hunc locum Deuteronomij adducit Lucifer Calaritanus in lib. de non parcendo in Deum relinquenti p. 227. & ex eo etiam Principem, qui populum à vera religione abducit plectendum ostendit. *Præceptum*, inquit, *est Te interfici, quippe Deum me derelinquere, inuitantem*. alloquitur Imperatorem Constantium. & sanè si integræ Ciuitates cum omnibus suis habitatoribus à populo deleri iubentur propter ista scelera, quis dicat vni Principi parcendum fuisse? 71.

8. De-

72\. 8. Denique Deus ipse interdum in vetere lege curauit Reges ob impietatem deponi, & quosdam etiam penitus deleri, ac alios eorum loco constitui, vt ostenderet quid ob similes causas etiam in noua lege fieri posset & deberet, cùm occasio daretur. Sic Saul ob vsurpatum sacerdotale ministerium, & alias diuinæ legis transgressiones, regni Iure quoad transmissionem in posteros, exutus fuit opera Samuelis, & in locum eius Dauid inunctus 1. Reg. 15. & 16. Sic Regnum Salomonis propter eius Idololatriam scissum est, & posteri maxima parte illius priuati, retentis solùm duabus tribubus, reliquis 10. in Ieroboam translatis, idque ministerio Ahiæ Prophetæ 3. Reg. 11. & 12. Sic Regnum Israel à Ioram translatum in Iehu opera Elisæi, & interfectus est ipse Ioram & Iesabel, & Ochozias, ob impietatem & cædem Prophetarum ac Sacerdotum Domini 4. Reg. 9. totaque stirps Achab à Iure regni submota.

73\. Obiectio. Dices, hæc omnia iussu diuino & extraordinaria cõmissione peracta: ac proinde non rectè colligi similia posse fieri in noua lege per ordinariam summi Pontificis potestatem. Resp. negando consecutionem. quia tota illa potestas Iurisdictionis necessaria ad regimen populi fidelis, qua Deus varijs occasionibus illo tempore vsus fuit per Prophetas, hoc tempore eminenter existit in Christo, & à Christo deriuata est in eius Vicarium, qui vice ipsius Ecclesiæ gubernaculis præsidet. Sicut enim ante Christi aduentum Deus sæpe mittebat doctores cum extraordinaria authoritate docendi, nimirum Prophetas; quia doctrina salutis adhuc erat imperfecta: ita etiã quia authoritas Sacerdotis erat imperfecta, mittebat subinde aliquos cum extraordinaria Iurisdictione ad aliquid in Republica mutandum, corrigendum, aut sontes plectendos; adeo vt etiam Prophetis daretur authoritas interficiendi. Vnde 3. Reg. 19. dicitur: *Qui-*

Potestas in veteri Testamento sparsa, in nouo est collecta.

cum-

cumque effugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicumque effugerit gladium Iehu, interficiet eum Elisæus. Et 3. Reg. 18. Elias Iesabelis pseudoprophetas qui comedebãt de mẽsa eius quadringentos quinquaginta viros vna die occidit. Samuel 1. Reg. 15. Agag Regem captiuum, quem Saul & populus volebant seruare, in frusta concidit coram Domino. At post Christum doctrina salutaris est satis reuelata; authoritas summi Pontificis est eminentissima, vtpote Vicarij Christi. Vnde Deus numquam mittit hoc tempore Doctores cum extraordinaria authoritate, sed omnes vult pẽdere à Vicario Christi, & eorum doctrinam eius examini & iudicio esse subiectam. Similiter nec vlli dat extraordinariam Iurisdictionem ad aliquid mutandum vel corrigendum in Ecclesia, vel ad puniendos Religionis desertores: sed hanc omnem vult esse penes summum Ecclesiæ Pastorem, qui cùm vices Christi gerat in terris ad eius regnum gubernandum, omnem habet potestatem, quam decet habere Proregem in absentia Regis. Quidquid ergo olim Deus disposuit per Prophetas in populo Iudaico circa politiæ mutationem ad religionis tutelam, potest summus Pontifex sua ordinaria authoritate, quam habet vt Vicarius Christi, quãdo causa religionis postulat: alioquin Deus maiorẽ curam habuisset Legis veteris quã nouæ, vmbræ quàm veritatis. Cõfirmatur ex S. Bernardo lib. 2. de Consideratione, vbi ponit in illo collectim omnem dignitatem & authoritatem, quæ in veteri lege diuisim concessa fuit: *Age (inquit) indagemus adhuc diligentiùs qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, Tu heres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vncti-*

one Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum pastores: sed Tu tantò gloriosiùs, quātò differentiùs vtrumque præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi vniuersi crediti; vni, vnus; nec modò ouium, sed & pastorum Tu vnus omnium Pastor. Vnde id probē quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiā Apostolorum sic absolutè & indiscretè tota cōmissa sunt oues, Si me amas Petre, pasce oues meas? Quas? Illius aut illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Hæc & alia multa electū illud Spiritus Sancti organum. Ex quibus patet testimonio B. Bernardi omnem authoritatem olim per partes varijs pastoribus & populorum Iudicibus collatā, in hoc pastore reperiri collectā & vnitā.

TERTIA PROBATIO.
Ex testimonijs Principum, & Doctorum Ecclesiæ.

74. FATETVR Author Monitionis omnes Principes Christianos, iam à tempore labentis Imperij, & præsertim à mille annis, hanc potestatem in sūmo Pōtifice agnouisse. pag. enim 106. dicit, *omnes in cōmune Principes Christianos perdiuturno tempore* (nimirū à tēpore Bonifacij 3.) *in adorāda bestia perseuerasse, agnoscēdo & venerando ipsius supremam, & illimitatam potestatem, quæ ad Iura Regum extenditur.* hoc enim est *adorare bestiam*, vt ipse pag. 79. explicat. Itaque non est quòd laboremus in eo probando, cùm aduersarius sponte fateatur. Quòd si tanto tempore in pacifica possessione huius potestatis fuit, quo iure nunc deturbabitur? Verum hunc

hunc locum satis expendimus suprà numero 2. & 3. Hac argumenti forma vsus est Henricus 8. Rex Angliæ scribens aduersus Lutherum in assertione 7. Sacramentorum art. 2. *Si tantā* (inquit) *& tam latè fusam potestatem neque Dei iussu Pontifex, neque hominum voluntate consecutus est, sed sua sibi vi vindicauit; dicat velim Lutherus quomodo in tantæ ditionis irrupit possessionem? non potest obscurum initium esse tam immensæ potentiæ, præsertim si intra hominum memoriam nata sit. Quod si rem dixerit vnam fortasse, aut duas ætates superare, in memoriam nobis rem redigat ex historijs: alioquin si tam vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo, legibus omnino cautum esse cognoscat, vt cuius Ius omnem hominum memoriam ita supergreditur, vt sciri non possit cuiusmodi habuerit initiun, censeatur habuisse legitimum; vetitumque esse constat omnium consensu gentium, ne quæ diu manserint immota, moueantur &c.*

Quibus adde iudicium Reginæ Angliæ totiusque Regni Anglicani. Hæc enim cum Rex è bello sacro reuertens per Germaniā ab Imperatore detineretur, ita scribit ad Cælestinum Papam, vltionē flagitans: *Gentes diuulsæ, populi lacerati, prouinciæ desolatæ, & generaliter tota occidentalis Ecclesia confecta lamentis, in spiritu contrito & humiliato supplicat Vobis, quem constituit Deus super gentes & regna in omni plenitudine potestatis.* [Nota] in omni plenitudine potestatis. *Afflictorū quæso clamor introeat in aures vestras. calamitates enim nostræ multiplicatæ sūt super numerum, nec ista dissimulare potestis citra criminis & infamiæ notam, cùm sitis Vicarius Crucifixi, successor Petri, sacerdos Christi, Christus Domini, Deus etiā Pharaonis.* Et infrà. *Vbi est zelus Eliæ in Achab? Zelus Ioānis in Herodem? Zelus Ambrosij in Valentem? Zelus Alexandri tertij, qui sicut audiuimus & vidimus, patrem istius Principis Fredericum, plena authoritate Apostolicæ Sedis, à fidelium com-*

Epist. 144. inter epist. Petri Blesensis. itē 146.

munione præcidit? Porrò Tyrannus Apostolicas claues habet ludibrio, nec nisi verba reputat legem Dei. Scriptum est enim: Qui vos spernit me spernit.

Præterea quòd Principes Christiani hanc potestatem semper agnouerint, etiam ex eo manifestè colligitur; quòd cùm summus Pontifex diuersis sæculis, tum in Imperatores, tum in alios Principes ea vsus fuerit; reliqui Principes non se opposuerint, non cõtradixerint nec Pontificem vsurpatæ potestatis accusauerint. quod tamen haud dubiè fecissent, si existimassent illum tale Ius iniquè vsurpasse. id enim in communem omnium iniuriam redundasset. At tantùm abest, vt se commouerint, vt plerumque sua authoritate & potentia illũ ista molientem tutati sint & iuuerint, præsertim Christianissimi & Potentissimi Galliarũ Reges. Sic Callistus 2. cùm adhuc esset Legatus Paschalis Papæ, & intellexisset quæ Henricus 5. in Pontificem iniquè admiserat; Viennæ in Gallia coacto Concilio illum publicè excommunicauit: quod extra Galliam illi periculosum fuisset, Henrico omnia obtinente. Deinde Pontifex factus mãsit in Gallia donec Henricum Ius inuestituræ compulit Ecclesiæ renuntiare: testatur Massonius in Calisto 2. Alexander 3. in controuersia cum Frederico 1. cùm nusquam tutus esset, recepit se in Galliam, & inde Fredericum excommunicauit, suamque authoritatem aduersus illius conatus egregiè tutatus est: refert Platina in Alexandro 3. Innocentius 4. in contentione cum Frederico 2. in Gallias tamquam in tutissimum portum fugit, ibique Synodo Oecumenica indicta Fredericum deposuit Gallorum potentia protectus: referunt Platina & Masson. in Innoc. 4. Interfuit huic actui S. Ludouicus, & se viresque Regni sui tutandæ Pontificiæ potestati paratas esse professus est: vt scribit Paulus Aemilius. Idem Innocentius vsque ad Frederici mortem in Gallia mansit.

Ioan-

Ioannes 22. fretus Gallorum viribus Ludouicum Bauarum excommunicauit, Imperio priuauit, & alium in eius locum eligi iussit: cuius deinde sententiam Benedictus 12. confirmauit, eodem Regno se continens: referunt Platina & alij. Ex quibus patet Galliæ Reges nō solùm hanc potestatem in summo Pontifice agnouisse, sed etiam eius præcipuos fuisse defensores.

Nec obstat quòd Philippus pulcher cùm tantas gereret cùm Bonifacio 8. simultates, visus sit hanc authoritatem non agnoscere. quia non negabat, quin Pontifex Principem ex iusta causa (vt si fieret Hæreticus) posset regno priuare, & subditos à Iuramento absoluere; sed non posse id facere ex quauis causa, pro suo arbitrio, & iure directo; quo modo Bonifacius ipsi videbatur hanc potestatem sibi velle vindicare. hoc enim erat, quod Regem illum potissimùm offendebat. Quòd enim idem Rex hanc potestatem in Pontifice agnouèrit, patet ex ijs quæ sub Clemente 5. paulò pòst sunt consecuta. vacante enim sede Imperiali per mortem Alberti Imperatoris, Philippus Rex cum suis proceribus consilium habuit, in quo tamdem illud decretum est, vt à Pontifice peteretur, vt Imperium rursus à Germanis ad Gallos vellet transferre. *Cui enim* (inquit Rex) *fiat iniuria, si vacantis Imperij conditio permutetur? Idem fecerunt olim Pontifices alij*. refert ista Conradus Vercerius lib. de gestis Henrici 7.

Eamdem potestatem agnouere & Imperatores Græcorum. Nam, vt scribit Zonaras, Patriarcha Constantinopolitanus palàm dixit Isaaco Cōneno Imperatori; quòd quemadmodum per manus ipsius Imperium acceperat (solent enim à Patriarcha coronari, facta priùs proprio chirographo sponsione fidei Catholicæ conseruandæ;) ita nisi rectè ac pro dignitate administraret, illud ipsius authoritate esset amissurus.

Emanuel Cõnenus cũ Fredericus primus iure Imperij videretur excidisse, duabus legationibus egit cum Alexãdro 3. vt ipsius decreto Imperium occidentale rursus ad Græcos transferretur, promissa ingenti pecunia, & valido exercitu aduersus Fredericum; & vniõne Ecclesiæ Græcanicæ cũ Latina sub vnius Pastoris Romani Pontificis obedientia: vt refert Platina in Alexandro 3.

Denique hanc ipsam potestatem agnouerunt etiam illi Imperatores, qui à summo Pontifice excommunicati & abdicati fuere, vt Henricus 4. Henricus 5. Fredericus 1. Ottho 4. Ludouicus Bauarus &c. Cuius signum est, quòd multis modis egerint, vt Ecclesiæ reconciliarentur; & aliqui etiam reipsa præstita satisfactione se submiserint. Deinde quòd Pontifici resisterent, id non erat quòd prætenderent nullo euentu hanc potestatem illi competere (sicut modò politici quidam faciunt) sed quòd vel negarent crimina de quibus accusabantur, vel negarẽt ea esse digna tali pœna: imò dicerent iure se facere quod criminis loco obijciebatur, aut Papam non esse legitimè electum. Nullus eorum eò impudentiæ (quantum aduertere potui) venit, vt apertè omnem huiusmodi potestatem in omni euentu legitimo Pontifici abiudicaret. Vide plura infrà nu. 114. Ex his euanescunt ea quæ in libello Regio de Imperatoribus & Regibus Angliæ Pontifici aduersantibus proferuntur.

Quod ad sententiam Sanctorum Patrum attinet, cũ doceant Romanum Pontificem esse totius Ecclesiæ Pastorem, & supremum in terris Sacrorum Principem, habere claues Regni cælorum, & omnem ligandi & soluendi in terris potestatem; non est dubitandum quin sentiant etiam de temporalibus posse disponere, quando id ad sacræ religionis tutelam, & salutem ouium Christi est necessarium. Cui enim cõcessa sunt maxima non sunt denegata minima. cui cõmissa est procuratio finis,

ei necessariò est potestas in media.

Itaque pluribus testimonijs, quibus id speciatim affirmetur, opus non est. Quia tamen aduersarij sæpe clamant hanc sententiam veteri Ecclesiæ planè ignotam fuisse, nonnulla adferemus, quibus perspicuè & in specie contrarium demonstretur. Lucifer Calaritanus lib. 1. pro Athanasio pag. 11. & 12. clarè docet Principē hæreticum iure diuino esse morte plectendum; idque probat ex cap. 17. Deuteron. *Præceptum tibi* (Cōstanti Imperator) *non solùm non dominari Episcopis, sed & ita eorum obedire statutis, vt si subuertere eorum decreta tentaueris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis.* Et lib. de non parcendo in Deum delinquenti pag. 227. idipsum probat ex cap. 13. Deuter. pag. 253. *Si fuisses inter manus Mathatiæ illius zelantis, aut in manu Phinees, & alienigenarum more viuere tentares, sine dubio Te gladio interficerent, illi Te gladio fuerant interfecturi.* Idem docet Principem hæreticum procul à populo Christiano abigendum, & ab omnibus vitandum, ne suo contagio alios inficiat, idque exemplo Oziæ lepra percussi. Lib. enim de non parcendo &c. pag. 286. ita scribit. *Quæ ista nostra, Constanti superbia est, quæue arrogantia, si, quia te videmus morbidum esse, pestiferum, quippe Arianum elephantiam in te esse, vrgeamus te secedere à populo Dei sicut illi Sacerdotes Domini Oziam de templo compulerunt egredi, quia te ita cogitamus dare Deo honorem? Si enim Oziam Dei Sacerdotes idcirco pellebāt ex aula Dei, quia meminissent diuinitus præceptum leprosos ante expiationem ingredi templum prohibitos: quantò magis nos dignè Te, conspice, ex Ecclesia pellere Christi, de domo Domini: quia non sit licitum hæreticum hominem conuenire cum Catholicis, insanum cum sanis, plenum immundis spiritibus cum eis in quibus inhabitat spiritus Dei.* Et lib. de non conueniendo cum hæreticis pag. 190. *Legisti Deum dixisse*

Esse expellendum.

ad

ad Moysen & Aaron, secedite è medio populi huius indisciplinati & contumacis, & disperdam eos ego. Quid ergo nos vult facere, nisi vt vos indisciplinatos & contumaces fugiamus, ne simul vobiscum, sicut illi qui cum Core, Dathan, & Abiron fuerant coadunati, pereamus? Aut negabis te indisciplinatum & contumacem? respice actus tuos circa Domini exhibitos Ecclesiam, & inuenies quàm sis indisciplinatus & contumax. Pag. 193. *Quomodo poteramus vobiscum conuenire, quando in Regnorum tertio scriptum sit libro, nec domos vestras esse calcandas, nec cibos vobiscum sumendos, nec aquam accipiendam à vobis &c.*

Vitãdum omne eius cõmerciũ.

Idem lib. 1. pro Athanasio p. 12. docet Hæreticum non posse esse Principem super fideles. *Quis es tu, qui tibi vsurpasti hanc authoritatem quã tibi Deus non tradidit, & si traderet & inter te esse permitteret, primo in loco Christianum te esse oportuerat, quia scelus est alienigenam Dei seruos iudicare, inimicum religionis domesticos Dei. Deinde si fuisses Christianus, & te participem censuisset Deus sacerdotibus fieri ad gerendum populum eius, accipe qualem te præceperit in Deuteronomio &c.*

Non posse dominari Catholicis.

Lib. 2. pag. 125. ostendit hæreticum Imperatorem ne quidem in testem admitti posse aduersus Catholicum. *Neque tu* (Constanti) *neque consacrilegi tui filij meretricis hæresis Arianæ potestis admitti testes contra Catholicum Episcopum. Dominus enim loquebatur de tribus Catholicis testibus, de seruis Maiestatis suæ, vt illis crederet beata Ecclesia; non vobis prophanis ex adulterio de meretrice natis. Si vos hæretici & quidem omnium sectarum admittendi estis testes contra Christianos, debent & Ethnici & Iudæi &c.* Quomodo ergo poterit admitti in Iudicem? Omitto alia plurima quibus libri istius Authoris pleni sunt.

Non posse esse testẽ aduersus Catholicũ nedum Iudicem.

Idem fuit communis sensus aliorum sanctorum Patrũ. Nam Lucifer iste valde laudatur à S. Hieronymo, Hilario, Athanasio, & alijs Patribus, tamquam præclarus

Hier. de script. Eccles. in Lucifero.

rus Christi Confessor, bonus Episcopus, & vir religiosus clarissimæ confessionis, nimirum quia tam præclarè se aduersus Imperatorem hæreticũ gesserit. Nec solùm ipse laudatus fuit, sed etiam Opus eius aduersus Constantium ab Athanasio, & ceteris sanctis Confessoribus in exilio degentibus summopere commendatũ. Sic enim omniũ Episcoporum & Confessorũ in exilio degentium nomine ad illum scribit Athanasius. *Accepimus itaque epistolas & libros religiosissimæ ac sanctissimæ animæ tuæ, in quibus perspeximus imaginem Apostolicam, fiduciam propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cælestem, martyrij gloriam, triumphos aduersus hæresim Arianam, traditionem integram Patrum nostrorum, regulam rectam Ecclesiastici ordinis* &c. *Docuisti calcandos esse frendores diabolicos. videris esse verum templum Saluatoris, qui in te habitans, hæc ipsa per te loquitur. Tantus nunc est amor affectionis tuæ in animis omnium collocatus, vt Heliam te temporibus nostris nominet* &c. *Crede mihi Lucifer, non tu solus hæc locutus es, sed Spiritus sanctus tecũ* &c. Extat hæc epist. in fine operis Luciferi. Idem S. Athan. libros Luciferi in Græcum sermonem transtulit, vt refert Marcel. 1. de schismate Vrsicini ad Theodosium.

Hilarius I. contra Constantium.

Athanas. epist. ad solitarios.

Opus Luciferi summè commendatũ à Patrib.

Dicet aliquis, Luciferum fuisse hæreticum. At cùm illud opusculum scripsit non fuit hæreticus, sed gloriosus Christi Confessor, multa exilia pro defensione fidei perpessus, & Catholicorũ aduersus Arianos coryphæus. Itaque lapsus eius qui multis annis pòst accidit, non in hæresim, sed in schisma tantùm, non potest eius opusculis aliquid authoritatis detrahere.

S. Babylas martyr summis laudibus à Chrysostomo celebratur, quòd Imperatorem quasi vile mancipium impacta in pectus dextra è templo exegit, contempto ipsius comitatu & turba militari, qua cinctus erat. *Quomodo* (inquit) *senex ille accessit? quomodo prætoriam cohortem dissi-*

 pauit?

pauit? quomodo verba fecit? quomodo increpuit? quomodo dextram in pectus impactam firmauit? pectus, inquam, irâ turgens ac cæde feruens. Quomodo homicidam exegit? Exclamare hic libet. O animum imperterritum mentemque excelsam! ô cæleste pectus & constantiam angelicam! Illum sacræ erudierant litteræ mundi huius res omnes non nisi vmbrā esse ac somnium & si quid his vanius est &c. Et infrà. *Licebat Babylæ si voluisset vlteriùs progredi. ei enim qui vitæ curam semel abiecerat, omnia liberè agere licebat, & Imperatorem conuicijs aspergere, & diadema capite detrahere & pugnis os contundere. nam & dextram in pectus iam impegerat; sed tamen his omnibus abstinuit* &c. Qui hoc modo se in Imperatorem Decium gessit, quis dubitare potest, quin eum potentia imperij qua in damnū religionis abutebatur exuturus fuisset, si id in eius fuisset potestate?

S. Hilarius lib. contra Constantium Augustum: *Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audirent: Contra Deum pugnas contra Ecclesiam sæuis, sanctos persequeris prædicatores Christi odis, religionē tollis tyrānus iā nō humanorū sed diuinorum. Hæc tibi cum multis communia sunt. at verò nunc propria tua accipe. Christianū te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum præuenis, & arcanorum eius mysteria operaris.* Et infrà. *Tu Constanti omnium crudelitatum crudelissime damno maiore in nos & venia minore quàm Pagani illi persecutores desæuis: subrepis nomine blandiente, occidis specie religionis: Christi fidem Christi mendax prædicator extinguis: scelestissime mortalium omnia persecutionis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam & in confessione Martyrium &c.* Item. *Pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum &c.* Ita toto illo opusculo sanctissimus ille Doctor in Imperatorem fulminat. Quibus ille clarè ostendit hæreticum Principem qui Ecclesiam

perse-

persequitur, non esse habendum pro Principe, sed pro tyranno & hoste publico; neque ei obedientiam deberi, qua potentia eius roboretur, sed potiùs infamiam & dedecus, vt ab omnibus contemnatur. Quis enim vnquã ita in suum legitimum Superiorem inuectus est? Quomodo ei debetur humilis obedientia, cui iure tanta irrogatur ignominia? cur non possit spoliari potentia qua Ecclesiam vastat, qui potest spoliari honore & publica affici ignominia?

S. Chrysostomus homil. 5. in sextum caput Esaiæ tomo 1. *Ingressus est Ozias in templum Domini: ingressus est & Azarias Sacerdos post eum. Non temerè dicebam Sacerdotem Rege maiorẽ esse. neque enim vt Regem effecturus, sed vt profugum & ingratum famulum expulsurus cũ austeritate ingressus est. non aliter quã generosus canis incurrit ad impuram bestiam, & illam exigit ex ædibus herilibus. Non aspiciebat principatus fastum. non audiebat illud Salomonis, Minæ regis sicut ira leonis: sed sublatis oculis ad verum Regem cælorum, & ad illud tribunal, easq́ue pœnas cõsiderans, & his cogitationibus se muniens, impetum fecit in Tyrannũ. Nouerat enim quod cõminatio regis similis sit iræ leonis, dumtaxat ijs, qui terram spectarent. Verùm homini qui cælum haberet præ oculis, quouis cane vilior erat ille. Nihil enim illo imbecillius, qui diuinas conculcat leges: & contrà, nihil potentius eo, qui leges diuinas defendit. Nam qui peccatum committit seruus est peccati, etiamsi decem millia coronarum habeat in capite &c.* Et infrà. *Ingressus est* (Rex) *vt sacerdotium vsurparet, & Regnum perdidit: ingressus est vt fieret venerabilior, & factus est execrabilior. Nam quouis homine priuato posthac erat execrabilior. adeo res est mala non manere intra fines nobis à Deo præscriptos, siue honoris, siue cognitionis res fuerit.*

Lib. de S. Babyla contra gẽtiles to. 5.

Idem homil. 4. & 5. docet populum peccasse, quòd reueriti regalem dignitatẽ, Regem procul extra vrbem

non expulerint; ideoque Deum illis subtraxisse prophetam vsque ad mortem Oziæ. Homil. 4. *Exiuit igitur Rex cum lepra, nec tamen eiecerunt illum è ciuitate, diadema illius regiamque dignitatem reueriti. quid ergo? Deus irascens Iudæis, interrupit prophetiam. Quasi dicat: non vultis vlcisci meam vicem? Non colloquar vobiscum. neque enim non poteram ego illum eijcere; verùm quod restabat vobis relictum esse volui*. Similia habet homilia 5. Si Deus iratus est populo iuxta S. Chrysost. quòd regem corpore leprosum non expulerit è ciuitate procul ab hominum commercio: quantò magis irascetur si leprosum mente, cuius lepra innumeras perdit animas, non eijciant, cùm facultas & opportunitas suppetit?

S. Ambrosius, cùm Imperator depositum viduæ cuidam, Ecclesiæ commendatum auferre vellet, fortissimè ei restitit: & ipsius consilio Episcopus Ticinensis ea conclauia, ad quæ viduæ depositum fuerat translatum, obsedit; ne videlicet vi auferri posset. Ita refert Ambros. lib. 2. officiorum cap. 29. vbi etiam indicat populum se Episcopo in huiusmodi causis, contra impetum Principis debere coniūgere. *Egregiè* (inquit) *hinc vestrum enitescit ministerium, si suscepta impressio potentis, quam vel vidua, vel orphani tolerare nequeant, Ecclesiæ subsidio cohibeatur: si ostendatis plus apud vos mandatum Domini, quàm diuitis valere gratiam. Meministis ipsi, quoties aduersus regales impetus, pro viduarum, imo omnium depositis certamen subierimus. Commune hoc vobiscum mihi recens exemplum Ecclesiæ Ticinensis proferam, quæ viduæ depositum quod susceperat amittere periclitabatur &c.*

Quòd si pro defensione depositi ne fides & authoritas Ecclesiæ periclitetur, Episcopus cum plebe se potest aduersus vim iniquam Principis opponere: quantò magis pro defensione sacramentorum, & totius religionis?

Neque dici potest Ambrosium non agere de opposi-

tione

tione armorum. etsi enim non dicat expressè debere armis resistere: tamen vult plebem Episcopo suo se coniungere, & ostendere se pro illo stare, vt Princeps metu plebis absterreatur ab iniqua executione. quod sanè extra causam Principis iniquam esset rebellio & crimen læsæ maiestatis: hic vero est iusta & necessaria defensio. Confirmatur. quia quando Princeps manifestè limites suæ potestatis excedit, non est in ea re Superior, sed se habet instar priuati vim iniquam inferētis. Vnde absque periculo rebellionis ei à populo cum debito moderamine resisti potest: vt omnes DD. tradunt, & per se notum est.

Idem S. Ambrosius nullo modo permisit Ecclesiam suam occupari ab Arianis, sed Imperatori id præcipienti, & omnibus modis tentanti restitit populi suffultus præsidio, qui diu noctuque excubias agebat, ne qua vis Ambrosio fieri, aut ipse in exilium abripi posset. Idem Ambrosius cùm Imperator mandasset, vt ciuitate exiret, & abiret quò vellet, non paruit. Putabat enim vir sanctissimus magnum esse sacrilegium permittere Arianis Ecclesiam, quamdiu esset aliqua spes eius defendendæ: eamque ad extremum non tueri nihil esse aliud, quàm illam prodere & tradere. Denique adeò ad nutum habebat populum, vt Ariani obijcerent ei, quòd commoueret seditionem, & tyrannicè aduersus Imperatorem ageret: vt patet oratione contra Auxentium, & epist. 33. ad sororem. Et quamuis ipse desiderio martyrij incensus, hortatus fuerit populum, vt se reciperet, & permitteret ipsum cum hoste committi: numquam tamen illi seditionem obiecit; quinimo studium eius & zelum plurimùm commendauit.

S. Augustinus in psal. 81. explicans illum versiculum, *Eripite pauperem*: dicit grauiter peccasse plebem Iudaicam, quòd Christum è manibus impiorum Ma-

» gistratuum non eripuerint. Hæc (inquit) dicta sunt, vt
» sciretur in eo populo, nec illos fuisse immunes à tanto
» scelere, qui cùm essent tantæ multitudinis, vt eos time-
» rent Iudæi, & propterea in Christum manus mittere non
» auderent; & postea conniuerunt, eumque interimi à ma-
» lignis & inuidis Iudæorum Principibus permiserunt:
» qui si voluissent, timerentur semper, & numquam in e-
» um sceleratorum præualerent manus. De his quippe &
» alibi dicitur, Canes muti nescierunt latrare. & illud,
» Ecce quomodo iustus perit, & nemo considerat.] Et
» infrà. Porrò si iustè increpantur qui tantum scelus fieri
» dissimulando siluerunt; qua seueritate damnandi, qui
» hoc consilio malitiaque fecerunt?]

Ex quibus verbis colligimus: Primò, populum habere ius impediendi & cohibendi Principem, quando apertam infert iniuriam, præsertim viris sacratis aut religioni. Glossa in can. Ostendit 23. q. 3. infert ex hoc loco populum non ita transtulisse in Imperatorem suam iurisdictionem, quin aliquo modo eam sibi retineat, & ea in euentu vti possit.

2. Populum teneri id facere, si absque graui incommodo potest; & si omittat, peccare. *Qui enim desinit obuiare cùm potest, consentit.* d. can. Ostendit suprà: præsertim cùm illa potestas, qua Princeps abutitur, à populo veniat, & nomine ipsius administretur; ita vt quidquid facit Princeps, populus facere censeatur.

3. Grauiter peccasse populum Catholicum, quando initio per ignauiam non se opposuit hæreticis, & permisit hæresim induci: ac proinde meritò à Deo plerisque locis non solùm in spiritalibus, sed etiam in temporalibus castigari.

Denique cùm Iulianus incerto authore interfectus esset, Libanius Sophista id factum attribuebat Christianis, vt refert Sozomenus lib. 6. histor. c. 2. Chri-

stiani

ſtiani verò hanc ſuſpicionem à ſuis non depellebant, quaſi id eſſet nefarium aut illicitum: ſed permittebant gentiles ita ſentire, & factum illud ſummis laudibus extollunt, ipſique Deo & angelis tribuunt: vt patet ex Greg. Nazianzeno orat. 1. in Iulianum in principio. Sozomenus quoque ait, huiuſmodi facta apud omnes gentes commendata ſemper fuiſſe.

Ex his perſpicuum eſt quis ante 1200. annos fuerit hac de re Eccleſiæ ſenſus: nimirum Principem impium qui ſubditos ad hæreſim vel aliam impietatẽ compellit, ab Eccleſia repudiari poſſe, ſuaque potentia & authoritate exui. Idem quoque plurimi Martyres in tormentis inſinuarunt, probroſiſſimis nominibus eos cõpellantes; nimirum, vt eos dignos contemptu & omni ignominia eſſe oſtenderent. Vnde etiam patet falſum eſſe quod aduerſarius toties ingerit SS. Patres & Martyres ſemper ſubmiſſè & humiliter cum illis perſecutoribus tamquam Superioribus Dei locum tenentibus ſe geſſiſſe, & omnẽ illis obedientiam detuliſſe. Sanè qui ita illos tractabant verbis, ſatis declarabant quid re ipſa de illis facturi fuiſſent, ſi id æquè in promptu habuiſſent. iure enim naturæ poterant & vitam ſuam & religionem tueri. His nũc addamus aliquot teſtimonia Doctorum qui ſequentibus ſæculis floruerunt.

Primvs ſit S. Gregorius ante annos 1000. qui etiãſi humillimus fuerit, & Mauritium Imperatorẽ ſæpe Dominum, & ſe eius famulum vocet, nimirum vt hæc honoris non dominationis & ſubiectionis ſunt nomina: tamen alibi quid de ipſo & ſimilibus Eccleſiæ perſecutoribus vel oppreſſoribus ſentiat, ſatis exprimit. Nam in pſalmum 5. pœnitentialem, in illum verſiculum, *Tota die exprobrabant* &c. cenſet Mauritium non eſſe habendum in Regum numero, quòd Eccleſiam, quam dominam agnoſcere deberet, in ſeruitutem redigere ſtuderet.

Nul-

Nulla (inquit) ratio ſinit, vt inter Reges habeatur, qui deſtruit potiùs quàm regit imperium: & quotcumque poteſt habere ſuæ peruerſitatis ſocios, à conſortio Chriſti efficit alienos: qui turpiſſimi lucri cupiditate illectus ſponſam Chriſti captiuam cupit abducere, & paſſionis dominicæ ſacramentum auſu temerario contendit euacuare. Eccleſiam quippe, quam ſui ſanguinis pretio redemptam Saluator noſter voluit eſſe liberam, hanc ille poteſtatis Regiæ iura tranſcendens facere conatur ancillam. Quantò melius foret ſibi Dominam ſuam eſſe agnoſcere, eique religioſorum Principum exemplo, deuotionis obſequium exhibere: nec contra Deum faſtum extendere dominationis, à quo ſuæ dominium accepit poteſtatis. Ipſe eſt enim qui ait: Per me Reges regnant. ſed immenſæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino ingratus beneficio, & contra Deum faſtuoſus, terminos quos poſuerunt Patres noſtri, contempto diuino timore tranſgreditur, & contra Catholicam veritatem ſuæ furore tyrannidis efferatur. In tantum autem ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in dominam gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet.] Et in verſiculo. *Initio tu Domine &c.* eodē pſal. [Sunt etiam portæ inferi quædam poteſtates hujus mundi. Quid enim Nero? quid Diocletianus? quid denique iſte (Mauritius) qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur? numquid non omnes portæ inferi?]

Imperator ſubeſt Eccleſiæ.

Iniuria & tyrannis contra Eccleſiam.

Eccleſia Romana Caput omnium Eccleſiarum.

75. Idem S. Gregorius lib. 11. epiſt. 10. in priuilegio Xenodochio Regio conceſſo ſic ſcribit: *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, ac perſonarum ſecularium hanc Conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoriſq; ſui dignitate careat, reumque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat*. Idem lib. 12. epiſt. vltima in priuilegio monaſte-

ſterij S. Medardi: *Si quis autem Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcumque ſæcularium perſonarum huius Apoſtolicæ authoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit aut contradixerit, aut negligenda dixerit, vel fratres inquietauerit, vel aliter ordinauerit; cuiuſcũque dignitatis vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel ſanctæ Dei Eccleſiæ deſtructor à conſortio Chriſtianitatis, & corpore & ſanguine Domini Ieſu Chriſti ſequeſtretur.* His duobus locis apertè oſtendit, ſæculares homines etiam Principes, ſuis honoribus & poteſtate priuari poſſe, ſi contumaces aduerſus Eccleſiæ decreta extiterint. Honore ſuo priuetur.

Reſpondet Barclaius cap. 39. *Illa verba (*ſuo honore priuetur*) non eſſe imperantis, ſed imprecantis, quibus admonet & adiurat omne genus hominum, ne priuilegium à ſe datum violent; quod ſi violauerint, Deum vindicem fore, qui eos ſuo honore priuet. quod genus, inquit, imprecationis nunc ſemper addi ſolet extremis Bullarum, & Conſtitutionum Pontificiarum, hoc modo: Nulli ergo hominum liceat hanc paginam &c. infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius incurrat: ſiue quod idem eſt, ſe nouerit incurſurum.* Hæc ille. Reſp. Barclaij.

Sed hæc expoſitio eſt contra vſitatam illius formulæ acceptionem. Nam 1. Quotieſcumque in Canonibus antiquis, vel Conſtitutionibus Pontificum, aut Principum huiuſmodi verba reperiuntur, *honore ſuo priuetur, dignitate ſua excidat, careat:* non ſignificant imprecationem diuinæ vindictæ, ſed priuationem latæ ſententiæ, vel ferendæ, & executioni mandãdæ per homines. Et ſanè ſi terror numinis violatori erat incutiendus, debebat eius fieri mentio, vt Deum potiùs quàm homines timeret, & ſciret à quo ſibi honoris damnum impenderet. Deinde ponuntur hic tres pœnæ; nimirum Refutatur.

vt honore priuetur, vt à consortio Christianitatis separetur, vt careat communione: in quarum 2. & 3. non est vlla vindictæ diuinæ imprecatio, sed sententiæ humanæ punitio: ergo & in prima. Denique post illas pœnas tandem in fine addit imprecationem, cùm ait: *& omnium maledictionum anathemate cum Iuda traditore in inferno inferiore damnetur.* Simili modo Summi Pontifices in suis Bullis 1. præmittunt pœnas humanas, & tandem in fine iram diuinam verbis apertis ponunt ob oculos. Vnde hoc ipsum, quod hic Barclaius adducit, ipsius figmentum confutat.

76. SECVNDVS sit S. Bernardus qui lib. 4. de Consideratione sic ait: *Dracones, inquis, me mones pascere & scorpiones, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo non ferro. Quid tu denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus, Satis est; sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ & spiritalis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus est. ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussu Imperatoris.* Hic Bernardus expressè tribuit Ecclesiæ vtriusque gladij potestatem, & solùm statuit discrimen in ordine & modo vtendi. Primùm vtendum spiritali, quo si nihil effectum fuerit, posse vti corporali: non quidem sua manu (id enim minùs esse decorum) sed ministerio Principum, & potestatis politicæ. Itaque iuxta Bernardum, Ecclesia habet potestatem puniendi, non solùm pœna spiritali, sed etiam corporali; quamuis ob decorum executio pœnæ corporalis non per ipsam, sed

per

per sæcularem potestatem fieri debeat.

Hunc locum S. Bernardi noua & insolenti interpretatione conatur elidere Barclaius pag. 152. sicut ante ostendimus eum fecisse in testimonio S. Gregorij. Summa verbosi responsi est: gladium materialem esse exerendũ *nutu* sacerdotis, id est consilio & rogatu Ecclesiæ, non imperio. Sed contrà. 1. Si hoc satis est, vt Summus Pontifex dicatur habere gladium materialem, aut vt hic gladius dicatur esse Summi Pontificis, aut ad eum pertinere; etiam Consiliarij Principum, & Theologi, & Confessarij dicendi erunt habere ius & potestatem gladij, & gladius iste ad eos pertinebit: quia ipsorũ est dare consilium Principi, vt rectè gladio vtatur: & habent ius ab eo petendi vindictam. Simili modo Consiliarij Episcoporum, & periti Canonum dicentur habere gladium spiritalem: quia ipsorum consilio Episcopus eo vti debet. quæ omnia sunt absurda, & à mente S. Bernardi aliena. Deinde *Nutus* non significat consilium, vel preces; sed voluntatis ῥοπὴν, seu inclinationem leui aliquo indicio expressam. Vnde cùm summam alicuius in gubernando authoritatem indicare volumus, dicimus *eius nutu omnia geri, omnes eius nutum intueri*. qua forma loquendi insinuamus tantam esse alterius authoritatem, vt ad rem conficiendam non opus sit expresso præcepto, sed solus nutus, & minimum voluntatis indicium sufficiat. eo loco deberet esse apud omnes authoritas Summi Pontificis, in quo personam Christi, cuius est Vicarius, debemus intueri. Accedit, quòd omnes Authores, qui postea hac phrasi, de duobus Ecclesiæ gladijs, vsi sunt, eam intellexerint de vero iure & potestate statuendi pœnas, non solùm spiritales, sed etiam temporales, easque exequendi & irrogandi: quamuis in his ob decorum conueniat vti ministerio potestatis politicæ. Ita S. Bonauentura in 4. dist. 37. n. 5. in ex-

Resp. Barclaij.

Refutatur.

exposit. litteræ. S. Antoninus 3. p. tit. 2. cap. 3. §. 7. Glossa in can. Omnes. dist. 22. & passim omnes Theologi & Canonistæ: & ipsi summi Pontifices, vt patet in extrauag. Bonifacij 8. Vnam sanctam, de Maiorit. & Obedien. Non contendo hunc esse sensum litteralem illius loci scripturæ, *Ecce duo gladij hic* &c. neque S. Bernardus, aut alij Doctores id volebant: sed ago de sensu verborum Bernardi. Cùm enim ipse supponeret rem ipsam tamquam certam in Ecclesia, ad eam explicandam aptauit illum locum Scripturæ sensu mystico, quod illi, & multis Patribus est familiare. Idem confirmatur ex ijs quæ scribit eodē l. 4. in fine: *De cetero oportere te esse (cōsidera) formam iustitiæ, sanctimoniæ speculū, assertorem veritatis, fidei defensorē, Christianorum Ducem, refugium oppressorum, vltorem scelerum, malorum metū, bonorum gloriam, virgam potētum, malleū Tyrannorū, Regum patrē, postremò Deum Pharaonis. Intellige quæ dico: dabit tibi Dominus intellectū, vbi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi supra hominē præsumendū.* quomodo *virga potentum, malleus Tyrannorum, Deus Pharaonis*, si nihil nisi sacramenta, & officia diuina illis subtrahere potest? Quid si illa spiritalia nihil curent, sed potiùs rideant, vt plerumque Tyranni & Pharaones, hoc est Principes hæretici Ecclesiam in suum commodum opprimentes, faciūt: quomodo se tunc præstabit malleum Tyrannorū, & Deum Pharaonis? Voluit ergo illis verbis Bernardus aliquid amplius innuere, quod satis etiam indicat illa monitio, *intellige quæ dico*: nimirum posse summum Pontificem cōtemptorem spiritalium tēporalibus malis affligere, subditos ab eius obedientia soluendo, eumque iure sceptri, si res postulet priuando, & illud in alterum conferendo. Hoc demum est, quod eorum, qui Deum non timent, contumaciam frangit. Nouerat vir sanctus quid ante annos 50. à Gregorio 7. tum in Imperatorem, tum in

Regem Poloniæ S. Stanislai interfectorem, gestum fuerat. Idem confirmari potest alio Bernardi testimonio suprà recitato & expenso.

TERTIVS sit Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 2. cap. 4. *Terrena potestas caput habet Regem: spiritualis potestas summum Pontificem. Ad potestatem Regis pertinent quæ terrena sunt & quæ ad terrenam vitam facta omnia: ad potestatem summi Pontificis pertinent, quæ spiritualia sunt & vitæ spirituali attributa vniuersa. Quantò autem vita spiritualis dignior est quàm terrena, & spiritus quàm corpus: tantò spiritualis potestas terrenam siue sæcularem potestatem honore ac dignitate præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam potestatem & instituere habet vt sit, & iudicare habet, si bona non fuerit. ipsa verò à Deo primùm instituta est, & cùm deuiat, à solo Deo iudicari potest: sicut scriptum est: Spiritualis dijudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* 1. Cor 2. Hæc ille, sui æui Augustinus. Quòd ait, *potestatem terrenam institui à spiritali*, explicat paulò inferiùs, cùm ait: *in veteri lege primò institutum à Deo sacerdotium: & postea per sacerdotium iubente Deo ordinatam potestatem Regalem. In Ecclesia verò per sacerdotalem dignitatem consecrari regalem, eiusque benedictione sanctificari & institutione formari.*

QVARTVS sit Alexander Halensis 3. p. q. 40. membro 2. „Iudicare (inquit) secundum quod propriè dicitur, „solùm est Prælatorum. Vnde quod dicitur Regem non „habere hominẽ qui facta sua dijudicet nec Superiorem, „intelligendum est in suo ordine. Est enim ordo pote„statum duplex: ordo scilicet potestatum sæcularium & „ordo potestatum spiritualium. In ordine potestatum sæ„cularium nullus maior est Rege vel Imperatore: sicut in „ordine potestatũ spiritualium nullus est maior Papa. Ta„men collatione facta potestatis spiritualis ad sæcularem, „potestas spiritualis est supra sæcularem, sicut spiritus est

» supra corpus. Vnde & Ieremiæ 1. dicitur: Ecce consti-
» tui te super gentes & regna &c. Et ostensum est 2. Para-
» lip. 26. in Ozia, qui volens sibi vsurpare sacerdotalem
» dignitatem percussus est lepra.]

77. QVINTVS S. Thomas Aquinas 2.2. q. 12. a. 2. *Per infidelitatem peccans potest sententialiter ius dominij amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas. Ad Ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatem in ijs qui numquam fidem susceperunt, secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare? Sed infidelitatem eorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire. & conuenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possint. Hæc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem. Et ideo quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo illi tenebantur.* Hic D. Thomas non solùm docet Ecclesiam habere potestatem priuandi Principem ob infidelitatem dominio in fideles: sed etiam ostendit hanc potestatem esse necessariam ad Ecclesiæ tutelam.

Idem planè sentire D. Thomam de hæreticis patet ex argumento, Sed contrà: & quia eadem vtrobique ratio. imò sub apostasia à fide multi cōprehēdunt hæresim, vt Bannes & alij recentiores in hunc locum S. Thomæ. Idem lib. 3. de regimine Principum cap. 10. fusè ostendit potestatem summi Pontificis simul esse sacerdotalem & regalem, ita vt possit disponere de temporalibus omnium Ecclesiæ membrorum, etiam Principum, nimirum quatenus ad fidei tutelam, & salutem æternam est necessarium. idque ostēdit varijs exemplis quæ infrà adducemus. Similia habet cap. 19.

SEXTVS S. Bonauentura lib. de Eccles. Hierarchia p. 2. *Sicut* (inquit) *spiritus dignitate, & officio præcellit*

praecellit corpori: sic potestas spiritalis dignior est quàm saecularis: & ideo bene sortitur nomen dominationis: vnde Regalis potestas subiacet potestati & authoritati spirituali: sicut 1. Petri 2. dicitur: Vos estis gens sancta, regale sacerdotium &c. Nam temporale regnum velut quoddam adiectum subiacet sacerdotio in nouo testamento: sed in veteri, sacerdotium subfuit regno. Vnde dicitur Exodi 19. Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale regnum &c. Vbi regnū ponitur substantiuè, sed sacerdotium adiectiuè. Et ideo Reges tunc poterant amouere ab officio summos sacerdotes: sicut Salomon amouit Abiathar 3. Reg. 2. Iam verò possunt sacerdotes & Pontifices ex causa amouere Reges, & deponere Imperatores, sicut saepiùs accidit & visum est: quandò scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipub. necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex penes quem prima in terris residet authoritas, non à Rege, non à Principe saeculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei iudicio reseruatur. Hic 4. habemus ex verbis S. Bonauenturae. 1. Sicut spiritus praestantior est corpore: ita potestatem spiritalē praestare saeculari. 2. Sicut caro spiritui subiecta esse debet: ita potestatem saecularem potestati spiritali. 3. Hinc infert in nouo testamento Principem ex causa posse deponi à Summo Pontifice, cùm hic sit illius Superior. 4. Pōtificem non posse deponi ab homine, cùm nullum hominem, sed solum Deum superiorem habeat.

Dices, Loca illa sacrae Scripturae quae. D. Bonauentura adfert, ad rem non faciunt. alia enim est illorum vera intelligentia. Respondeo. Etiamsi id verum esset, id nullo modo officeret soliditati doctrinae: quia illis locis in hac veritate afferenda non nititur. sed eam tamquam certam aliunde supponens, applicat illa in sensu probabili ad vberiorem explicationem: quod frequens est Doctoribus sacris, etiam in maximis fidei mysterijs.

Septimvs sit Henricus à Gandauo, qui quodlib. 78

6.

6.q. 23. eruditè de vtraque potestate disputat. Inter cetera sic scribit: *De iure diuino & naturali, Sacerdotium supereminet Imperio, & penes ipsum residet de iure diuino & naturali vtraque Iurisdictio, & super spiritualia, & super tēporalia; & similiter eius immediata executio &c.* Vbi notandum illum loqui de *Iurisdictione super temporalia*, non ordinariè exercenda (non enim vult Papam habere regularem potestatem in temporalibus Regum, sicut habet in spiritalibus Episcoporū, vt authores illius sententiæ existimant) sed solùm in casu, nimirum quatenus est necessarium ad bonum spiritale, vt paulò antè explicuerat; vt cùm lex vel consuetudo politica repugnat legi diuinæ, vel saluti animæ. Deinde illum dicere potestatem istam super temporalia iure diuino & naturali coniunctā & cōnexam esse potestati super spiritalia; nimirum quia potestas quæ versatur circa finem, necessariò se extendit ad media. Idem sub finē solués 1. argumentum ait: ,, Nō enim potest Papa deponere Principes nisi ratione ,, delicti, aut insufficientiæ, quod bene exprimitur in illo c. ,, Alius 15. q. 6. Vbi dicitur, Romanus Pontifex Zacha- ,, rias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, ,, quā pro eo quòd tantæ potestati inutilis erat, à regno de- ,, posuit. Et secundū hoc sacerdos Apostolicus se habet ad ,, Reges & Principes, sicut Architectonicus ciuilis ad alios ,, artifices in ciuitate. Sicut enim Architectonici est præ- ,, cipere qui & quales debeant exercere scientiam medici- ,, nalem, rhetoricam, & sic de alijs in ciuitate, & quos- ,, dam admittere, quosdam repellere (hoc est, ad magistra- ,, tum pertinet cauere ne tales admittantur, qui bono pu- ,, blico possent esse damnosi:) sic sacerdos Apostolicus ,, debet considerare, qui & quales regna & principatus re- ,, gere debeant, & bonos honorare, malos autem & malè ,, regentes deponere, & alios loco illorum substituere.] Hæc ille.

Oc-

Octavvs sit Petrus Paludanus vir doctissimus & Patriarcha Ierosolymitanus, qui in libro de potestate Ecclesiastica fusè hanc sentẽtiam docet, inter cetera sic scribens. *Licèt Papa non habeat confirmare omnem Regem qui consensu populi à principio regimen sumpsit: nihilominus tamen potest omnem talem deponere, non solùm propter hæresim aut schisma, aut aliquod crimen intolerabile in populo; sed etiam propter insufficientiam: vt si idiota sensu, vel impotens viribus regno præesset, propter cuius insufficientiam regnum fidelium periclitaretur; talis certum est quòd quia meretur deponi (quia bonum commune est præferendum priuato) debet deponi per Superiorem.* Vbi notanda illa verba: *propter cuius insufficiẽtiam regnum fidelium* (& consequẽter religio) *periclitaretur.* Non enim quouis euentu insufficiens deponendus est, sed quando ratio boni communis, præsertim spiritalis id postulat. Pergit Paludanus: *Et quia illi de regno siue sint Proceres, siue alij, sũt Rege inferiores, & inferior nõ potest iudicare Superiorẽ, ideo ab eis non potest deponi. sed quia Papa est superior eo in spiritalibus, & per consequens in temporalibus, in quantum necesse est pro bono spiritali ipsius & aliorum conseruando, & ad minus ratione delicti; & ille sana conscientia non potest retinere regnum ad quod est insufficiens & indignus: per consequens potest eum monere vt regno cedat, quod sine peccato retinere non potest. Quod si nolit facere, excommunicet eum: quia ad officium Papæ spectat de quocũque peccato mortali corripere quemlibet Christianum; & si correptionem cõtempserit, per districtionẽ Ecclesiasticam coërcere.* Cap. Nouit, de Iudicijs. *Quod si in excommunicatione perseueret, potest vt dictum est deponere, & subditos eius ab eius subiectione absoluere, sicut schismaticum propter contumaciam & inobedientiam pertinacem: & etiam ex hoc, quod excommunicatus legitimis actibus & officijs publicis fungi nõ debet, & schismatici cingulo militiæ sunt nudandi,* 19. q. 1. can.

Qui contra. Et 15. q. 6. can. penult. *Sed si Proceres siue Electores non meruerunt perdere ius eligendi; non potest Papa eis alium substituere*. Hæc ille.

NONVS sit Reinerus Pisanus, qui in Summa v. Dominium cap. 2. 4. rationibus probat potestatem spiritalem præeminere seculari. [1. est quātò vita spiritualis dignior est quàm terrena, & spiritus quàm corpus: tantò potestas spiritualis potestatem sæcularem honore & dignitate præcellit. 2. Sicut sæcularia ordinãtur ad spiritualia; ita potestas sæcularis ad spiritalem: sed sæcularia subsunt spiritualibus ordine rationis & diuino: ergo potestas sæcularis subest potestati spirituali, vt Imperator summo Põtifici.] 3. & 4. ratio est ex verbis Hugonis à S. Victore suprà n. 76. allatis.

DECIMVS, Vldericus in Summa, quē citat Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 114. *Si Rex esset manifestè hæreticus, vel si interpellatus ab Ecclesia, negligeret nihilominus regimen regni sui quantum ad ea quæ sunt fidei, scilicet si non intenderet extirpationi hæreticorum, potest ab Ecclesia deponi à Regia dignitate*.

VNDECIMVS, S. Antoninus 3. p. tit. 22. cap. 5. §. 17. [Qui dicunt Papam in orbe totum dominium habere super spiritalia, non autem super temporalia, similes sunt Consiliarijs Regis Syriæ, qui dixerũt 3. Reg. 20. Dij montium sunt Dij eorum, & ideo superauerunt nos: sed pugnemus contra eos in campestribus, & in vallibus, in quibus Dij eorum dominiũ non habẽt, & obtinebim' eos. Sic hodie mali Cõsiliarij adulatione pestifera seducũt Reges & Principes terræ, dicentes: Dij montium, putà spiritalium bonorũ, sunt Summi Pontifices, sed non sunt Dij vallium: quia temporalium bonorum nullum dominium habent. Ideo in campestribus, id est, in potentia bonorum temporalium pugnemus contra eos, & obtinebimus. Sed quid dicat eis diuina sententia audiamus

amus. Quia dixerunt, inquit, Syri, Deus montium est Deus eorum, & non Deus vallium, dabo omnem hanc multitudinem in manu vestra, & scietis, quia ego sum Dominus. Et hoc patet per multa exempla etiam Christianorum Principum, qui bellantes contra Ecclesiam, vel persequentes summum Pontificem, exterminati sunt & ad inferos descenderunt.] Quibus verbis insinuat etiam huius sententiæ ἀλογίαν, nimirum, sicut fatuum est dicere Deum qui montibus præest, non habere vllam potestatem in vallibus: ita etiam à ratione alienum videri, si putes eum, qui in rebus diuinis & spiritalibus supremam Iurisdictionem habet, nullam in temporalibus & terrenis habere: & cui summa concredita sunt, ei in infima nihil iuris concessum. Idem eodem tit. cap. 3. §. 7. ostendit, Papam posse ex causa Principes deponere, varijs ad hoc exemplis allatis.

Dvodecimvs, Franciscus Mayronis Doctor illuminatus vulgò dictus, in 4. sentẽt. d. 19. q. 4. *Tertia* (inquit) *conclusio est. Quod Princeps temporalis debet esse subiectus illi, qui est primus Hierarcha in spiritualibus. Hoc probatur quadrupliciter. 1. Quãdocumque sunt aliquæ potestates ordinatæ inter se, illa quæ est de fine, præest & debet præesse illi quæ est circa ea quæ sunt ad finem: sicut patet de Architectonica respectu aliarum; & de militari respectu frænofactiuæ. Cùm igitur temporalia ordinentur ad spiritualia, & Papa præsit spiritualibus; sequitur Papã debere præesse illi qui curat temporalia.* omitto ceteras probationes. Deinde addit conclusionem quartam: *Quòd plenitudo potestatis secundum vtramque Iurisdictionem concurrit in eãdem personam.* Hoc tamen, qua parte loquitur de Iurisdictione in res temporales, intellige solùm in ordine ad spiritalia, vt sæpius dictum est.

Decimvstertivs, Ioannes à Turrecremata lib. 2. Summæ de Ecclesia cap. 114. fusissimè hoc probat 79.

16. propositionibus totā eam quæstionem complectens, 4. propositione sic ait: *Romanus Pontifex videtur Iurisdictionem etiam in temporalibus habere; quia non solùm Principes sæculares circa vsum suæ Iurisdictionis delinquentes potest per censuram Ecclesiasticā coërcere: verùm etiam eos notabiliter negligentes à dignitate deponere*. Quod intellige de negligentia vergente in publicam perniciem: vt patet ex eius probationibus. Probat enim ex cap. Alius 15. q. 6. Et ex cap. Grādi. de supplenda negligentia Prælatorum in 6. adducitq; Paludanū & Henricū, quorū sententiā iam explicuimus & Vlricū in sūma. 5. propositione
" sic ait: [Romanū Pōtificem inde iurisdictionem tempo-
" ralē habere manifestè ostēditur; quòd nō modò excōmu-
" nicare potest Principes sæculares; sed etiam ipsis in com-
" tumacia perseuerātibus, subditos eorum à iuramento ab-
" soluere, ne eis fidelitatem obseruent. Patet ex can. Gre-
" gorij 7. in Synodo præsidentis, qui habetur can. Nos sā-
" ctorum 15. q. 6. & ex can. Vrbani 2. can. Iuratos milites,
" ibidem.]

DECIMVSQVARTVS, Gabriel lect. 23. in Canonem, comparat inter se duas istas potestates, Papalem & Imperialem, & multis rationibus ostendit Papalem esse superiorē. Inter ceteras adfert hanc: *Quia Papa transfert potestatem supremam sæcularem de gente in gentem, cap. Venerabilis. Et Imperatorem deponere potest. 15. q. 6. Alius. Et ipsum excōmunicare. dist. 96. Duo sunt.*

DECIMVSQVINTVS, Caietanus 2. 2. q. 12. a. 2. toto, docet Principe denuntiato per sententiam, apostata à fide, subditos eo ipso esse absolutos à iuramento fidelitatis & obsequij, quo ipsi erant obstricti, &c. imò hoc ipso quo res est notoria, subditos posse denegare obsequia consueta, etsi non teneantur id facere, nisi posita denuntiatione. Idem ~~hom~~ tomo 1. tract. 2. de author. Papæ c. 13. ad 8. *Papa habet supremam potestatem*

in

in temporalibus, & non habet supremam potestatem in temporalibus. affirmatiua namque vera est in ordine ad spiritualia: negatio verò est vera directè, seu secundũ seipsa temporalia.

Decimvs sextvs Franciscus à Victoria relectione de potestate Eccles. sect. 6. cõclus. 8. [In ordine ad finem spiritalem Papa habet amplissimam potestatem temporalem supra omnes Principes, & Reges, & Imperatorem.] Deinde id probat. [Quia (inquit) temporalia aliquo modo sunt necessaria & ordinata ad finem spiritualem. ergo Christus non satis prouidisset & cauisset rebus spiritualibus, si non reliquisset aliquam potestatem, ad quam spectaret, quãdo opus esset ordinare, & vti temporalibus conuenienter ad finem spiritualem. Sed hoc non spectat ad officium Principum sæcularium, qui ignorant proportionem rerum temporalium ad spiritualia, nec habent curam rerum spiritualium: ergo ista cura vtendi temporalibus ad spiritualia, est potestatis Ecclesiasticæ. Ergo si necessarium sit ad conseruationem & administrationem rerum spiritualium aliquando vti gladio materiali, & authoritate temporali, Papa hoc poterit. Dico verò, quòd habet amplissimam potestatem, quia quantùm, & quando necesse est ad finem spiritualem, potest non solùm omnia quæ Principes sæculares possunt, sed & facere nouos Principes, & tollere alios, & imperia diuidere, & pleraq; alia.] Hæc ille.

Decimvs septimvs, Driedo de libertate Christiana lib. 1. cap. 15. [Ex his itaque primò perspicuum est, quòd etsi iurisdictio sæcularis, seu potestas Imperialis nõ sit à Papa: Papalis tamẽ potestas ac iurisdictio super omnia Ecclesiæ mẽbra, est iure diuino sæculari potestati seu iurisdictioni Imperiali prælata atq; præfecta. atq; ita nõ est in terra potestas vlla quæ possit authoritate ordinaria secundũ tribunal exterioris fori iudicare

,, personam Papæ.]

,, Idem author cap. 16. [Tertiò manifestũ est, quòd
,, etsi Principes Christiani & Reges per Papam possint
,, priuari dominijs temporalibus propter crimen hæresis,
,, obligenturque præstare iuramentum fidelitatis; non ta-
,, men inde sequi imperia & temporalia dominia esse à
,, Papa.]

Idem lib. 2. cap. 2. cùm ostendisset sæcularem potestatem iure diuino esse subiectam spiritali in ijs quæ ad salutem pertinent, ita cõcludit. [Proinde longè à ve-
,, ritate Euangelica aberrant, qui putant Ecclesiasticum
,, ordinem acquisiuisse immunitatem hanc, seu libertatem
,, Ecclesiasticam habere à sola potestate sæcularis Iudicis,
,, aut ex priuilegio Cæsaris aut Regis, aut esse ad nutũ Cæ-
saris reuocabilem.] deinde id probat ex Scripturis.

DECIMVSOCTAVVS, Alfõsus à Castro l.2. de
,, iusta hæret. punitione cap. 7. [Hoc dominium ciuile &
,, politicum etiam amittitur per hæresim manifestam; ita
,, vt Rex factus hæreticus, ipso iure sit regno priuatus, &
,, Dux suo ducatu, & Comes comitatu: & idem de alijs
,, populorum dominijs, quocumque nomine cẽseantur,
,, dicendũ est. nam de omni dominio generaliter loquitur
,, illud cap. finale de hæreticis.

,, Nec mirari debet aliquis, quòd Papa propter hæresis
,, crimen Regem à regia dignitate deponat, & regno
,, priuet: quoniam in negotio fidei etiam Reges sicut &
,, alij inferiores subduntur Summo Põtifici: quo fit, vt
,, illos sicut quoslibet alios punire possit. &c.]

Deinde quærit ad quem deuoluatur illud regnum; & respondet: Si sit hereditariũ deuolui ad heredem, modò hic sit Catholicus. Si non sit Catholicus, liberũ esse regno alium Regem eligere. *Si Rex hæreticus*, inquit, *nullum habet heredem, aut ille quem habet est etiam hæreticus, tunc si regnum non est etiam hæresi infectum, dicerem regnum*

regnum ipsum habere ius & potestatem eligendi sibi Regem, iuxta id quod 1. libro Regum dicitur: Populus facit sibi regem. Si verò regnum est etiam eadem peste infectum sicut Rex; regnum etiam erit ipso iure priuatum potestate eligendi sibi Regem: & tunc negotium deuoluetur ad summum Pontificem, vt ille tamquam summus Ecclesiæ Iudex decernat quid agendum, sicut facilè colligi potest ex dictis in cap. Excõmunicamus, §. Moneantur, extrau. de hæreticis &c.

Decimvsnonvs, Dominicus Soto Confessarius Caroli 5. Imperatoris in 4. dist. 25. q. 2. a. 1. *Ad horum maiorem claritatem & firmitatem adhibetur quinta eademque Catholica conclusio, contra eorum hæresim qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem. Potestas quæcũque ciuilis, eatenus est Ecclesiasticæ subiecta in ordine ad spiritualia, vt Papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei & religionis exegerit, non solùm Ecclesiasticarum censurarum fulminibus aduersus Reges agere, eosque cogere: verùm & cunctos Christianos Principes temporalibus bonis priuare, & vsque ad eorum depositionem procedere &c.* Hic doctrinam nostram dicit pertinere ad fidẽ Catholicam; & contrariam, esse hæresim.

Vigesimvs, Dominicus Bannes 2. 2. q. 10. a. 10. dubit. 4. [Papa habet in ordine ad spiritualia potestatem quamdam plenariam circa temporalia, qua potest vti quando opus fuerit in ordine ad gubernationem spiritualem. quam potestatem non potest à se abdicare, & alteri conferre: quia ista potestas est annexa officio Pontificis.]

Habemus hic præter Patres primæuæ Ecclesiæ qui ante 1200. annos floruerunt. 20. illustres Doctores, quorum multi non solùm doctrina toto orbe sunt celeberrimi, sed etiam sanctitate & miraculis clari. Possem longè plures proferre, sed cui isti non sufficiunt, nulla numerositas satis erit. His accedunt reliqui omnes

tum

tum Theologi tum Canonistæ, quorũ testimonia infinitum esset verbatim recitare. denique omnes Academiæ Catholicæ. Altera sententia nullos habet patronos sanctitate vel doctrina illustres, sed solùm aliquot hæreticos vel schismaticos, vt Marsilium à Padua, Ioannem à Ianduno, Waltramum Nauburgensem (qui tamen postea resipuit) & similes aliquot, qui tempore schismatis Henrici 4. Frederici 1. vel 2. vel Ludouici 4. extitere. Potentibus enim numquam desunt assecla, quantumuis iniqua sit causa quam tuentur.

QVARTA PROBATIO.
Ab Exemplis.

80. IDEM confirmari potest ex eo, quòd Summi Pontifices iam à multis sæculis hac potestate sepius sunt vsi. Multa enim extant exempla eorum, qui ab illis Imperio temporali, vel in totũ vel ex parte fuere priuati.

Aduersarij exempla reijciunt.

Barclaius cap. 40. respondet ista exempla parui se facere. [Quia, inquit, factum Pontificum (teste Soto) non facit fidei articulum. Pontifices fuisse homines, " & humano more in rebus gerendis labi potuisse. ideo" que de factis illorum quibus talem potestatem exercere " nisi sunt, Iuris quæstionem adhuc superesse, rectène an " secùs peracta sint. Nec illud, inquit, nos mouere debet, " quòd authores Historiarum, qui facta illa Pontificum " litteris mandarunt, nullam reprehensionis notam adiece" rint, sed potiùs probarint, laudarintque. Nam eius rei " causas complures fuisse video. Primùm, quia omnes " eius temporis Scriptores, aut Monachi erãt, aut saltem " Clerici; quibus præcipuè augere dignitaten Pontificiam " curæ fuit: ideoque summopere cauebant, ne qua Pontifi" cum facta sugillarent, aut iniustitiæ arguerent. Deinde " quia tanta sanctitatis Papæ tunc temporis opinio fuit, vt

gesta

gesta ab eo tamquam à Deo facta vulgus amplecteretur. „
Denique, quia præsens illis imminebat periculum, quod „
multorum adhuc manus ligat, linguamque occludit, „
ne si quid Papæ ingratum exarassent, aut eius facta re- „
prehẽdissent; tam scriptor quàm scriptum diris Pon- „
tificijs statim percelleretur. his accedit, quòd præcipuũ „
historici officium in narrando, non in iudicando consi- „
stit. Vnde multi memoria magis quàm iudicio pollen- „
tes, animos ad historicam narrationem appulerunt, & „
nuda tantùm ac simplice rerum gestarum relatione con- „
tenti, earum æquitatem omnibus æstimandum in medio „
reliquerunt.] Et infrà. [Hanc æquitatem vel ex autho- „
ritate Scripturarum, vel ex traditionibus Apostolicis, „
vel ex antiquis Ecclesiæ decretis, vel denique ex recta „
naturalis rationis norma addiscimus. Atq; ita eò res sem- „
per redit, vt de cuiusq; facti æquitate sit inquirẽdũ &c.] „

Hæ sunt causæ cur Barclaius de exemplis istis nihil laboret. Primùm hic velim consideret prudens lector, an non sit magnæ temeritatis & arrogantiæ, hominem priuatum reuocare ad suum examen Ecclesiæ facta, quæ tot sæculis ab omnibus passim Catholicis iusta sunt habita: quæ non vnius, aut paucorum iudicio, nec præcipitanter gesta, sed longa disquisitione præuia, multis consultationibns cum primarijs Ecclesiæ viris, & plerumque cum Synodo Prouinciali vel Oecumenica præmissis, doctissimis & sanctissimis quibusque consentiẽtibus, & approbantibns. Quãdo enim agitur de alicuius Principis excommunicatioue, vel de relaxando subditos eius fidelitatis iuramẽto, lentè admodum, & summa cum deliberatione proceditur, nec quidquã quod obsistere videatur, indiscussum relinquitur. Eodem iure in examen à quolibet priuato reuocari poterunt omnes Pontificiæ censuræ, omnes votorum & iuramẽtorum relaxationes, omnes sanctorum canonizationes, & religiosorum ordi- 81. Refutatio

 num

num approbationes : quia sunt facta Pontificum , qui in rebus gerendis more humano labi possunt. At quid hoc aliud est , quàm omnem ordinem turbare , & ouem se iudicem sui pastoris constituere , & priuatum iudicium communi Ecclesiæ iudicio , ac sentētiæ anteponere? Non est hæc Catholici viri , qualis Author videri cupit , modestia , sed hæretici spiritus insolentia . Omitto quod ipse tenuiter admodum, vt scripta præ se ferunt Philosophicis & Theologicis disciplinis, ex quibus examen huius rei totum pēdet, imbutus videatur. Deinde,non est quæstio, vtrum facta summorū Pontificū aduersus Principes iusta fuerint an iniusta ; laudanda an improbanda (fieri enim potest , vt ob aliquam circumstantiam interdum non fuerit expediens eousque procedere) sed vtrum summi Pontifices habeant authoritatem iusta causa subsistente, talis pœnæ in Principem statuendæ . Id autem optimè colligimus ex tam crebro vsu huius potestatis . Vnde etiamsi facta Pontificum non faciant articulum fidei , quo teneamur credere singula rite & legitimè gesta , ob varias rerum peristases in quibus potest esse deceptio : tamen possunt facere articulum fidei circa ipsam potestatem , ita vt non possimus sine graui errore negare talem potestatem ei competere, præsertim alijs quibusdam circumstantijs concurrentibus : vt , quòd summa cum deliberatione gesta sint , accedente plerumque iudicio Synodi Prouincialis, vel Generalis ; quòd de ea potestate nūquam in Ecclesia dubitatum ; quòd anathema in repugnantes intortum , & similia . Sic , ex eo quòd sæpius Indulgentias per totam Ecclesiam concessit ; quòd votorum & iuramentorum vincula relaxauit ; quòd impedimentorum matrimonij subinde gratiam fecit , certò colligimus huiusmodi potestatē ei suppeditare : quamuis non sit æquè certum singula facta omni ex parte rata & valida extitisse . Itaque publica exempla in quibus e-

xtat vsus alicuius publicæ potestatis, maximam vim habent ad eam potestatem asserendam. Non enim est credibile rem toties iudicatam & exercitam, non fuisse à maiorib' nostris diligẽtissimè discussam: aut eos ita extitisse temerarios & insanos, vt tanta fiducia in re tanti momẽti potestate ambigua vterentur. Ita de supremis iudicibus, & in primis de summo Pontifice Christi Vicario par est credere, qui in Ecclesia regenda præcipuo quodam modo à Spiritu sancto dirigitur, & in rebus arduis sapientissimos quosque viros, ex toto orbe in consilium adhibere consueuit.

Frustra ex dicto quodam Dominici Soto Barclaius sibi præsidiũ quærit. scitur enim quid vir ille doctissimus in hac causa senserit. Verba eius ex comment. in 4. sent. suprà nu. 79. posuimus, quibus sententiam Barclaij hæreseos damnat. Sed inquit Barclaius, *Non exemplis sed legibus iudicandũ*, l. Nemo iudex 13. c. de sentẽtijs & interlocut. Quare exempla illa Pontificũ temporalem pœnã in Reges statuentiũ parui sunt pendenda: miror Iureconsultum tam præposterè, ne dicã imperitè leges allegare. Ea enim lege id solùm agitur, ne Iudices in ferenda sententia aliorũ exemplis; sed præscriptis legibus nitantur. Non enim ideo aliquis certa pœna plectendus, vel absoluendus est, quia alias in simili casu id factum: sed quia leges ita præscribunt; nisi fortè exẽpla consuetudinem adduxerint iuxta l. Si de interpretatione 37. ff. de legibus. Nam *consuetudo optima legũ interpres*, vt ibi dicitur, & ipsamet vim legis obtinet. At quid hoc facit ad causam præsentem, vbi non agitur de sententia Iudiciaria in facto aliquo singulari ferenda, sed de probanda iurisdictione? vnde enim hæc meliùs quàm ex crebro vsu multorũ sæculorum probari possit: præsertim cùm tanti temporis vsus & possessio etiam authoritatem & iurisdictionem, quæ antea non competebat, cõferre possit?

82. Sententia Soti.

Quomodo non exẽplis iudicandum

sit? Deinde etiam si exemplis non sit iudicandum sed legibus, maximè tamen valent exempla ad legum interpretationem, vt ex dicta l. 37. cōstat. vnde adduci solent, non vt ex eis iudicetur, sed vt ex eis veritas cōprobetur, vt ait Bartolus in d. legem, Nemo iudex. c. de sentent. & interlocut. n. 2. & colligitur ex l. 1. ff. de postulando. Itaque in hac causa, exempla faciunt tum ad ius diuinum, quo Summi Pontificis authoritas constituitur, declarandum: tum ad ostendendum quid æquitati sit consentaneū, quidue fieri possit, vbi similes euentus inciderint. Denique veterum exempla præsertim tantæ authoritatis maximi solent esse ponderis apud posteros, eaque tamquā oracula suscipi, nisi fortè hæreticum supercilium hanc insitam animis reuerentiam exemerit.

83. Cur aduersarius fidem scriptoribus abroget.

Scriptoribus qui ista Pontificum facta probarunt, Barclaius fidem abrogandam censet; tum quòd Monachi vel Clerici fuerint, ac proinde potētiæ Pontificiæ æquo addictiores: tum quòd metu Pōtificis verū fateri non sint ausi: tum quòd multi eorum memoria magis quàm iudicio præstiterint. Ego verò contrà, istam vitæ conditionem maximè ad fidem conciliandam valere pertendo. Cùm enim monachi rebus huius vitæ nuncium remiserint, & spes mundanas abruperint, vt soli Deo se probent, causas nullas habent veritatis prodendæ. Neque erat cur timore Pontificis id facerēt, quia nemo illos cogebat mentiri, aut contra conscientiam facta Pontificum probare & laudare; cum ad omnem securitatem satis esset ea ex fide referre, absque vlla in alterutram partem censura. Denique nescio cur multos eorum valuisse magis memoria velit, quàm iudicādi facultate, cùm examen huius rei potissimùm ad Philosophiam, & Theologiam spectet, quibus illi disciplinis præ ceteris instructi fuere: adeo vt omnes pene viri eruditione præstantes olim monachi vel clerici fuerint. Monachis omnes

pene

pene Septentrionis prouinciæ acceptum referre debent, quòd barbariem exuerint, quòd ad humanitatem & ciuilem cultum sint formatæ, quòd diuinarum & humanarum rerum notitia instructæ. denique quidquid habent laude dignum, monachorum institutione acceperunt. Itaque non est quòd iudicij laudem monachis detrahat, absque quibus foret, Scotia, Anglia, Germania, multæque aliæ prouinciæ in sua barbarie & cæcitate manerent. Politicorum potiùs quorumdam, qui sæcularem authoritatẽ tantopere efferunt, & Ecclesiasticam deprimunt, sublesta & suspecta debet haberi fides; partim quia rerum diuinarum notitia, quæ ad huius causæ iudicium est necessaria, destituti: partim quia terrenis addicti, plerumque & conscientiam, & sensum suum potentibus, spe commodorum temporalium nundinantur.

Quòd verò Barclaius ait, *tantam sanctitatis Papæ olim fuisse opinionem, vt gesta ab eo, tamquam à Deo facta vulgus amplecteretur*: quidnam obsecro ad rem facit? 84.
Non enim scriptores illi qui gesta Pontificum & annales sunt persecuti, in vulgo censendi, sed in eruditorum & sapientum numero. Deinde ipsum quoque vulgus in summis Pontificibus non tam vitæ sanctitatem, quàm authoritatem & eminentiam dignitatis suspexit: quæ sanè tanta est, vt meritò eius decreta & iudicia, publica præsertim, quæ tanto geruntur causarum examine, à Deo profecta censeri debeant. Vtinam & modò talis esset omnium populorum erga Vicarium Christi reuerentia, longè meliùs res Christiana se haberet, nec in tot pestiferas sectas esset diuulsa. Denique non soli scriptores facta illa Pontificum probarunt; sed etiam integræ Synodi, & orbis Christianus pene totus, exceptis paucis quibusdam schismaticis vel politicis, qui temporalium commodorum causa interdum aduersæ parti fauebant. Numquam desunt potentibus asseclæ & admini-

ſtri impietatis, etiamſi omnia diuina & humana miſce-re conentur.

85. Diſcuſſis Barclaij cauillis, ipſa exẽpla factorum inſpiciamus. PRIMVM ſit Conſtantini Papæ circa annũ 713. qui cùm Imperator Philippicus ſacras imagines aboleri iuberet, *coacta Synodo ſententiam Imperatoris damnauit, & cõſtituit, ne illius nomẽ publicis ſcriptis aut priuatis in ære, argẽto, plumbóue reciperetur*: vt Platina & alij ſcribunt. At quid hoc aliud fuit, quàm priuare iure temporali & tributis, imò ipſa dignitate Imperij? Nec obſtat, quòd Paulus Diaconus in hiſtoria Longobardica ſcribit: *Senatum, Populũque Romanum decreuiſſe, ne Philippici nũmi, néue litteræ à quoquam in poſterum ſuſciperentur*: quia cùm addat, *Hoc ideo factum, quia ſtatuas & imagines templorum Philippicus cõminui iuſſerat*, ſatis inſinuat authoritatem Pontificis interueniſſe, cuius erat eam iniuriam vindicare.

1. Exemplum contra Philippicum.

86. SECVNDVM ſit Greg. 2. circa annũ 720. qui Leonem Iſaurum Iconomachũ ſæpius monitum vt ab inſania deturbandi ſacras imagines, & earum cultores perſequẽdi deſiſteret; cũ nihil proficeret, tamdem *excõmunicauit, & Italiæ vectigalibus priuauit, prohibens Italis, ne conſueta tributa ei perſoluerent*. Referunt hoc Cedrenus, & Zonaras in Leone Iſauro, & ceteri Scriptores, qui illorum temporum geſta ſcriptis mandarũt. Barclaius negat hoc exemplo rei geſtæ veritatem contineri, idque propter duas rationes. 1. *Propter ſingularem illius Pontificis eruditionem cum ſumma morũ integritate coniunctam*. 2. *Quia Platina refert hunc Pontificem ſua authoritate obſtitiſſe Italis volentibus ab illo impio Principe deficere, & alium ſibi Imperatorem deligere. Quapropter*, inquit, *humanius videtur, & veritati congruentius Platinam hac in re ſequi, atq; in Zonaræ ſcriptis mendacium arguere, quàm innocentem optimi Pontificis vitam fœda nota iniuſtitiæ & rebellionis* ma-

2. Exemplum contra Leonẽ Iſaurum.

Barclaij obiectiones.

maculare. Et infrà dicit: *Pontificem id non potuisse facere sine manifesta legis diuinæ, & Euangelicæ doctrinæ præuaricatione.*

Verùm hæ rationes sunt nullius momenti. 1. Quia assumitur hic tamquam certum & manifestum id de quo agitur controuersia, quod vitium in disputando vocatur *petitio principij*, locus omnibus qui ratione destituuntur, perquam familiaris. Quæstio enim est, vtrum Summus Pontifex possit Principem vastantem Ecclesiam pœna temporali coërcere? Nos dicimus posse; neque id vllo modo cum sanctitate pugnare. & probamus ex facto Gregorij, quod passim ab historicis memoriæ proditum Barclaius negat posse, & ad factum Gregorij respondet, illud non esse credendum, & historicos mentiri: quia non est credibile virum tam sanctum & doctum voluisse tam fœda & iniqua rebellione se contaminare, & tam manifestè legem diuinam, & Euangelicam doctrinam præuaricari. An potuisset apertiùs principium petere, & sumere tamquam certum, de quo vertitur quæstio? Refutantur.

2. Quod ad Platinã attinet, falsum est, *ipsum aliorũ historicorum sententiam manifesta cõtradictione impugnare*, vt iste confingit. Nusquam enim Platina negat Gregorium id fecisse, quod alij eum fecisse affirmant. Nec refert quòd Platina scribat, Gregorium sua authoritate obstitisse, ne Itali alium Imperatorem eligerent. potuit enim ei tributa negare, & simul nolle alium Imperatorẽ deligi: vel quòd speraret illum hac ratione emendãdum, vel quòd nondum esset opportunum alium adsciscendi, Longobardis adhuc magnam Italiæ partem tenentibus. Similiter non refert quòd Platina illud de negatis tributis non cõmemoret: quia multa alia omisit, quæ alij postea ex antiquis Scriptoribus collegere, vt ex Onuphrio & Massono est perspicuum. hinc annotationes ab Onuphrio ad Platinam additæ. Addo Platinam expressè scri-

bere

bere Paulum Exarchum, qui loco Imperatoris in Italia præerat, à Gregorio fuisse prohibitum, ne noua vectigalia exigeret: vnde mandato Imperatoris, eius vitæ insidiatum. An hoc non est iuri Imperatoris se opponere, & eum temporalibus bonis priuare? Quomodo Barclaius hoc factum sanctissimi & doctissimi Pontificis excusabit, si denegare tributa non poterat absque fœda iniustitiæ & rebellionis nota; & manifesta legis diuinæ, ac Euangelicæ doctrinæ præuaricatione?

87. 3. Exemplum contra Leonē Isaurum.

TERTIVM sit Gregorij 3. qui proximè Gregorio 2. successit, prudentia, doctrina ac sanctitate vitæ ei nō impar, vt omnes scriptores testantur. *Hic statim vbi Pōtificatum iniit, Cleri Romani consensu Leonem tertium Imperatorem Constantinopolitanum, Imperio simul & communione priuat, quòd sanctas imagines è sacris ædibus abrasisset, & statuas demolitus esset, quodque etiam de homousio malè sentiret.* Hæc Platina, cui præ omnibus fidem habendam censet Barclaius, quòd ei multa ex antiquis monimentis adiumenta suppeterent ad indagationem veritatis rerum in Vrbe & Italia gestarum. Verùm non videtur hoc exemplum legisse, vel si legit dissimulasse: alioquin committere non poterat, quin hunc Gregorium rebellionis & iniustitiæ damnaret, sed immeritò. nemo enim hactenus Catholicorum scriptorum illud factum reprehendit, sicut nec Constantini primi, aut Gregorij 2. hic notandum vt Pontifices sensim aduersus hæreticos Imperatores processerint. Primò enim Cōstātinus Philippici ~~Iconomachi~~ [monothelitæ] nomen & effigiem abrogandā censuit: quo facto ei tacitè dignitatem Imperij detraxit. 2 [2. Gregorius 2.] Leonem tertium excommunicatum vectigalibus Italiæ priuauit. Postea Gregorius 3. eidem Leoni expressè honorem & ius Imperij abrogauit, saltem donec resipisceret. Neque dubitandum est, quin hæc omnia magna deliberatione præuia, & iudicio Synodico statuta sint,

cùm

cùm res totam Italiam concerneret: quod etiam Scriptores dissertè testantur.

QVARTVM sit Zachariæ primi, successoris Gregorij 3. Hic rogatu Primatum Franciæ, Childericum Regem regno priuari iussit, & in monasterium concludi, ac in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem Regem creari. Causa fuit, quia Childericus ad gubernacula regni erat ineptus, vtpote hebes, socors, & totus in voluptates effusus: & aliunde magnum religioni & regno ab hostibus imminebat periculum. Vide Trithemium de origine Francorum anno Domini 751. Paulum Diaconum l. 6. c. 5. de gestis Longobardorum, & Cedrenum in vita Leonis Isauri. 88. 4. Exemplum. Depositio Childerici.

Barclaius vt hoc exemplum eludat, valde se torquet. 1. multa notat, sed ita perplexè, vt nescias quid tamdem velit concludere. Videtur tamen insinuare Childericum non fuisse verè Regem, nec regiam habuisse authoritatem, sed solùm nomen nudum retinuisse: totam verò potestatem fuisse penes Pipinum militiæ præfectum, qui Maior-domus vocabatur. Itaque non tam mirum videri debere, si Proceribus omnibus in Pipinum propendentibus Zacharias consenserit, vt qui multis beneficijs à Pipino, & eius patre Carolo Martello fuisset affectus. Verùm etsi Childerici parua fuerit apud Primores & plebem authoritas: certum tamen est ius regiæ potestatis apud ipsum resedisse, donec eo per sententiam fuit priuatus. Non enim socordia, aut libidines ipso facto regno priuant, sed dignum reddunt qui priuetur. Neque etiam vsucapione illud sibi Pipinus acquisiuerat; quia quidquid ipse & eius maiores in regni administratione gesserant, id non suo nomine, tamquam ipsi essent Reges, sed nomine Childerici, cuius erant ministri & instrumenta, fecerant. Itaque dignitas & authoritas regia nondum erat in illum translata, sed apud solum Barclaij oppugnatio.

Childericum remanebat.

Hoc aduertens Barclaius, tamdem respōdet, factum hoc Zachariæ & Francorum iniustum fuisse. quia per se malum est, Regem legitimum à subditis deponi, aut deponentibus consentire. *Scio* (inquit) *Bellarminū* [a] *alibi nimia huius facti Zachariæ æquitatis fiducia, audacter affirmare, neminem sanæ mentis negaturum, factum istud fuisse iustum. At nihil proponit cur non sapientissimus quisque iniustum fuisse asseueret. nullam, dico, rationē probabilem & efficacem reddit, qua sapiens sibi persuadeat Papam Francis in deponendo Childerico iustè consensisse. quandoquidem nullo casu licet malum facere, vt bonum inde quantumuis magnum consequatur. deponi autem Regem ligitimum à proprijs subditis, aut deponentibus consentire, cùm ille solum Deum supra se habeat, cui soli gestorum suorum rationem reddere tenetur, per se & simpliciter malū esse iam satis ostendimus.* Hæc ille. eadem ferè habet Blacuellus q. 2. pag. 146. & 147. Quo in responso rursus principium petit, vt ante fecerat, assumens pro ratione vltima & peremptoria id quod est in controuersia, & quod ab omnibus Doctoribus censetur manifestè falsum & absurdum. Omnes enim Theologi & Philosophi, omnes Canonistæ & Iurisperiti docent Principem ob aliquas causas à subditis deponi posse; idque nos etiam infrà demonstrabimus. At Barclaius vult hoc in omni euentu esse intrinsecè malum; idque esse adeo manifestum, vt nullus sapiens factum illud Francorum possit approbare, & ex hoc principio condemnat quidquid in contrarium adfertur, qua in re mentis vel inopiam in ratiocinando declarat, si putet se aliquid efficere; vel malignitatē, si huiusmodi offucijs lectorum intelligentiæ illudere. Deinde condemnat insipientiæ omnes Doctores, & tot sæculorum sapientes, qui hoc factum Zachariæ & Francorum probarunt, & iustum censuerunt. Quis enim tot centurijs

a. lib. 2. de Pont. c. 17.

Nullo euentu Princeps à subditis potest deponi iuxta Barcl.

centurijs annorum præter huius extremi æui hæreticos aliquot illud factum reprehendit? Denique Pipinum & Carolum Magnum facit inuasores Regni, tyrannos, & reos perduellionis, vt qui iniustè contra suum legitimum Principē se erexerint, illum solio deturbarint, & illud per vim occuparint. quo crimine simul omnes Primores & totum populum inuoluit.

Attulerat Bellarminus in confirmationem illius facti duo argumenta vel indicia, quæ à Barclaio fusè refutantur. *Argumenta*, inquit, *duo quibus ad depositionis illius iustitiam probandam vtitur, adeo incerta sunt & friuola, vt illa ab eo proposita esse mirer. Nam primò quòd facti Zachariæ æquitatem ex euentu rerum metitur, quasi ideo factum istud iustum censeri debeat, quod illa regni mutatio prosperos & felices successus habuerit, id adeo plebeium est & puerile, vt ne cogitari quidem à tanto Viro, nedum scribi debuerit. careat successibus opto, quisquis ab euētu facta notanda putet*. Omissa styli acrimonia qua iste vtitur, & qua vicissim facilè perstringi pro meritis posset: Resp. facta non esse ex solo euentu pensanda; vt si quid inconsideratè, temerariè, vel contra ius & fas gestum sit, quod felicem exitum habeat, non ideo id probandum: sed si res magno consilio, magna consideratione ad publicam salutem & religionis instaurationem instituta fuerit, nec quidquam in ea appareat quod legi diuinæ vel humanæ repugnet; si ea felicissimum exitum habeat, sanè magnum signum est Deo authore conceptam, eiusque fauore directam & peractam. Qualis fuerit status Franciæ per 80. annos vsque ad illa tempora, Regum nimirum socordia, scribit S. Bonifacius in epistola ad Zachariam Papam: vbi dicit, *ab 80. annis nullam fuisse ibi Synodum, nullum Archiepiscopum, Episcopales sedes maxima ex parte traditas laicis, cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus, & publicanis sæculariter ad*

89. Defendūtur duo argumenta Bellar. aduersus Barclaij cauillos.

Quando felix exitus est indicium diuini fauoris.

perfruendum : & alia enormia commemorat. At translata Regia potestate ad Pipinum, & filium, omnia hæc fuere emendata, & regnum istud religione, potentia, & politia factum est clarissimum. Quis non dicat hic fauorem diuinum interuenisse? Nec refert quòd interdum sapienter & optimo consilio suscepta, tristes exitus habeãt, vt videre est in duplici expeditione transmarina S. Ludouici; & in alia pro recuperanda Terra Sancta tẽpore B. Bernardi: & è contrario iniquè acta, felices. hoc, inquam, non obstat; quia nihilominus felices exitus, si ceteræ quas diximus circumstantiæ concurrant, ordinariè magnũ diuini fauoris & iusti conatus sunt argumentum.

Alterum indicium erat à sanctitate B. Bonifacij, cu-
90. ius opera Zacharias Papa vsus est in Pipino Rege inungendo & coronãdo. Si enim illud factum iniquum fuisset, numquam vir ille sanctissimus se illi executorem & administrum præstitisset. Respondet Barclaius: *Leue & nullius momenti hoc argumẽtum esse. Nam Bonifacius nudas executoris mandati Apostolici partes in illo negotio obibat, ideoque nihil eius sanctitati detraxit, quod iubente Pontifice peregit: quippe tenebatur Papæ sententiam exequi, licèt sciuisset eam esse iniustam, iuxta Cap. Pastoralis, §. Quia verò, de officio & potestate Iudicis delegati.* Idem cõfirmat ex can. Quid culpatur 23. q. 1. & can. Miles 23. q. 5.

Verùm fallitur, vel fallit largiter, & sibi ipse repugnat. Paulò enim antè docuit esse fœdam & iniustam rebellionem, & manifestam diuinæ legis præuaricationem. item esse per se & simpliciter malum, si subditi aliquo casu suum Principem deponere, & alium sibi adoptare conentur. quomodo ergo mandatum Pontificis potuit facere, vt S. Bonifacius sciẽs qualitatem facti, posset ad illud licitè cooperari, & totius illius operis fieri executor?

Si

Si Iudex aliquid mandet quod apertè sit iniquum, & contra legem diuinam, idque sciat mãdatarius, poteritne ei parere, & se executorem nefarij mãdati præbere? Perspicuum est nõ posse. tũc enim locum habet illud Apostolicum pronunciatum, *obediendum potiùs esse Deo quàm hominibus*. alioquin excusari poterunt omnes carnifices martyrum, & milites mandato principis iniqua bella persequentes.

Neque ad rem facit Cap. Pastoralis. Quia non loquitur in eo casu quo mandatum est de re per se illicita, & legi diuinæ manifestè contraria (qualem vult Barclaius esse Principis depositionem) vt annotat ibi Panormitanus n. 2. & alij DD. sed de ea, quæ solùm priuata sciẽtia scitur esse contra ius litigatoris (cùm tamen secundum ordinem iuris ex allegatis & probatis aliter sit iudicatum:) neque est tanti momenti, vt propter illam rem publicum iudiciorum ordinem perturbari expediat. Itaque debet esse talis, vt de ea Iudex supremus possit disponere boni publici causa. ita Glossa, Panormitanus, & alij DD. At iuxta Barclaium nihil horum competit in casum de quo est quæstio. Pari modo ad rem nõ facit can. Quid culpatnr, ex S. Augustino l. 22. contra Faustum cap. 74. & 75. quia apertè ibi requiritur, vt non constet rẽ præceptam esse contra legem diuinã. *Vir*, inquit, *iustus si fortè sub Rege sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans; cui quod iubetur vel nõ esse cõtra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reũ faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi*. Ex quibus perspicuũ est, subditũ vt possit parere Superiori, debere apud se certò statuere, opus præceptum non esse cõtra legem Dei: vel si ambigat, ita debere esse ambiguũ, vt prudenter possit credere superiorem non falli, eiusque præceptum esse licitum. Quomodo ergo S. Bonifacius à

Intellectus cap. pastoralis.

ſcelere excuſabitur, ſi ſciuit rem ſceleratam præcipi, & nihilominus paruit? Quomodo illum *innocentem oſtendit ordo ſeruiendi, & parendi neceſsitas*, ſi res præcepta legi diuinæ erat manifeſtè contraria? Denique nec Canon Miles ex D. Auguſtino l. 1. de Ciuit. cap. 26. aduerſæ ſententiæ fauet: quia manifeſtè loquitur de Imperio iuſto, & ex vera Iuriſdictione profecto: vt cùm Princeps iubet occidi ſubditum reum mortis & condemnatum. Hunc enim ob iuſtum imperiū Principis miles abſque ſua culpa occidere poteſt: quem ſi iniuſſu Principis & propria authoritate interficeret, ſcelere homicidij ſe alligaret. At Imperium illud de quo agimus, iuxta Barclaium, iniquum erat, nec ſummus Pontifex vllam ad illud factum Iuriſdictionem habebat. Ex quibus patet 1. quo iudicio vel fide iſte in Canonibus & ſententijs Doctorum verſetur. Deinde ſolida conſtare duo illa indicia ſeu argumenta quæ Bellarminus ad iuſtitiam facti Zachariæ & Francorum adduxerat. His adde alia ſex.

Itaque 3. accipe à moribus & ſanctitate ipſius Zachariæ. *Hic enim*, vt ſcribit Platina, *inter optimos Pontifices annumeratur. Fuit vir mitiſsimi ingenij, miræ ſuauitatis & gratiæ, omni vertute præditus, Cleri & populi Romani amator, ad iram tardus, ad miſericordiam & clementiam promptiſsimus, nulli malum pro malo reddens, ſed ad imitationem Saluatoris malum in bono vincens* &c. Quomodo credibile eſt talem virum in fœdam coniurationem, & manifeſtam legis diuinæ præuaricationem fuiſſe conſenſurum, eamque ſua authoritate promoturum?

91. Alia argumenta pro facto Zachariæ.

4. Ab authoritate Synodi, quæ tunc temporis opera S. Bonifacij, petente Pipino Duce, in regno Franciæ eſt celebrata, in qua non eſt dubitandum hanc cauſam fuiſſe tractatam, agitatam, & approbatam.

5. A conditione eorum per quos hæc res apud Sedem Apo-

Apostolicam est tractata, qu[illegible]ere S. Burghardus Episcopus Wirtceburgẽsis, & Volradus Abbas. Hi enim ad Zachariam Pontificẽ à Primoribus Francorũ missi Legati, vt ipsius consilium & consensum obtinerent: vt scribit Trithemius de origine Francorũ ad annũ Domini 751. Et Adelmus in suis annalibus ad annum 749. teste Papyrio Massono.

6. A communi consensu totius regni. *Placuit*, inquit Trithemius, *in communi omnibus, vt Regem Childericum nullam regnandi vel peritiam vel potestatem habentem deponerent, & Pipinum penes quem totius Regni summa manebat authoritas, in Regem sublimarent*. Mirum est in tanto numero neminem fuisse qui manifestam legis diuinæ præuaricationem, quam Barclaius Scotus post tot sæcula vidit, in eo facto non aduerteret.

7. Quòd *successor Zachariæ Stephanus ratam habuit decessoris sui voluntatem. Itaque Childerico in monasterium relegato, Pipinus regiũ ornatum nomenque sumpsit*; vt scribit Papyrius Massonus in Pipino. *Exemplo*, vt inquit ille, *publicè salubri, ne reges imbelli otio victi, pro virtute ignauiam colant. Semper enim illustribus familijs otium & ignauia exitio fuere*.

8. Quòd hactenus nemo repertus sit præter aliquot hæreticos & Barclaium, qui hoc factum iniustitiæ & rebellionis arguerit. Quòd autem ista depositio non solùm consilio & consensu, sed etiam authoritate summi Pontificis peracta sit, patet ex multis signis. 1. Quia Proceres à iuramento fidelitatis absoluit. id enim ipsi ab eo petierant, vt indicat Massonus in Zacharia. idem expressè habetur apud Gratianum 15. q. 6. can. Alius. & in regesto Gregorij 7. lib. 8. epist. 21. & apud Iuonem p. 5. cap. vlt. 2. Quia Adelmus apertè scribit, Zachariam per Legatos consultum rescripsisse, *inutiles esse Reges, qui otiosi forent; dataq́ authoritate sua iussisse Pipinum Regem consti-*

Esse factā depositionem authoritate Pontificis.

constitui. Galliæ enim vir[illegible]*pus erat, Hispania tum ab Arabibus & Afris occupata, qui illam penitus subiecissent ditioni suæ, nisi Carolus Pipini pater cum maximo exercitu eis occurrisset.* Similia scribit Platina. *Pipinus*, inquit, *regnandi cupidus, Legatos suos ad Pontificem mittit, eumque rogat, vt regnum Franciæ sibi sua authoritate cõfirmet. Annuit Pontifex eius postulatis, atque ita eius authoritate regnum Franciæ Pipino adiudicatur, anno Domini* 753. 3. quia Childericus non solùm fuit regno abdicatus, sed etiam in monasterium iussu Pontificis detrusus, vt Trithemius, vetus Chronicon Francorum, & alij scribunt. 4. quia *Pontifex S. Bonifacio per Apostolica scripta mãdauit, vt Pipinum in Regem Francorum vngeret. Itaque Pipinus iussu Zachariæ Papæ in Regem Francorum in ciuitate Suessonum vnctus & coronatus est per manus S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntiacensis anno Domini* 752. vt idem Trithemius testatur. Nec obstat Glossa can. Alius 15. q. 6. vbi illa verba *Zacharias deposuit Regẽ*, interpretatur *deponentibus consensit*. quia loquitur de consensu authoritatiuo. neque etiam his obstat quod Pipinus electione & communi cõsensu Regni factus sit Rex; quia ad eumdẽ effectum plures causæ ~~quoque~~ in suo ordine & gradu cõcurrere possunt.

92. Altera respons. Barcl.

Tamdem Barclaius secundam solutionem facto Zachariæ adhibet, qua, cõcessa illius facti iustitia, pernegat inde sequi Pontificem Reges perniciosos, si potẽtes sint, sua authoritate posse deponere. *Demus*, inquit, *factũ istud fuisse iustissimum; quid inde quæso roboris & firmamenti accedere potest ad probationem temporalis potestatis, quã Papæ in Principes tribuunt? Nũquid aliud quàm vt eius facti exemplo Papa nunc faciat, quod tunc fecit Zacharias? Nempe vt alicui populo Regem suum paribus de causis abdicare cupienti consensum præbeat &c. Hoc ergo exemplum Zachariæ quid ad immensam illam potestatẽ stabili-*

biliendam confert, qua ſequentibus ſæculis freti Pontifices interdum Reges potentiſſimos, & omnibus copijs florentes, animique & corporis viribus præſtantes, non populorum rogatu vel cõſenſu, ſed proprio motu per bella, per cædes, per ſchiſmata, per maximas Reipub. calamitates, regnis & ſceptris priuare gloriati ſunt & conati? Numquid facti Zachariæ exemplo id illis licere quiſquam ſapiens iudicabit? Hæc ille.

Sed hæc ſolutio euertit primarium authoris fundamẽtum. Si enim Rex iuſtè deponi poteſt in illa rerum periſtaſi; quæ in cauſa Childerici concurrerunt: ergo falſum eſt illud ſubditorum ſtudium eſſe fœdam rebellionem, & manifeſtam legis diuinæ præuaricationẽ: & falſum eſt regem à ſolo Deo poſſe iudicari & deponi, & ſolum Deum habere ſuperiorem. hæc tamen ſunt aduerſarij fundamenta, vt ex ijs quæ ſuprà diximus conſtat. Deinde ſi Rex poteſt deponi quando eſt ineptus, vel inutilis regno; cur non multò magis quando eſt pernicioſus, vaſtator ſacræ religionis, animorum & corporum tyrannus ac prædo? Nam quod de potentia regis & opibus & viribus corporis ac animi dicitur, quid obſecro facit ad propoſitum, vbi de iuſtitia depoſitionis agitur? Non enim quia reus eſt potens ad reſiſtendum, ideo iniuſta in eum executio: nec quia imbecillis ideo iuſta. Pari modo non ideo iniuſta erit regis depoſitio, quia ipſe potentia & opibus valet, ita vt ſine cæde & ſanguine exturbari nequeat: nec ea res poteſtatem & Ius deponentium minuit. Sunt quidem illa conſideranda, ne imprudens, incircumſpecta, & temeraria ſit depoſitio. ad iuſtitiam autem vel iniuriã facti in ipſum Regem nihil efficiunt. Quare ſi ſummus Pontifex imbecillem Principem regno inutilem iure deponere poteſt: etiam pernicioſum quantumuis potentem poterit. ſed vtrum Eccleſiæ expediat, perpẽdere debet. Præterea ſi populo petente cauſa religionis deponi poteſt: cur non

Refutatur.

etiam populo non petente? Non enim authoritas summi Pontificis in ijs quæ ad religionis tutamen pertinent, à populo pendet, sed contrà authoritas populi in huiusmodi causis à summo Pontifice. huic enim, non populo religionis cura commissa. Itaque causa religionis nihil populus in suum Principem attentare debet, nisi ex Pontificis consensu. Rursus si petitio populi iustam facit Principis inutilis abrogationem: cur abrogatio perniciosi non semper iusta censeri debebit? Quia etiamsi populus ob metum expressè non agat vt talis deponatur; optat tamen id quàm maximè, præsertim qui sunt saniores, quibus nimirum salus patriæ & religio est cordi. Itaque depositio illa erat ex voto populi, & ex eius consensu, ac præsenti ratihabitione. Denique siue oues petant, siue nō petant; ad pastoris officium pertinet curare ne lupi ouibus dominentur. Ex his patet, quale sit quod scribit iste Barclaius: Nullum sapientem exemplo facti Zachariæ iudicaturum summum Pontificem sua authoritate Principem potentia & opibus florentem, etsi Ecclesiæ perniciosum*, posse deponere. Omitto quod hac sua definitiua sententia insipientiæ condemnet S. Thomam, S. Antoninum, Petrum Paludanum, Cardinalem Turrecremata, & alios multos viros doctissimos, qui hoc exemplum in confirmationem Pontificiæ authoritatis adducunt.

93. 5. Exemplum. Translatio Imperij.

QVINTVM sit Leonis 3. qui Imperium à Græcis transtulit in Germanos, eò quòd Ecclesiam occidentalem ampliùs protegere, & ab hostibus tueri non possent. Id autem authoritate Leonis Papæ, non Senatus Populique Romani aut alterius factū, probat clarissimè Card. Bellar. 1. testimonijs 33. historicorum, ex quibus etiam ostendit ab illo tempore Imperatores Romanorū à Pōtifice Romano fieri & creari consueuisse: nec esse verè & absolutè Imperatores Romanorum, sed solùm Germaniæ

niæ Reges, etiamsi electi sint, nisi à Pontifice sint consecrati & coronati. 2. Idem probat testimonijs & confessione 10. Imperatorũ, & Regis Galliæ, & publico instrumento Electorum Imperij. 3. Probat testimonijs 7. Pontificum: ex quibus hic solùm ponam illud Innoc. 3. (qui annos abhinc ferè 400. Ecclesiæ præfuit) quod habetur cap. Venerabilem. Ex. de Electione. *Illis Principibus ius & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cũ ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos. Sed & Principes vice versa recognoscere debent, & vtique recognoscunt (sicut ijdem & in nostra recognouere præsentia) quod ius & authoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam in Imperium ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus, & coronamus* &c. Vbi apertè habemus nõ solùm Imperatores iam ab 800. annis, sed etiam Electores suam dignitatem Sedi Apostolicæ acceptam ferre debere: & ad summum Pontificem pertinere Electum approbare si dignus sit, vel reijcere si indignus. Eadem disertè habemus Clement. Romani, de iureiurãdo, approbata à Concilio Generali, vt suprà n. 59. ostensum est.

Hæreticorum triplex ad hæc est responsio. 1. est Cẽturiatorum Magdeburgensium centur. 8. cap. 10. Hanc translationem fuisse iniquè factam, vsurpata non legitima potestate: imò esse præcipuum miraculum Antichristi. Sed contradicunt omnes Scriptores, imò consensus totius orbis. Nam Carolus & eius successores semper veri & legitimi Imperatores ab omnibus etiam Principibus habiti fuere. nec quisquam Regum illis litem de iure tituli mouit, aut se illis præponere vel æquare di- 94. Responf. hæretic. Translationem fuisse iniquam. Refutatur

gnitate in animum induxit: sed omnes tamquam veris Imperatoribus semper cessere, & primum honorem detulere. Verùm tantum est hæreticorũ in summum Pontificem odium, vt suam gentem malint Imperij iure spoliare, & suos Principes tyrannos, & iniquos alienorum Regnorum inuasores facere, quàm tanti beneficij gratiã Pontifici debere.

Responsf. Marsilij, Translat. factam à S.P.Q.R.

Altera est Marsilij Patauini & quorumdam aliorum hæreticorũ: hãc translationẽ esse factã authoritate Senatus, Populique Romani, vt refert Albertus Pighius lib. 5. de Eccles. Hierarchia c. 14. Sed 1. huic sententiæ aduersantur omnia testimonia suprà insinuata. 2. Quia vix vmquam antea apud Senatum vel Populum fuit authoritas Imperatoris eligendi. nam ferè semper vel ab exercitu Imperiali fuere electi, vel iure hereditario successerunt. Et quãuis aliquando penes illos fuisset, iam tamen à 500. annis, nimirum ex quo sedes Imperij in Oriẽtem translata fuerat, non erant vsi; ac proinde iam pridem eam amisissent. Quòd si apud eos non erat authoritas, etiam vacante Imperio, noui Imperatoris deligendi: multò minus viuenti & florenti Imperatori hãc dignitatẽ & ius Imperij Occidẽtalis adimẽdi, & in alterum conferendi. Denique Senatus Populusque Romanus nullam habebat authoritatem in Imperium Occidentale; sed tota eorum potestas Vrbis Romanæ limitibus coercebatur: ac proinde non poterant ipsum Imperium alteri dare.

Refutatur.

Politicorum resp. Armis quæsitum Imperium à Carolo.

3. Est multorum hæreticorum & politicorum, qui dicunt Carolum iure belli, & vi armorum comparasse sibi Imperiũ Occidentale, & totũ ius Imperiale; summum Pontificem solùm contulisse inanem titulum. Sed & hæc sententia omnibus testimonijs suprà indicatis luculentè refutatur. Omnes enim scribunt hanc dignitatem per summum Pontificem collatam, non autem iure armo-

Refutatur.

armorum acquisitam. Deinde, si iure armorum acquisiuit Ius Imperij, cur bello Longobardico confecto, ~~nimirum anno 781.~~ cùm Romam profectus, ibidemque honorificè susceptus curauit filios suos Pipinum & Ludouicum Adriani manu Reges inungi, Pipinum Longobardiæ, Ludouicũ Aquitaniæ, vt Massonus ex Adelmo cõmemorat? Cur inquã tunc nomẽ quoque & dignitatem Imperatoriam non assumpsit? Cur per 20. annos expectauit, nimirum vsque ad annum Domini 801. quo anno Leo tertius illum Imperatorẽ constituit & coronauit? Cur tunc primùm Imperator & Augustus salutatus est, si hanc dignitatẽ iam à 20. annis obtinuerat? Cur omnes historici eo anno translatum Imperium scribunt, & Carolum 33. anno regni sui Imperatorem factum, & solùm annos 14. post acceptum Imperium vixisse? Ita enim scribũt Abbas Vrspergensis & alij. 3. Imperatoria dignitas non solùm tribuebat Carolo ius ad ea retinenda, quæ armis occuparat, sed etiam ad alia obtinenda, quæ non occuparat, & Occidentali Imperio accensebantur. Vnde factus est Imperator Romanorum, cùm tamen antea nullum in Romanos ius haberet, vtpote quos numquam subiugarat, sed semper vt amicos tractarat. Itaque quod à Põtifice accepit, non erat inane nomen, sed dignitas & ius maximi momenti: quod & ipse Carolus & eius successores, & omnes Principes Christiani semper maximi fecere. Cuius signum est quod cùm Ecclesia à Frederico primo grauiter affligeretur, Emmanuel Cõnenus Imperator Græcus bis per legatos egerit cum Alexandro tertio, vt Occidentale Imperium, à quo Fredericus primus iure excidisse videbatur, rursus Orientali vniret, & ipsi restitueret, oblata ob eam causam magna vi pecuniæ, & exercitu valido aduersus Fredericum, & promissa vnione Ecclesiæ Græcanicæ cùm Latina sub obedientia Romani Pontificis.

(nimirum a° 781)

Imperat. Græcus agnoscit hãc potestatem.

Ita scribit Platina in Alexandro 3. Blondus decade 2. lib. 5. Nauclerus generat. 39. & alij. Vbi aduertendum Imperatorem Græcum nihil aliud petijsse à summo Pontifice quàm titulum & ius Imperij occidentalis. nam possessio armis quærenda erat. Censebat ergo ille non esse vanum & theatricum titulum, sed ius maximi momenti, quod summus Pontifex conferre poterat.

4. Ius illud quod Carolus armis in Prouincias Imperij acquisierat, non erat solidum, nec per se ad iustam retentionē sufficiens. Non enim, si mea bona, vi à latronibus occupata, quæ ego defectu virium non possum recuperare, tu iniquis possessoribus extorqueas, idcirco tibi ius erit ea retinendi. nam nihil commisi cur illis priuari debeam. solùm teneor rependere sumptus, quos in eam rem exhausisti. Quare cùm Longobardi fuerint iniqui inuasores & occupatores Prouinciæ Imperialis, & Imperatori Græco semper ius fuerit illos exturbandi; nec quidquam iniuriæ Carolo ipse intulerit ob quam iure suo priuari debuerit, perspicuum videtur Carolum ex illa occupatione non satis iuris habuisse ad ea quæ occuparat retinenda. Tunc enim solùm iure belli possunt occupata retineri, quando vindicantur illatæ iniuriæ, pro quibus Princeps ille ad quem ea pertinebant, legitimè monitus, satisfactionem exhibere contempsit; vt passim DD. tradunt. Quod sanè hic locum non habet. quia Imperator Græcus nullam iniuriam Carolo, aut Francis fecerat, nec vlla in hac re obtendebatur. Ex quibus patet Ius Caroli non fuisse ex solis armis, sed potissimùm ex donatione summi Pontificis. qui cùm Ecclesiæ rationes postulāt, potest etiam absque culpa prioris Domini, si ipse inutilis sit, ius regale ad alium potentem & idoneum transferre. Non enim illæ dignitates institutæ sunt ad commodum & fastum imperantium, sed propter bonum commune Reipublicæ & Ecclesiæ.

SEX-

SEXTVM sit translatio Imperij à Francis ad Germanos, eiusdemq; in illa gente cõfirmatio, & Electorũ institutio. Cum enim à Leone 3. attributum esset Carolo Magno, & eius stripi, vt absq; electione, iure hereditario in perpetuum succederent, sic tamen vt confirmationem & coronationem à Romano Pontifice peterent; permansit in familia Caroli annos circiter 119. nimirum ab anno 801. quo Carolus Magnus coronatus est, vsque ad 920. quo tempore stirpe Caroli exhausta translatum est in Ducem Saxoniæ Henricum Aucupem nuncupatum. Duo tamen postremi ex familia Caroli, nimirum Ludouicus Arnulphi filius, & huius successor Conradus Arnulphi nepos, nõ fuere propriè Imperatores, sed solùm Reges, quia à Summo Pontifice non fuere coronati. Similiter nec Henricus Saxo, cui cùm vnctio & diadema à Summo Pontifice offerretur, respõdit: *Satis mihi est, vt præ meis maioribus Rex dicar ac designer diuina annuente gratia, ac Vestra Pietate. penes meliores verò nobis vnctio & diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur*, vt refert Witichindus Saxo, qui illo tempore scripsit. Vnde historici, tres istos Ludouicum, Cõradum, & Henricum non vocant Imperatores, sed Reges tantùm, cùm tamen præcedentes & sequentes à Põtifice coronatos, semper Imperatores vocent. Imò nec ipsi Imperatores ijsdem nominibus appellati hos in numero Imperatorum censent. alioquin qui se scribit Henricum primum, deberet se scribere Henricũ 2. & sic deinceps. Et qui Ludouicum 4. deberet se scribere Ludouicum 5. &c. vt benè ostendit Card. Bellarm. l. 2. de translat. Imperij c. 2.

95. 6. Exẽplũ. Translatio à Francis ad Germanos.

Primus igitur è gente Saxonum Imperator fuit Ottho 1. Henrici filius, qui multis rebus pro Ecclesia præclarè in Italia gestis, obtinuit à Summo Pontifice Ioanne 13. Imperatoriam dignitatem. Sicut enim Carolus

Ma-

Magnus capto Desiderio & confecto bello Longobardico, meruit vt fieret primus Imperator ex gente Francorum: ita iste Ottho capto Berengario, & Italia eius tyrannide liberata, meruit vt exhausta iam Caroli stirpe primus ex gente Saxonum Imperator crearetur, *idque Romani Pontificis authoritate*, vt scribit Ottho Frisingen. lib. 6. Chrō. cap. 22. & 24. & Cuspinianus in vita Otthonis, Platina in Ioanne 13. & alij. Ex quibus patet quòd sicut antea Franci summo Pontifici acceptam referre debebant hanc dignitatem; ita modo à 670. annis eamdem eidem Pontifici debere Germanos. Accedit quòd ad eos non solùm Imperium transtulit, sed etiam in futurum confirmauit, & non hereditarium, sed electiuum fecerit, vt virtuti potiùs quàm generi deferretur. Denique hoc ius eligendi solis Germaniæ Principibus concessit: vt scribit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 995. *Gregorius Papa V.* inquit, *congregata Synodo statuit, consentientibus Romanis, & omni Clero, Romanum Imperium apud Germanos debere perpetuis futuris temporibus permanere; ita vt Germaniæ Principes per Otthonem 3. deputati, ius habeant & potestatem Imperatorem deligendi*. Idem testatur Iacobus Wimfelingus in epitome rerum Germanicarum cap. 20. *Gregorius*, inquit, *cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ, vt is qui ceteris virtute præstaret, præesset etiam dignitate, sanctionem tulit, haud abnuente Otthone, de Imperatore deligendo anno Christi* 1002. *quam vsque ad nostra tempora seruatam videmus: videlicet solis Germanis licere Principē eligere, qui Cæsar & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator & Augustus haberetur, si eum Romanus Pontifex inunxisset*. Idem constat ex testimonio Innoc. 3. suprà posito, & ex ipso diplomate Electorum, cuius autographum seruatur Romæ in Arce S. Angeli, & ad verbum ex autographo descriptum, extat apud Cardinalem Bellarminum

Electores Imp. à Romano Pontifice constit.

larminũ lib. 3. de tranſlatione Imperij c. 3. in quo primò agnoſcunt & dignitatem Imperialem & electoratum eſſe beneficiũ Romani ~~Imperij~~, his verbis: Nos Prin- „ Pontificis
cipes Imperij vniuerſis præſentem paginam inſpecturis. „ *Complectens ab olim Romana Mater Eccleſia, quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantùm præſidentium ſuper terram, plantans in ea Principes tamquam arbores præelectas, & rigans illas gratia ſingulari. Illud dedit eis incrementum mirandæ potentiæ, vt ipſius Eccleſiæ authoritate ſuffulti, velut germen electum per ipſorum electionem, illum qui fræna Romani teneret Imperij, germinarent* &c. 2. *Imperatorem in firmamento militantis Eccleſiæ eſſe luminare minus, Pontificem Chriſti vicarium luminare maius.* 3. *Imperatorem eſſe eum, qui ad nutum Pontificis materialem gladium excutit & conuertit, vt eius præſidio Paſtorum Paſtor adiutus, oues ſibi creditas ſpiritali gladio protegendo communiat, temporali refrænet & corrigat.* 4. *Approbant & ratificant omnia quæ ab Imperatoribus Eccleſiæ Romanæ conceſſa, donata, promiſſa, & ſpecialiter quæ de fidelitate, obedientia, honorificentia, & reuerentia per Romanos Imperatores & Reges Romanis Pontificibus, & ipſi Eccleſiæ impendendis.* Denique hoc ſcriptum omnium ſigillis munitum ſic claudunt. *Actum & datum anno Domini* 1279. *indictione* 7. *regnante Domino noſtro prædicto D. R. Romanorum Rege glorioſo, regni eius anno ſexto*. Vide Baronium tom. 10. ad annum Domini 996. Denique Centuriatores ipſi fatentur Electoratum eſſe Romani Pontificis beneficium. Sic enim ſcribunt centuria 10. cap. 10. *Gregorius* (quintus) *ſuam patriam inſigni aliqua dignitate ornaturus, ſanxit vt penes ſolos Germanos ius eſſet eligendi Regem, qui poſt diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator & Auguſtus appellaretur*. Hæc illi.

96. SEPTIMVM Sit Gregorij 7. Hic Henricũ 4. regẽ
7. Exemplum. & tertium Imperatorem eius nominis, ob grauissima & turpissima scelera excõmunicauit primùm: deinde cùm
Depositio Henrici 4. non emendaretur sed deterior euaderet, tamdẽ dignitate Imperij spoliauit, & alium in locum eius Imperatorem eligi iussit, quod & factũ est. Improbant hoc factũ summopere hæretici omnes huius tẽporis, & Barclaius cap. 9. & 10. non solùm vt imprudens & præcipitatum; sed etiã vt iniquum, & potestatis vsurpatæ. Hæretici multa Gregorio obijciunt, quæ ad 4. capita reuocari possũt. 1. Quòd per vim militarem & simoniam inuaserit Pontificatum. 2. Quòd Henricum insontem excommunicarit. 3. Quòd hæresi Berẽgarianæ addictus fuerit. 4. Quòd omnibus sceleribus fuerit contaminatus, vtpote, magus, simoniacus, homicida, adulter &c. Sed hæc omnia luce meridiana clariùs refutat, & falsissima esse ostendit Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 13. allatis plusquam triginta scriptoribus. Idem facit Gretzerus ex authoribus quinquaginta. Opusculũ illud vnde hæretici ista acceperũt vel fictitiũ est, vpote nuper primũ, nimirum anno 1535. in lucem editum (potuerunt enim Lutherani ista confingere vel addere quæ voluerunt, cùm præter vnum exemplar nullum extaret) vel scriptum ab eo quem constat capitalem ipsius Gregorij hostem fuisse, nimirum à Bennone quodam, qui cùm esset creatus Cardinalis ab Antipapa Clemente 3. quem Henricus Gregorio opposuerat, non potuit non partibus Henrici, & sui promotoris fauere, & Gregorio esse inimicissimus.

97. Gregorij factũ defenditur. Porrò hoc factum Gregorij iustum fuisse, & eum habuisse legitimam ad hoc potestatem, probatur 1. Quia Gregorius ab omnibus penè scriptoribus (ex quibus ad 50. producũtur à Gretzero) laudatur vt vir iustus & sanctus. at si hoc factũ fuisset iniustum ex potestate iniquè

què arrogata, ipse non solùm non esset laudandus; sed vt tyrannus, & iniquus vsurpator diuinæ authoritatis (qualem hanc esse volunt aduersarij) execrandus.

Neque solùm ipsum generatim laudibus ornant; sed plerique etiam in hac causa contra Henricum mirificè ipsius virtutem commendant: inter quos multi non solùm doctrina, sed etiam vitæ sanctitate celebres fuere. quorum primus sit B. Anselmus Lucēsis Episcopus doctrina & miraculis clarissimus, Gregorij discipulus, *qui* (vt scribit Bertholdus Constantiensis author illius ætatis in suo Chronico) *post obitum Gregorij fideles S. Petri* (id est causam Gregorij fouentes) *contra tyrannidem Henrici adhuc in carne viuens multùm incitauit: sed multò plùs post obitū suum miraculis coruscans, eosdem cōtra eumdem persistere confortauit. vnde & pars Henrici de die in diē cæpit deficere. Catholici autē in fidelitate S. Petri non cessauerūt proficere.* hæc ad verbū ille scriptor. 2. B. Anno Archiepiscopus Coloniēsis sanctitate illustris, cuius vita extat apud Surium tom. 6. Decēbris 4. Hic fuit inter eos qui in Germania causam Sedis Apostolicæ cōtra Henricū tuebantur. 3. Stephanus Episcopus Halberstadensis vir doctus & sanctus, qui fortissimè contra Henricum egit in epistola quam scripsit ad Walramum sub nomine Ludouici Comitis. Extat apud Dodechinum ad annum Christi 1090. 4. S. Anselmus Cātuariensis præfatione in libellum de fermētato & azymo, vbi salutem dicere non vult Walramo Nauburgensi Episcopo, *quòd* (vt ipse ait) *faueret successori Iulij Cæsaris & Neronis, & Iuliani, & potestati contra successorem B. Petri*, id est, quòd partes Henrici sequeretur. Hic tamen Walramus postea ad mentem redijt, & Sedi Apostolicæ reconciliatus est, vt patet ex tract. eiusdem Anselmi de diuersitate sacramentorum, vbi ei reditum ad Ecclesiam plurimùm gatulatur, & honorificè eum compellat. 5. S. Gebehardus

Multi sancti viri causam Gregorij tuentur.

Episcopus Salisburgensis, qui, vt scribit author vitæ ipsius, illo tempore *fidelis Romanæ Ecclesiæ, & veritatis Catholicæ propugnator eminebat*. 6. S. Benno Misnensis Episcopus qui 40. annis aduersus Henrici hæresim infatigabili labore decertauit, & tamdem post mortem multis miraculis filium eius Henricum 5. ad cedendum Ecclesiæ permouit; vt scribit Baronius ad annum Domini 1117. Extat vita eius apud Surium tomo 7. 3. Iunij. 7. sit Erminoldus Abbas Monasterij Pruseningensis, cuius præclaræ res gestæ extant tomo 2. antiquarum Lectionum à Cl. V. Henrico Canisio editarum. Hic Henrico mirificè se opposuit. 8. S. Brunus Episcopus Siguinus, de quo Petrus Diaconus in Chron. Cassinensi lib. 4. Omitto S. Thomam, S. Augustinum Triumphum, S. Antoninum, & alios plurimos sanctitate & doctrina clarissimos, qui factum Gregorij tamquam iustissimum probarunt.

2. Qui factum istud improbarunt fuere passim vel simoniaci, qui per simoniam ab Henrico Episcopatus, Abbatias, vel alia beneficia modis planè fœdissimus obtinuerant; vel Clerici concubinarij, qui cùm Gregorius illos reformare vellet, & castam vitam ducere iuberet, Henricum contra illum concitarunt, hæreticum esse dictitantes, vt qui homines ad impossibilia cogere vellet: vt scribit Lambertus Scaffnaburgensis in historia Germanica sub finem, Marianus Scotus lib. 3. Chronici, & alij: vel aulici Henrici, qui ex hac beneficiorũ nundinatione & Ecclesiarum oppressione sua compendia sectabantur, vt ex authore vitæ S. Gebehardi, & alijs colligitur. itaque in hac causa nulla est eorum authoritas. Argumentum eorum potissimum erat ex insolentia facti, quòd hactenus visum non esset Imperatorem excommunicari, vt infrà dicemus. Adde plerosque ex dictis non tam negasse hanc potestatem legitimo Pontifici iu-

sta

ſta ſuppetente cauſa, quàm negaſſe in præſenti negotio iuſtitiam cauſæ, & Gregorij legitimum Pontificatum. vnde alium Pontificem ſibi adoptarunt.

3. Non ſolius Gregorij, nec paucorum iudicio ea res geſta eſt, ſed ex iudicio totius Concilij Romani, vt Onufrius in vita Gregorij, & alij ſcribunt. A Gregorio enim maxima Synodus anno 1076. fuit congregata, in qua fuit inter cetera definitum, *Papam poſſe Imperatorem deponere*. deinde ex communi omnium iudicio fuit Imperator excommunicatus, & Imperio priuatus, ſubditique ab eius obedientia ſoluti, vt ex Onufrio, Baronio, & alijs conſtat. rurſus mortuo Gregorio fuit iterum excommunicatus in alia Synodo 200. ferè Patrum ab Vrbano 2. vt Crantzius l. 5. ſui metrop. c. 28. teſtatur: *in qua Synodo fuit declaratus hæreticus, ſimoniacus, Nicolaitarum hæreſeos Princeps, Eccleſiæ rebellis, ſchiſmaticus, hoſtis Dei & ſanctæ Eccleſiæ*: vt ſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 1092.

4. Ipſe Deus multis miraculis videtur factum Gregorij approbaſſe, vel eorum qui Henrici partibus ſtudebãt & Gregorio in hac cauſa aduerſabãtur, repentino & horrendo exitio, vel alijs modis. Wilhelmus Traiectẽſis Epiſcopus præcipuus Hẽrici defenſor, repentè grauiſſima ægritudine correptus vociferari cœpit, iuſto Dei iudicio ſe & præſentem vitam amiſiſſe & æternam, quòd Henrici partes contra Gregorium virum ſanctiſſimum eſſet ſecutus, & ſic deſperans expirauit, vt narrat Lambertus Schaffnaburgenſis in Chronico, & annales Magdeburgẽſes apud Lãgium in Chronico Citizenſi. Pari modo ſubitò malè perierunt Vdo Treuirenſis Archipræſul, Burghardus Miſnenſis præfectus, Godefridus Dux hoſtis Saxonum, eò quòd ~~Henrici~~ cauſam contra ~~Pontificem~~ tuerentur; & Epo Citizenſis Epiſcopus, omnes Henrici cauſæ addicti; vt ſcribit Langius in ſuo Chronico.

Miraculis cauſa Gregorij comprobata.

a Saxones pontificis
+ Henricum

Item Episcopus Vercellensis depositi Regis Cancellarius, cùm Gregoriũ vellet deponere, subitò extinctus est, teste Bertholdo scriptore illius ætatis in Chronico. Imbrico Augustensis Episcopus cùm fidelitatem Henrico iurasset, & missam facturus hãc sibi conditionẽ imposuisset, vt sacræ oblationis perceptio in iudicium ei proueniret, si Dominus eius Henricus iniustè regnũ sibi vsurparet, sumpta Eucharistia statim in morbum incidit, & in excommunicatione decessit, vt scribit idem Bertholdus suprà. Sigehartus Aquileiensis Patriarcha in auxilium armata manu Henrico veniens, in amentiam vertitur, & paulò pòst repẽtina morte intercipitur; Bertholdus suprà, & Bruno in historia belli Saxonici. Guibertus Antipapa morte subitanea correptus, scelerum suorum pœnas dedit; vt scribit Philippus Bergomensis in supplemento. E contrario qui partes Gregorij fouebant, multi ex illis miraculis clari fuere; vt suprà ostẽsum est.

Ex quibus luce meridiana clarius est hoc factũ Gregorij legitimæ non vsurpatæ potestatis fuisse: vtpote à tot authoribus, à tot viris sanctitate, miraculis, doctrina claris, à tot Synodis Episcoporum approbatum, & commẽdatum. denique ab ipso Deo horribili exitio aduersariorum confirmatum.

98. Argumẽta Barclaij contra factum Gregorij.

Barclaius tamen fusè cap. 9. & 10. factum Gregorij tamquam iniquum oppugnat: *illudque non ex ordinaria sanctæ Sedis Apostolicæ Iurisdictione, sed vel ab extraordinaria Sedem tenentis ambitione; vel iuris sui ignoratione, & zelo inconsiderato processisse*, affirmat.

1. Argumentum.

1. Argumentum est ex incommodis & damnis quæ inde sunt secuta. Nam ex eo facto orta sunt bella, cædes, schismata, idque ad annos 25. Non enim videtur credibile illud ex afflatu diuino actum esse, vnde tot lugubres casus, & tanta rerum perturbatio est secuta

ta. *Culpa*, inquit, *Gregorij mihi permagna in hoc negotio videtur, quòd non aduerterit ad ſupremi Paſtoris officium pertinere, vnius facinus impunitum potiùs relinquere, quàm eius vindicandi deſiderio innoxiam multitudinem periculo inuoluere: ac proinde ne excõmunicare quidem Imperatorem illum debuit, in cuius ſceleris ſocietatem tantus hominum numerus coierat, vt ſeparari ſine ſchiſmate nequiret.* Quod confirmat ex Can. Non poteſt 23. q. 4. qui ſumptus eſt ex S. Auguſtino lib. 3. cont. epiſt. Parmeniani cap. 2. cuius ſumma eſt: *Quando contagio peccandi multitudinem inuaſerit, inanem eſſe excommunicationem, imò pernicioſam & ſacrilegam: quia plùs perturbat infirmos bonos, quàm corrigat animoſos malos.*

Reſpondeo, 1. Etſi argumentum valeret, non probaret defectum iuris & poteſtatis, ſed vt ſummum eius imprudentem vſum. Nobis autẽ ſermo eſt de poteſtate. 2. Sed nec imprudentem vſum probat. quia ad condemnandum aliquod factum, non ſatis eſt ſi probes grauia & diutina incommoda ex eo ſecutura, ſed etiam debes oſtendere, eo facto omiſſo, non eſſe maiora vel paria ſuſtinenda: alioquin ſi maiora vel paria toleranda eſſent, nihil eſt cur ipſum factum ratione damnorũ impendentium improbari debeat. atque ita ſe res habebat in noſtro euentu. Clerus enim paſſim per Imperij ditiones, & potiſſimùm per Germaniam ſimoniaca peſte, & impuritate vitæ, ſacrilegiſque nuptijs erat infectus. ſicque indignè prorſus, & cùm publico ſcandalo diuina tractabat. Huius mali cauſa primaria erat Imperator, qui omnẽ Epiſcopatuũ, Abbatiarum, dignitatum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum collationem ſibi vindicabat, eaque per ſimoniam, & quibus ipſi videbatur, cõferebat: ita vt in Aula eſſet publica horum omnium nundinatio, omnibus vndique velut ad mercatum confluentibus; vt Onufrius, & alij ſcribunt. Neque ſolùm Refutatio

lùm pecuniæ pretio, ſed etiã cauſa adulterij, & nefandæ libidinis Epiſcopatus & Abbatias conferebat, teſte Stephano Epiſcopo Halberſtadẽſi epiſt. ad Walramum ſuprà citata. Hoc modo paſſim indigniſſimi quique ad prælaturas promouebantur; qui ſicut ipſi per ſimoniam ſuas dignitates acceperant: ita inferiora beneficia, ſi quæ fortè ipſis concederetur conferre, indignis per ſimoniã conferebant, & ſimul omnem morum licentiam, & vitæ turpitudinem permittebant. Præter hæc ita quorumdam Imperatorũ tyrannide oppreſſa erat Sedes Apoſtolica, vt libera non relinqueretur ſummi Pontificis electio, ſed is demum deberet recipi, qui Imperatori placuiſſet. Hæc mala quæ ſanè grauiſſima erant, fuiſſent planè confirmata, niſi ſummus Pontifex ſe Imperatori ſtrenuè oppoſuiſſet, eique hæc iura iniquè vſurpata, & iniquiſſimè exercita extorſiſſet, compellendo vt Eccleſiæ ſuam libertatẽ relinqueret. Porrò iſtorũ malorũ continuatio longè fuiſſet pernicioſior ſtatui Eccleſiæ & ſaluti animarum, quàm omnia illa incommoda, quæ occaſione excommunicationis & depoſitionis Henrici ſunt ſecuta. Quod cùm non lateret Patres, qui in tot Synodis eo tempore fuere congregati, approbarunt Gregorij conatum, eique totis viribus ſunt cooperati. Denique ipſe euentus qui fuit feliciſſimus declarauit quàm ſalutaris Eccleſiæ ille Gregorij conatus fuerit. Nam tamdem Sedes Apoſtolica vicit, & Imperator Henricus V. filius prioris, Eccleſiæ ſua Iura reſtituit, renuntiata ſummi Pontificis & Prælatorum inſtitutione: ſicque totius Cleri & populi ſecuta eſt ſaluberrima reformatio. totum enim Eccleſiæ bonũ pendet ex Prælatorum delectu. Si Pontifex ſe non tam ſtrenuè oppoſuiſſet, malum illud grauiſſimum radices egiſſet, nec vlla erat humano certè modo & ratione ſperanda Cleri & populi reformatio. Itaque neque ex ambitione Gregorij, cuius

eum

eum Barclaius immeritò contra tot authorum antiquorum & Sanctorum testimonia accusat, illa in Henricum excommunicatio vel depositio processit. neque ex Iuris proprij ignoratione, cùm & ipse Gregorius doctissimus esset, & res sæpius in Synodis esset discussa: nisi fortè vnus Barclaius Scotus post 530. annos plus habeat iudicij in rebus illius æui, & iure Sedis Apostolicæ, quàm integræ Synodi, quàm vterque Anselmus doctrina & sanctitate clarissimus, & tot alij, qui illo sæculo floruerunt, & partes Gregorij defenderunt. Si dicat etiam illo sæculo multos causam Gregorij damnasse: ita est. sed hi passim fuere simoniaci, concubinarij, & similis farinæ homines, qui suis beneficijs, commodis, vel impuris voluptatibus priuari metuebant, quorum iudicium non solùm nullius est authoritatis, sed etiam suspectum. Quod autem addit non videri ex afflatu diuino profectũ, ex quo tot lugubres casus secuti sunt; nullius est momenti: tum quia longè grauiora erant mala, quæ nisi Gregorius illud tentasset, fuissent confirmata: tum quia damna illa fuere temporanea, & tandem felicissimo exitu abundè compensata. Multa diuino instinctu fuere suscepta, quæ non sine graui collisione, & maximis detrimentis sunt confecta: vt de bello Israelitarum contra tribum Beniamin, & de prima expeditione in Terram Sanctam constat; imò talia interdum infelices exitus visa sunt habuisse, vt suprà n. 89. ostensum est. In maximis morbis opus est sæpe durissimis & extremis remedijs: quia vtcumque res cedat, non potest esse status deterior quàm sit is in quẽ per se deuoluetur, si remedia negligas.

Adde, fuisse hic ab initio spem boni successus optimam. nam maxima erat Sedis Apostolicæ apud omnes Catholicos, sicut par est, authoritas: & ipsi Principes Saxoniæ iam operam suam satis apertè Sedi Apostolicæ

detulerant. Præsto etiam erat Mathildis & Guiscardi potentia. ipse Rex Henricus suis Principibus, & optimis quibusque ob suam improbitatem inuisus erat.

Denique quod ait: *satiùs fuisse vnius crimen impunitum relinquere, quàm eius vindicandi desiderio innoxiam multitudinem inuoluere*, ad rem non pertinet. non enim agebatur tantùm de crimine vindicando (sic enim etsi decem millia reorum fuissent, dissimulãdum erat:) sed de grauissimis malis impediendis, quæ alioquin continuata & corroborata fuissent. Agebatur simul de Ecclesiæ authoritate, qua semel protrita, omnium tyrannorum & impiorum iniurijs fuisset exposita. Quàm ob causam Reges iniurias illatas etiam per maximas bellorum clades vindicare solent, ne videlicet authoritate amissa, omniũ incursibus & prædis regnũ pateat. longè enim minus censetur damnum quod bello contrahitur, quàm quod authoritate amissa impendet. Canon Non potest, manifestè agit de euentu quo longè plus mali timetur, si excommunicatio adhibeatur, quàm si ea omissa, peccata dissimulentur. Itaque non pertinet ad casum nostrum, vbi contrarium accidit. Et sanè si factũ Gregorij adeo manifestè pugnat cum doctrina istius Canonis, atque adeo cum doctrina Ecclesiæ, vt vult Barclaius: mirum est nullum ex tot viris doctis & sanctis, nullum ex tot Synodis hanc pugnam aduertisse; aut si aduerterunt, tam fuisse improbos, vt illud factum probarent, & cum iactura dignitatum, fortunarum, vitæ & salutis animæ tuerentur.

Intellect⁹ Can. Non potest.

99. 2. Argumentum. 2. Argumentum Barclaij est ex Sigeberto, qui in suo Chronico ad annum 1084. scribit, Gregoriũ in fine vitæ se grauiter accusasse quòd Ecclesiam turbasset, & Imperatorem cum omnibus ei adhærentibus absoluisse. *Hildebrandus*, inquit, *Papa, qui & Gregorius 7. apud Salernum exulans moritur. De hoc ita scriptum reperi. Volumus*

mus vos scire qui Ecclesiastica cura solliciti estis, quòd Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nũc in extremis positus, ad se vocauit vnũ de duodecim Cardinalibus, quem multùm diligebat præ ceteris, & confessus est Deo & Sancto Petro, & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente diabolo contra genus humanum iram & odium concitasse. Et infrà. *Tunc demum misit prædictum confessorem ad Imperatorem. & ad totam Ecclesiam, vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam citò induebat se angelica veste: & dimisit ac dissoluit vincula omnium bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano, viuis ac defunctis, clericis & laicis, & iussit suos abire de domo Deoderici, & amicos Imperatoris ascendere.*

Respondeo, Sigeberto non esse hac in re credẽdum. 1. quia constat illum fuisse hostem Gregorij, & causæ Henrici valde addictum. vnde cùm solus inter tot scriptores hoc scribat, totum redditur suspectum. Deinde debebat nominare authorem apud quem hoc scriptum repererat, vt sciremus quantum fidei ei habere in re alijs historicis ignota deberemus. 3. Quia multi historici illius temporis referunt ea quæ Gregorius morti vicinus dixit & fecit: nemo tamen meminit huius pœnitentiæ & damnationis sui facti, vel absolutionis Imperatoris. 4. Historici illius temporis multa scribunt, ex quibus contrarium apertè colligitur. Ottho Frisingensis lib. 6. sui Chronici: *Gregorius Salerni manens, appropinquãte vocationis suæ tempore, dixisse fertur: Dilexi iustitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Idem de eo multi alij scriptores referunt. an hoc est facta sua vt iniqua damnare, & non potiùs vt iusta approbare? Author vitæ S. Anselmi Lucensis: *Gregorius quos obedientes sibi viuens adhuc benedixit, moriẽs quoque commendauit. Henricianos verò penitus penitusque (nisi post magnam demum* Resp.

conuersionem & pœnitentiam) *reprobauit* . Loquitur de Gregorio iam morti proximo . mortuus est autem durante schismate Guiberti , quem Imperator cum suis contra Gregorium euexerat , & in Sede Apostolica pulso Gregorio constituerat . Quis credat illum voluisse absoluere Imperatorem schismatis authorem , & Guibertũ Antipapam in sua contumacia & scelere perseuerantes ? Bertholdus in suo Chronico scribit , *quòd B . Anselmus Lucensis Episcopus post obitum venerabilis Papæ Gregorij VII . fideles S . Petri contra tyrannidem Henrici adhuc in carne viuens multùm incitauit* . Fecit autem id statim post mortem Gregorij ; quia solùm nouem menses illi fuit superstes . at quomodo potuit fideles S . Petri , id est , tenentes causam Gregorij , contra tyrannidem Henrici incitare , si Henricus cum suis iam erat reconciliatus ? Denique idem Author scribit B . Anselmum mortuum esse finitis iam 7. annis excõmunicationis Henrici , post obitum Gregorij mense 9 . die 23 . vt ex eo etiam refert Baronius ad annum 1086 . quibus verbis apertè indicat vsque ad illud tempus excommunicationem durasse , ac proinde illum à Gregorio ante 9. menses non fuisse absolutum , vt vult Sigebertus .

100. 3. Argumentum. 3 . Argumentum est ex Otthone Frisingensi . Ottho enim varijs modis videtur insinuare hanc excommunicationem & depositionem fuisse iniquam . 1 . Cùm in suo Chronico l.6.c.35. ait nũquam se legisse Imperatorem ante Henricum fuisse à Rom . Pontifice *excommunicatum , & regno priuatum* , & huius rei nouitate vehementer indignatum Imperium . 2 . *Cùm* , eodem lib . c . 36 . *inter mala & damna inde secuta ponit deiectionem Papæ & Regis , quòd Papa super Papam , sicut Rex super Regem positus fuerit . quibus verbis* , inquit Barclaius , *ostendit Ottho vtrumque pari iure , seu potiùs pari iniuria factum esse* . Confirmatur , quia cùm ibidem narrasset mortem Grego-

Gregorij, addit: *Quia ergo in Principe suo Regnum ab Ecclesia præcisum grauiter percussum fuit: Ecclesia quoque tanto Pastore qui inter omnes sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli ac authoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit. Quid*, inquit Barclaius, *aliud hoc sonat, quàm propter percussum regnũ in persona Principis, percussam fuisse Ecclesiam in persona Pontificis? inter quæ cùm nullum iuris aut iniuriæ discrimẽ faciat, nec possit vtrumque iustè fieri; consequens est, vt vtrumque iniustè factum esse existimet*. 3. Quia Ottho tam defectionem Rudolphi quem Papa Imperatorem crearat, quàm insurrectionem filij ipsius Henrici *rebellionem* vocat, & Henricum semper vocat *Imperatorem*; vt patet l. 1. de gestis Frederici cap. 6. & lib. 7. Chron. cap. 8. 4. Quia Ottho lib. 1. c. 8. narrat Bertholfum Ducatum Sueuiæ tamquam à Rudolpho, qui Pontificis iussu Imperator fuerat creatus, sibi concessum vsurpasse. Deinde Henricum hunc eumdem Ducatum tamquam iniquè vsurpatum post mortem Rudolphi, dedisse Comiti Frederico, & ita Bertholfum coactum restituere, *in hoc negotio Imperio simul & iustitiæ cessisse*. Si *cessit iustitiæ*, ergo iustitia erat ex parte Henrici, & consequenter mansit semper verus Imperator, nec Papa illi quidquam iuris abstulit.

Resp. 1. Non mirum, si Ottho videatur interdũ fauere causæ Henrici: quia erat ipsius nepos, & scribebat ad Imperatorem Fredericum cuius gesta sua historia persequitur. nusquam tamen negat hanc potestatem Romano Pontifici competere si iusta causa subsit, de qua interdum dubitari potest. Verùm si negaret, possemus ei opponere tot alios Scriptores, tot viros doctrina & sanctitate illustres, & Synodos integras: imò ipsum Barclaium, qui sæpe fatetur Romanum Pontificem habere ius & potestatem Principes excommunicandi, de qua potissimùm Ottho loquitur. 2. Ottho valde laudat Resp.

Gregorium, vocãs eum *fortem per omnia athletam: qui se murum pro domo Dei opponere non timuerit: qui pro simonia & incontinentia sacerdotum extirpanda plurimùm desudauerit: qui forma gregis factus, quod verbo docuit, exẽplo demonstrauerit: pastorem pracipui zeli & authoritatis, cuius mortem Ecclesia meritò grauiter doluerit &c.* At si Gregorius iniquè sibi illam potestatem arrogasset, non erat dicendus fortis athleta, sed violentus tyrannus: nec ipsius zelus, exempla vitæ, & labores pro Ecclesia commendarentur; nec Ecclesiæ ipsius mors lugenda erat.

101. Non fuisse nouum excõmunicari Principẽ.

Ad 1. de nouitate huius facti, quam Hẽrici sectatores maximè vrgebãt, Resp. Excõmunicationem non fuisse tunc rem nouam, sed vsitatissimã omnib⁹ sæculis in Ecclesia aduersus omnes Ecclesiæ contumaces filios. Sed inquiũt, nouum erat Imperatorem excommunicari. Esto. An idcirco iniquũ? Quis id priuilegij cõcessit Imperatori, vt ab Ecclesia, etiãsi illi rebellis foret, excommunicari non posset? Ante illud tempus fortasse vel non tantæ se obtulerunt occasiones, vel Pontifices ipsorum potentia vel tyrannide oppressi, non fuerunt ausi tentare: quamquam exempla non desint. Certum enim est Arcadium cum vxore excommunicatum fuisse ab Innocentio primo vt suprà n. 23. ostensum est. Et Lotharium à Nicolao primo anno Domini 864. Omitto Theodosiũ & Philippicum, quorũ exempla immeritò conficta esse suspicatur Barclaius, cùm nemo vmquam dubitauerit Theodosio sacris ab Ambrosio interdictum. Quam autem vim ea excõmunicatio habuerit, infrà n. 111. dicemus. Si dicas Lotharium Imperatorem non fuisse: at certè Rex fuit absolutus, nullum in temporalibus superiorem agnoscens. parem autem Regum & Imperatorum in hac causa esse conditionem nemo inficias iuerit.

Ex quibus perspicuum est Imperatorem excommunicari non fuisse adeo nouum, vt illi putabant; sed fortè

exempla ista ipsis non occurrebāt. Quod ad depositionem attinet, iam antecesserat trāslatio Imperij, & depositio Childerici.

Ad 2. Longè id abest à mente Otthonis. non enim cōparat illa in ratione iniuriæ, sed in ratione calamitatis. Sicut enim quòd Rex positus fuit super Regem, maxima secum traxit bella: ita quòd Papa super Papam, magnum effecit schisma.

Ad confirmationem. Longissimè à sensu verborum Otthonis aberrat Barclaius. loquitur enim de morte Gregorij, non de depositione. At mors eius iniusta non fuit, vtpote cuius Deus author extiterit. nam morte naturali obijt. sensus est. Sicut Imperium grauiter fuit afflictum ex Principis sui excommunicatione: ita Ecclesia grauiter fuit afflicta, & ingenti affecta mœrore ex morte sui pastoris. Addo, Otthonē ibidē clarè insinuare factum Gregorij non fuisse iniustum: tum quia illam eximiè laudat: tum quia refert illum iam moribundum dixisse, *Dilexi iustitiam, & odi iniquitatē, propterea morior in exilio*; quæ verba cùm non reprehendit, sed laudes magnas Gregorij illis adiungit, satis indicat se illa probare.

Ad 3. Etiam iusta subditorum in suum superiorem commotio, *rebellio* vocari solet: vt si Imperator iusta ex causa excitet subditos alicuius Principis, vel ciuitatis Imperialis, vt insurgant & expellant suū Principem, vel magistratum. erit enim rebellio non formalis vt Scholastici Theologi loquuntur, sed materialis. Simili modo illi contra quos subditi iustè insurgunt, vocantur Principes, Superiores, Reges, Imperatores, vel quia antea tales fuere, & ita retinent nomen consuetum: vel (quod interdum fit) quia non sunt planè priuati Iurisdictione in habitu, sed solùm exercitio, habituali iure suspenso: vel quia retinent saltem possessionem, sicut Henricus

Rebellio materialis

Henricus etsi per sententiam esset priuatus dominio Imperij, possessionem tamen retinuit vi. adde, Otthonem cùm esset nepos illius Henrici, non voluisse causam ipsius apertè damnare, nec Fredericum Imperatorem, ad quem scribit, & cui valde placere studuit, offendere.

Ad 4. non ita iste Bertholfus cessit iustitiæ, quasi putaret se iniustè obtinuisse. nam non nisi bello coactus cessit, idq; transactionis, qua Turegum nobilissimũ Sueuiæ oppidum retineret interuentu. Dicitur ergo *cessisse iustitiæ*, quia cessit sententiæ Imperatoris, quæ vulgò in Germania iusta putabatur. nam sententia iudicis, Iustitia vocari solet. Accedit, quòd etsi Henricus priuatus esset Imperio per sentẽtiam Papæ: retinebat tamen adhuc possessionem, & non omnino constabat vulgò de istius sentẽtiæ iustitia, cùm Henricus obiecta crimina ex parte negaret, & Gregorium non legitimè promotum criminaretur. Itaque occiso iam æmulo videbatur pleno iure Imperium obtinere.

102. 4. Argumentum. Postremò Barclaius vtitur huiusmodi argumento. Pontifex multis votis celerem vindictam à Deo, & sanctis Apostolis aduersus Henricum expetijt, quæ tamen esset absque animæ ipsius exitio, vt constat ex formula quam refert Platina. atqui, *si sentẽtia iusta fuisset, non est credibile, quin Deus, qui iustitiæ author est & Ecclesiæ protector, quique primas spiritualis potestatis Ecclesiæ executiones præsentibus miraculis, & horrendo effectu formidabiles reddidit: eodem modo primam illam tam sublimis authoritatis & iuris Ecclesiæ executionem singulari aliquo miraculo, vel extraordinario auxilio secundaturus fuisset. Quare cùm id non fecerit, sed omnia infausta & Pontifici & eius fautoribus acciderint, triumphante interim & Imperium tenente Henrico, non videtur sententiam Pontificis approbasse.*

Resp. Respondeo. Obscura nobis esse diuina cõsilia, neque

ex

ex huiusmodi cõiecturis posse prudenter conuelli ea quæ tot authoribus, tot viris doctissimis & sanctissimis, totisque Synodis sunt probata. sed hic est mos hæreticorum & politicorum, leuissimis coniecturis ea quæ maximis fulta sunt rationibus, repudiare. Verùm tantùm abest vt Deus sententiam Gregorij non probauerit, vt non vno, sed plurimis modis extraordinarijs eius executionem secundarit, nimirum miraculis eorum qui partes Gregorij sectabantur, præsertim S. Anselmi Lucensis, qui adhuc viuens admodum eruditè & feruenter contra Guibertum, causam Gregorij defendit, & iam mortuus plurimis miraculis fulgere cœpit, editis intra 50. dies ab obitu, illustribus miraculis octoginta: quibus effectum est, vt factio Henrici valde deficeret, vt in eius vita ab authore illius temporis scribitur, quem etiam citat Baronius ad annum Christi 1086.

Deus fauit sententiæ Gregorij.

Deinde horribili exitu plurimorum qui Henrico studebant, & illi authores contumaciæ extiterant, vel scelerum contra Sedem Apostolicam consultores aut executores; vt suprà nu. 97. ostensum est. Quibus sanè modis sat superque ostendit Deus, se preces Gregorij exaudisse, plus etiam quàm ipse petijsset præstando.

Nec refert quòd Henricus non statim regno exciderit; quia, sæpe tolerantur pessimi Principes, ad peccata populorum castiganda. Bella sæpe mundo necessaria, sicut pampinatio viti luxurianti, quibus tamquam falce quidam inutiles resecantur humani generis stolones, & bonæ propagines ad vberiorem fructum purgantur. Non tamen ille tulit impunè. nam semper in multa vixit afflictione & sollicitudine; & tamdē regno ignominiosè est exutus. & sicut ipse rebellis fuerat spiritali patri suo Gregorio, alijsq; summis Pontificibus, eosque dignitate spoliare tētauerat: ita iusto Dei iudicio rebellem sensit filiū, & ab eo dignitate Imperiali spoliatus est, præuia tamen

Cur tolerentur Principes impij.

Henricus non tulit impunè.

Ecclesiæ sentẽtia, qua rursus diadema ei tollẽdum, & ad filium trãsferendũ decretum est, teste Crantzio l. 5. metrop. c. 33. denique mortuus in excommunicatione, & quinquẽnio inhumatus iacuit, vt refert Abbas Vrspergẽsis & alij. his adde, Sedem Apostolicam post multas afflictiones, tamdem obtinuisse victoriam, vt scribit Crantzius l. 5. metropolis c. 1.

Blacuellus q. 2. p. 95. adducit testimonium Vincentij Beluacensis in speculo historiali lib. 25. cap. 84. vbi Vincentius videtur factum Gregorij improbare, insinuans esse hæresim subditos Principi excommunicato & deposito non teneri obedire. verba Vincentij sunt: *Vt pace omnium bonorum dixerim, hac sola nouitas (ne dicam hæresis) necdum è mundo emerserat, vt sacerdotes eius qui dicit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quòd malis Regibus nullam debeant subiectionem: & licèt ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem senserint: imò qui regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui cõtra regem fecerit; à noxa iniustitiæ & periurij absoluatur.*

Resp. Vincentium illa verba sine magno examine (vt pleraque alia) transcripsisse ex Sigeberto, qui ista habet ad annum 1088. eaque intellexisse generatim prout sonant, quasi sacerdotes passim in genere docuissent malis Principibus non esse parendum: nec aduertisse imposturam Sigeberti, qui vt hæretici & schismatici solent, non sincerè, sed peruersè & odiosè tum facta Pontificum Romanorum aduersus Henricum & Guibertum, tum doctrinam refert. numquam enim sacerdotes Domini (quo nomine ille Pontifices Romanos intelligit) docuerunt populum nullam deberi subiectionem aut fidelitatẽ malis Principibus in genere, vt ille criminatur (hæc enim doctrina verè est hæresis:) sed malis Principibus

pibus ob suam contumaciam excommunicatis & abdicatis. quæ doctrina est vera & catholica, quam & ipse Vincentius probat in speculo doctrinali lib 10. cap. 44. vbi tractans de hæreticorum pœnis, refert canonem Greg. 9. Extra. de hæreticis, cap. finali, qui sic habet: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominij & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur adstricti*. agnouit igitur Vincentius hanc potestatem in summo Pontifice. Idem patet ex cap. 46. vbi sic ait: *Punitur hæreticus excommunicatione, depositione, rerum ablatione, & militari persecutione. Excommunicatione, quia hodie omnis hæreticus siue occultus siue manifestus est ipso iure excommunicatus maiore excommunicatione. Depositione, quia indistinctè siue sit Clericus, siue Laicus, Papa vel Imperator debet deponi ab omni dignitate &c*. idem docet cap. 64. Ex quibus perspicuum est venerandum Præsulem (vt Blacuelli verbis vtar) Vincentium à nobis stare, & verba Sigeberti generatim intellexisse. Fecit & alias fraudes in eadem causa iste Sigebertus, quibus plurimos decepit: quarum 1. est, quam habet ad annum Domini 773. §. Adrianus Papa. quam primus detexit Baronius in annalibus tomo 9. ad annum Domini 774. & clarissimè conuincit. Altera est quam habet ad annum Domini 1074. vbi Gregorium 7. & totam Synodum Romanam insimulat hæreseos, quasi simoniacis & concubinarijs sacramentorum administrationem & missam interdixerint, quod putarent eos non posse validè conficere. 3. quam habet ad annum 1085. de morte Gregorij, quam suprà n. 99. refutauimus. 4. quam habet hoc loco. omitto alias minutiores.

OCTAVVM Exemplum sit eiusdem Gregorij in 103.
Boleslaum 2. Poloniæ Regem. hunc Regem S. Stanisla- 8. Exemplum.
us Cracouiensis Episcopus ob notam libidinem & alia

Boleslaus à Gregorio excom. & regno priuatus.

crimina sæpius admonitum, cùm nihil proficeret, à fidelium communione remouit. Ille furore percitus, S. Episcopum immaculatam hostiam ad altare offerentem sua manu obtruncat, corpus membratim concisum per agros spargi curat. Hæc cùm Romæ nuntiata fuisset, Pontifex Maximus Gregorius 7. atrocitate rei commotus, toti Poloniæ Sacris interdixit, Boleslaũ diris deuouit, regnumq; ipsi solemni ritu abrogauit. in posterum quoque ne quẽ Episcopi Regem iniussu suo vngerent & coronarent, edixit. Itaque Boleslaus inuisus omnibus, & externis etiam contemptibilis, post annũ cùm paucis comitibus in Hungariam fugit; ibi exagitante eum in dies magis ac magis patrati sceleris consciẽtia, acerbo & infatigabili sceleratorũ carnifice, amẽtia correptus, mortẽ sibi ipse consciuit anno Domini 1081. refert hæc omnia Crõmerus de rebus Polonicis lib. 4. Ex hoc exemplo habemus etiam Episcopum posse Principẽ suum excommunicare, nisi fortè ab Episcopi iurisdictione per summum Pontificem sit exemptus. Neque dici potest Boleslaum iniustè à S. Stanislao excõmunicatum: tum quia hunc sua eximia sanctitas, & stupenda opera (inter quæ excitatio eius qui ante triennium obierat) abundè ab huiusmodi calumnia tuentur: tũ quia Deus maximis miraculis se fautorẽ eius causæ ostẽdit, ter occulta vi cohibitis militibus eum occidere aggressis; & mẽbris eius, quæ per agros dispersa fuerant, ita rursum coalitis, vt nullum sectura restaret vestigium. Pari ratione sententiæ quoque Gregorij se fautorẽ horrenda illa & celeri morte ostẽdit.

104. 9. Exemplum Callisti in Henricum V.

NONVM sit Callisti 2. qui Henricum V. prioris Henrici filium vestigijs patris insistentem, & Ius inuestituræ Episcoporum, aliorumq́ue Prælatorum, & Romani Pontificis instituendi vsurpantem, & iam aliquoties antè excommunicatũ, coacta Synodo ad Viennam Allobrogum, cum omnibus illi consentientibus rursus

excom-

excõmunicauit. idẽ fecit in Concilio Rhemensi 426. Patrum; vt ostendit Baronius ad annum Domini 1119. vnde non modicum amittendi regni metum ei iniecit. Itaque tamdem fractus, Deo cor eius mouente, ad sanitatem redijt, & ius illud iniquè vsurpatum, pro quo & ipse & parens tamdiu cum Ecclesia contenderant, Callisto Papæ liberè resignauit, permissa omnibus Ecclesijs per totum Imperium Canonica electione. Possessiones quoque & regalia B. Petri, quæ durante discordia alienata fuerant, Ecclesiæ Romanæ restituit. possessiones etiam aliarum Ecclesiarum, & aliorum tam Clericorum quàm Laicorum, quæ occasione belli quod habuit, Ecclesiæ ablata fuerant, restitui fideliter curauit. Hæc ad verbum scribit Martinus Polonus in Chronico ad annũ Domini 1120. & colliguntur ex formula concordiæ quam refert Baron. ad annum Christi 1122.

DECIMVM sit Alexandri 3. qui Fredericum 1. vulgò dictum Barba-Rossa, Latinè Aenobarbum, Iura prædicta recuperare volentem, & multis modis Ecclesiam persequentem, & schisma fouentem, *Excommunicationis vinculo sollemniter innodauit, & omnes qui iuramento fidelitatis ei tenebantur adstricti, secundum antiquam prædecessorum Patrum consuetudinem, ab ipso iuramento absoluit*: vt habetur in actis Alexandri 3. apud Baron. ad annum Domini 1160. de eodem ita Albertus Crantzius lib. 6. metropolis c. 19. *Fuere multæ Frederici violentiæ quas ille per tyrannidem diu exercebat in Ecclesiam, cùm vellet Imperij iura, pro quibus duo Henrici certauerant quartus & quintus, recuperare. Sed nihil profecit, domitus, vt alij, gladio Ecclesiæ spirituali, qui solus præstitit incolumem rem Ecclesiasticam in omni Prouincia aduersus Tyrannos obluctantes. Gladio*, inquit, *spirituali*: quia non vi armorum, sed potestate ligandi & soluendi, quam Dominus Petro, & successoribus dedit.

10. Alexãdri 3. in Fredericũ Barba-Rossa.

105. VNDECIMVM sit Innocentij 3. qui Otthonem 4. aliàs quintum, quem antè coronauerat, ob multas iniurias in Ecclesiam & in alios, excommunicauit & Imperio priuauit, & alium ei substitui curauit. Refert Blondus decade 2. lib. 6. Platina in Innoc. 3. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi & alij. priuatus Imperij titulis 5. annis superuixit, & magnis calamitatibus est conflictatus. Scribit de eo Crantzius lib. rerum Saxonicarum lib. 7. cap. 37. *Quòd cùm in morbum incidisset, qui illi vitam abstulit, nimium facti pœnitens, & ineffabili contritione compunctus, absolutus fuerit à Sipidio Hildesemensi Episcopo, & sic in pace quieuerit.* Addens: *Tanta autem fertur fuisse morituri pœnitentia, vt coquinarijs suis praciperet collum suum calcaneis premere, & vilissimam Dei creaturam omnino supplantare.* Idem Innocentius compulit filium Regis Hungariæ soluere votum profectionis Ierosolymitanæ, quod à patre impositũ in se receperat, idque sub pœna amissionis Regni; vt patet cap. 6. Licet, de Voto.

11. Innocentij 3. in Otthonẽ 4.

DVODECIMVM sit eiusdẽ Innoc. 3. qui (vt scribit Ioannes Carion in Otthone 4.) *Ioannem Angliæ Regem in sacra prophanaque, nullius ordinis aut ætatis habita ratione desæuientem, misso Pandulpho V.C. graui denuntiatione Regni administratione submouit. quare territus Ioannes, quod à suis Episcopis, Principibus, & popularibus destitueretur, inuitus ad sanitatem redijt, Pontificemque agnouit, ac graui iureiurando sponsionem fecit, se Pontificis arbitrio staturum, posterosq́ Reges idem facturos, vt se deinceps Romani Pontificis beneficiarios perpetuò agnoscerent.* hæc ille.

12. Innocentij 3. in Ioannem Angliæ Regem.

Extat apud Matthæum Parisiensem in historia Anglicana ad annum Domini 1213. resignatio totius Regni Angliæ & Hyberniæ facta à Ioanne Rege de consensu Baronum regni in manus Innocentij 3. & receptio

eorũ-

eorumdem Regnorum in feudum: *ita vt Rex tamquam secundarius Dominus à Romana Ecclesia se illa habere agnoscat: & in signum subiectionis debeant successores eidem Ecclesiæ fidelitatem præstare & homagium recognoscere; nec non in annos singulos mille marcas sterlingorum eidem Ecclesiæ numerare.*

DECIMVMTERTIVM sit triũ Pontificũ, Honorij 3. Greg. 9. & Innoc 4. qui omnes suis temporibus Fredericũ 2. excommunicarunt & Imperio abdicarunt: vt ex Ioanne Carione in Frederico 2. Platina in Greg. 9. Martino Polono in Honorio 3. & Innoc. 4. & ex alijs scriptoribus colligitur. De hoc scribit Crantzius lib. 7. metrop. cap. 18. *Erat iste maior hostis Ecclesiæ, quàm auus, multaque diu fecit ad eneruãdam Ecclesiæ potestatem; sed impegit in lapidem super quem Deus ædificauit Ecclesiam, cuius tantum est robur, vt nec portæ inferi præualeant aduersus eam: quantò minùs mortalis homo vas putredinis, concha sterquilinij?* Sententia depositionis eiùs lata ab Innoc. 4. approbante Concilio Oecumenico Lugdunẽsi, habetur cap. ad Apostolicæ, de sententia & re iudicata. de qua suprà n. 59. In locum eius electus fuit Hẽricus Thuringiæ Lantgrauius; & eo mortuo Wilhelmus Comes Hollandiæ. 106. 13. In Fredericũ 2.

DECIMVMQVARTVM sit eiusdem Innocen. 4. qui cùm Rex Lusitaniæ esset negligens ac prodigus, & sineret Ecclesias, monasteria, & pia loca Regni, & personas Ecclesiasticas grauari; viduas, pupillos, & orphanos opprimi, dedit ei Coadiutorem cum omni potestate regni administrãdi, & iure successionis si Rex liberos non haberet: & præcipit Comitibus & Baronibus regni, vt eum recipiant, eique debitum honorem & obedientiam exhibeant, non obstante homagio vel iuramento fidelitatis, quo Regi erant adstricti, aut etiam Regis prohibitione. habentur hæc cap. Grandi, de supplen- 14. In Regem Lusitaniæ.

plenda negligentia Prælatorum. quo facto ostendit Pōtifex se posse de Principum iuribus statuere, quando ad Ecclesiæ bonum, & salutē subditorum est necessarium. Quis vmquam hoc factum Innocentij improbauit? aut illum vsurpatæ in alienum regnum potestatis accusauit?

107. 15. Gregorij 10. in Electores. DECIMVMQVINTVM sit Gregorij 10. qui cùm Imperium diu schismate laborasset, Electoribus in vnum non consentientibus, sed duos quorū neuter erat membrum Imperij eligentibus, eaque res Ecclesiæ esset perniciosa, volens huic incommodo finem imponere; Principibus Electoribus mandat, Ecclesiasticis quidem sub pœna priuationis officij; sæcularibus sub pœna excommunicationis, vt sine cunctatione se resoluant, & aduocatum ac defensorem Ecclesiæ eligant. ni faciant, se eorum negligentiam suppleturum, & sua authoritate ac officio Imperatorem creaturum. Ad cuius mandatum & requisitionem, statim conuenientes Francofordiam post triduanum tractatum vnamini consensu in Regem Romanorum elegerunt Rudolphum Comitem de Habspurg, quamuis absentem, virum prudentem & strenuum, cuius electionem idem Gregorius confirmauit in altero Lugdunensi generali Concilio. refert hæc ex alijs Pighius lib. 5. Eccles. hierarchiæ cap. 14.

16. Clemētis. V. in Electores. DECIMVMSEXTVM sit Clementis V. qui cùm in Gallia moraretur, & Imperium per cædem miserabilem Alberti Imperatoris vacaret, Rex Galliæ Philippus ratus venisse tempus quo Imperiū ad Gallos à Germanis transferri posset, cum Proceribus Regni consilium habuit, in quo tamdem decretum est, vt à Pontifice peteretur, vt hoc beneficium Galliæ suæ præstaret. Iudicium Regis ac Procerum Galliæ. *Cui enim*, inquit Rex, *sit iniuria, si vacantis Imperij conditio permutetur? Idem fecerunt olim alij Pontifices*. Verùm Summus Pontifex cùm id quod in consilio Regis decretum erat, occultè resciisset; ne aut Regem offenderet

ret, aut contra suam voluntatem aliquid ei concedere cum maximo bellorum periculo cogeretur; Electoribus Imperij scripsit, vt electionem maturarent, & Henricum Lucemburgensem Comitem, si eis videretur, eligerent. alioquin periculum esse, ne vnà cum Imperio, potestatem quoque eligendi in posterum amitterent. Hæc cùm Germani intellexissent, accelerant comitia, & Lucemburgium eligunt. refert hæc omnia Conradus Vercerius lib. de rebus gestis Henrici 7. Pighius l. 5. Hierarchiæ Eccles. c. 14. Bellar. de translatione Imperij l. 1. c. 5. &c. Ex quibus perspicuum est, communem tunc fuisse Galliæ & Germaniæ Procerum sensum, Pontificem posse Imperium ab vna gente in aliam transferre.

DECIMVMSEPTIMVM Ioannis 22. & Clementis 6. Cùm enim Ludouicus Bauarus, qui & quartus dicitur, multa sibi priusquam à Pōtifice esset confirmatus præter morem vsurparet, & viro cuidam præpotenti vxorem abstulisset, sæpiusque à Pontifice rogatus, & etiam cum minis admonitus, vt vxorem viro restitueret, & inconcessa vsurpare desisteret, non obtemperaret; tamdem vinculo anathematis à Ioanne est adstrictus. Deinde crescente contumacia, auctisque contra Sedem Apostolicam & Ecclesiam iniurijs, *denuo fuit excommunicatus à Clemente 6. & tamdem per sententiam ab Imperio depositus. simulq; mandatum Electoribus à Clemente datum, vt intra certum terminum quem eis præfixit, nisi ius electionis vellent amittere, in locum Ludouici alium Imperatorem eligerent, qui mandatis Ecclesiæ vt filium decet pareat: alioquin se necessariò curam, vt supremum caput, de Imperio habiturum.* ita Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Itaque conueniunt quinque Electores Moguntinus, Treuirensis, & Coloniensis Archiepiscopi, Dux Saxoniæ, & Rex Bohemiæ (nam Brandeburgensis & Palatinus adhærebant Ludouico) & vnanimi

108. 17. Ioannis 22. in Ludouicum Bauarum.

consensu eligunt Carolum 4. Marchionem Morauiæ, filium Regis Bohemiæ, qui confirmatus à Clemente imperauit annis 31.

18. Pauli 2. in Regem Bohemiæ.

DECIMVMOCTAVVM Pauli 2. *Hic anno 1466.* vt scribit Nauclerus generat. 49. *Georgium Pogebratium Bohemiæ Regem in consistorio publico hæreseos damnat, & dignitate ac regno per sententiam priuat. Georgius enim post obitum Ladislai in Regem electus, iurauerat in manus duorum Episcoporum, tactis Sacramentis Euangelicis publicè dum coronationis insignia reciperet, quòd deinceps fidelis & obediens esset S. Romanæ Ecclesiæ; & cùm se, vxorem ac liberos tali iuramento obligasset, per Fredericum Romanorum Imperatorem confirmatus fuit. Verùm cùm his omnibus cõtraria postea ageret, & hæreticorum sectam foueret, Vratislauienses & ceteri Catholici homagium ei præstare recusabant. Declarauerat enim se pro secta hæreticorum, propter quod eum Papa antè Pius, & pòst Paulus grauissimis censuris, ac totum regnum fulminarunt.* Hæc Nauclerus.

109. .DECIMVMNONVM Pauli 3. qui Henrico 8.

19. Pauli 3. in Henricum 8.

sæpius antea benignissimè monito & rogato vt resipisceret, tandem terminum constituit, intra quem nisi ad sanitatem redeat, illum non solùm excommunicatum declarat, sed etiam regno priuat, omnes subditos à Iuramento fidelitatis ei præstito, & obedientia absoluit, & ne illi obtemperent, mandat. Aliorum Regum ac Principum cum Henrico confœderationes, contractus, pacta, & conuenta omnia quouis modo stabilita, irrita reddit. Omnes illi adhærentes similiter excommunicat, omnibus officijs, dignitatibus, beneficijs, feudis, iuribus & actionibus priuat; & ipsos ac eorum liberos ad omnia officia ac beneficia in posterum inhabiles, infames, intestabiles, & ad omnes actus legitimos ineptos decernit. habentur hæc omnia in ipsius cõstitut. 2. anno Domini 1538. 16. Kal. Ianuar. edita.

VI-

VIGESIMVM sit Pij V. Pontificis sanctitate clari, qui Elizabetham excommunicatam regno priuauit, & omnes ei aliquo iuramento, vel aliquo dominij, fidelitatis & obsequij debito adstrictos absoluit: vt patet ex eius constit. 39. edita anno 1569. 5. Kal. Martias. Fuerunt hæ duæ summorum Pontificum sententiæ ab omnibus Catholicis Doctoribus & Academijs, & Christianis Principibus habitæ iustissimæ: nec quisquam de potestate illorum dubitauit. pro qua tuenda & asserenda plurimi etiam sanguinem suum profuderunt. Et ne quis fortè putet has sententias nihil roboris habuisse, sed tamquam brutum fulmen sine effectu euanuisse; consideret ea quæ postea sunt secuta; præsertim casus eorum qui tanti mali fuere consultores vel ministri, vel cùm deberent & possent impedire, se tempestiuè non opposuerunt. hinc tota penè Nobilitas extincta &c. de quibus Sãderus lib. de schismate Anglicano, Philopater, Card. Alanus ad persecut. Angl. & alij. Omitto Panicos terrores, vitam suspicionibus & sollicitudine plenam, infelicem domesticum statum, orbitatem, νόθα μοιχεύματα, dedecora infanda, Religionum confusionem, & quæ sensim ac lentè πρόνοια in opus explicat. Possent exempla plura adferri, sed hæc 20. sufficiant. ex quibus manifestè liquet quis multis sæculis in Ecclesia fuerit vsus, & quanta summi Pontificis in Principes authoritas, quãdo id causa religionis & salus animarũ poscebat. Quantæ autem insaniæ est eam authoritatẽ & iurisdictionem, quæ tot sæculis viguit, tot exemplis est demonstrata, tam multiplici vsu confirmata: à tot viris doctrina & sanctitate conspicuis, & à tot Synodis tam Generalibus quàm Prouincialibus comprobata, velle iam pessumdare, & iniustè vsurpatam affirmare. veniamus nunc ad Rationes in principijs Theologicis, Philosophicis, vel Politicis fundatas.

20. Pij V. in Elizabetham.

QVINTA PROBATIO,
Ex varijs Rationibus.

PRIMA RATIO
ex Absurdo.

110. PRIMA Ratio sit ex absurdo, quod diuersa sententia continet. nam iuxta placita illius, sinendi sunt Principes impij & hæretici agere contra Ecclesiam quidquid illis libuerit, nec poterit illis resisti ab Ecclesia aut à subditis. Expellant Episcopos catholicos, constituant vbique hæreticos, expilent Ecclesias, omnia sacra prophanent, omnia Sacramenta conculcent, Hæresim, Turcismum, vel Atheismum inducant: summus Pontifex, & tota Ecclesia nihil aliud cōtra eos statuere poterit, quàm vt sacrorum (quæ illi contemnunt & abolere contendunt) non sint participes. non poterit iura ipsorũ temporalia attingere, non poterit eis obedientiam denegare, non tributa recusare, aut diminuere; non vi externa resistere, aut eos coercere, etiamsi maxima ad hoc copia per populũ catholicum, vel alios Principes suppetat; etiamsi facillimo negotio posset exequi, (hoc enim esset iniusta & fœda rebellio iure diuino & humano prohibita) sed debebit illos sinere grassari pro sua libidine; & interim tamquam numina quædam cælo delapsa suspicere, vt qui nullum præter Deum habeant superiorẽ, qui à nullo in terris possint iudicari, qui sint Dei Vicarij & Locum-Tenentes in terris.

At quid absurdius dici potest, & à communi omnium gentium, quæ aliquem religionis sensum habent, alienius? An hoc non est omnem religionem irridere, & res humanas, terrenasque dignitates illi anteponere? Si enim religio non potest defendi per Ecclesiam contra Princi-

Principem impium cum aliqua læsione iurium ipsius temporalium: manifestum est iura illa temporalia esse longè maioris momenti, quàm sit vniuersa religio. hæc enim est causa, cur bona alicuius priuati, quæ Princeps iniustè aufert vel vastat, non possint defendi cum interitu Principis; præsertim si alioquin cōmodus sit Reipublicæ. nimirum quia vita ipsius est longè maioris momenti, quàm bona cuiusquā priuati: & pluris interest Reipub. Principem viuere, quàm illum hominem suis bonis non spoliari. Rursus si Religio non potest defendi contra Principem impium propter obligationē qua subditi ei sunt adstricti: ergo maior est obligatio erga Principem, quàm erga religionē. illa enim obligatio est maior, cui altera debet cedere. Atqui obligatio qua tenentur religionē tueri, debet cedere obligationi, qua tenentur Principi eam vastanti non resistere: ergo obligatio erga Principem est maior. Præterea si Princeps tyrannicè passim ciues spoliaret bonis, eorum filias & vxores opprimeret, & similia nefanda in suos patraret; certum est ciues posse illi resistere, & potentia, qua tam iniquè abutitur, si spes emendationis nō affulgeat, ordine iudiciario in conuentu Regni spoliare. idē dico si patriæ vastitatem, pro sua libidine, sicut olim Nero, inferat. Hæc modò suppono ex communi hominum sensu, & omnium sæculorum vsu, & infrà magis probabo. Ergo si non potest idem fieri causa tuendæ religionis; perspicuum est religionem rebus istis temporalibus esse viliorem. temporalia enim quia tanti momenti sunt ad hanc vitam commodè transigendam, possunt à subditis aduersus tyrannidem communem Principis defendi, idque sine vlla vel rebellionis vel iniuriæ nota. religio autem non potest; adeo vt si illius tuendæ & conseruandæ causa subditi se illi opponāt, sint futuri rebelles, & rei læsæ maiestatis. Quis ergo non videat, iuxta sententiæ istius

placita, rebus temporalibus religionem postponi; ac proinde in re ipsa omnem religionem tolli & rideri? Itaque optimè cum ingenio eorum, qui hoc tempore dicuntur Politici, consentit. *Politicus enim dicitur*, inquit quidam, *cui status est Deus, honor numen, Imperium vltimus finis, diuitiæ cælum, paupertas infernus, præsens prosperitas beatitudo, religio larua probitatis & instrumentum politici regiminis, futura præmia monachorum somnia, futura supplicia puerorum terriculamenta, scriptura sacra fabula, mors, corporis & animæ interitus*. Hinc facile concedunt Pontifici authoritatem pœnarum spiritalium, quibus bona spiritalia adimuntur: de quibus ipsi, tamquam somnijs, parùm sunt solliciti, modò nulla ei tribuatur potestas in temporalia, vt quæ sint solida bona, superioris nimirum ordinis, ad quorum sublimitatem nō possit pertingere. imò potestatem illam adimēdi regni & alijs concedendi vocant *omnipotentiam quamdam*, & *immensam potestatem*, quasi hoc sit omnium maximum; & longè ampliùs quàm consecratio Eucharistiæ, absolutio à peccatis, & iustificatio impij. Sed de hoc plura inferiùs nu. 135.

Qui dicātur hoc tempore Politici.

Ex his perspicuum est hanc sententiam Atheismi surculum esse, quod etiā magis patebit, si alias quasdam sententias, quæ in libello Regio defenduntur coniungamus: nimirum, Regem in suo regno tenere Primatū in spiritualibus, & quemlibet Regem pro suo iudicio posse interpretari Scripturas, & sibi credendi regulam formare. Posito enim Atheismo, & sublatis præmijs ac supplicijs vitæ futuræ, omnia ista cohærent optimè, & se mutuò sequuntur. Nam primùm ex hoc principio sequitur, summum bonum situm esse in dignitate Regali, maximis honoribus, diuitijs & voluptatibus huius vitæ circumfluente. 2. Sequitur, posse Reges creare & deponere, esse immensam quamdam potestatem, & veluti

luti omnipotentiam: quia posse dare & auferre summum bonum, suprema potestas est, qua nulla in rebus maior esse potest. 3. Sequitur, Religionem esse instrumentum dumtaxat politiæ, inuetum ad multitudinem reuerentia numinis, metu suppliciorum, & spe præmiorum vitæ futuræ in officio continendam. 4. Sequitur, Principem in suo regno esse caput Religionis, & posse de religione statuere prout ipsi commodum videbitur; cùm seruire debeat politiæ, cui ipse præest. item Principē pro suo iudicio posse scripturas interpretari, & regulam credendi præscribere. 5. Sequitur, Summum Pontificem nullā prorsus in Principes habere potestatem, nec posse ob vllam Religionis iniuriam illos deponere, aut vllo iure temporali priuare: quia nō ad Pontificē, sed ad Principem pertinet negotium Religionis intra regni limites. 6. Subditos Principis non esse subiectos summo Pontifici in negotio Religionis, sicut neque in negotio politiæ sed soli Principi. 7. Populum debere sequi Religionem, quam Princeps cum suo Parlamēto præscribit. 8. Initiari sacerdotio esse crimen læsæ maiestatis: similiter reconciliare aliquem Ecclesiæ Romanæ &c. quia istis modis tribuitur Romano Pontifici potestas in spiritalibus, quæ soli Principi competit. 9. Profiteri religionem Catholicam esse crimen læsæ maiestatis: quia est agnoscere & profiteri supremam potestatem spiritualem, quæ Coronæ Regiæ annexa est, in Romano Pōtifice. 10. Omnes religiones posse admitti præter Catholicam: quia omnes abrogant Pontifici omnem potestatem in Reges & eorum Regna, & facilè dispensant, vt Regibus ea tribuatur. nam etiam Puritani non grauatè Iuramentum Primatus suscipiunt; vt in libello Regio confut. mendac. 4. asseritur. at Catholica Religio à professione Primatus Pontificis auelli non potest.

Hæc & alia id genus Politica placita tamquā ramu-

sculi

ſculi cohærent optimè cum illa Atheiſmi radice: ſuntque adeo inter ſe connexa, vt aliud ſine alio defendi commodè nequeat. quo fit vt Barclaius, cùm Primatum in ſpiritualibus Pontifici tribuit, ſæpe ἀνακόλουθα & ἀσύστατα dicere cogatur; & paſſim in ſuis probationibus principium petat.

At verò è contrario fundamento omnia ſequuntur contraria. ſi enim eſt vnum ſupremum numen omnia continens, omnia intuens & gubernãs, quod omnium factorum rationem exiget, quod æternis ſupplicijs peccata vindicabit, & æternis præmijs opera bona remunerabit: ſequitur 1. Veram religionem eſſe ſummum bonum in hac vita. 2. Omnia debere huic cedere & ſubeſſe. 3. Principatum religionis non eſſe annexum Principatui politico, cùm ille longè ſit hoc excellentior. 4. Principem politicum ſubeſſe religionis Principi (qui eſt Romanus Pontifex) & poſſe ab eo deponi, ſi religionem veram exterminare conetur. 5. Regimen politicum ita debere inſtitui à Principe, vt religioni non officiat: alioquin à principe Religionis poſſe corrigi &c. 6. Omnes qui veræ religioni ſunt initiati, ſubeſſe religionis Principi, & huic in negotio religionis, & in ijs quæ ad eius conſeruationem ſunt neceſſaria, debere parere, non Principi politico. 7. Populum poſſe ſolui vinculo iuramenti quo obſtrictus eſt Principi politico, ſi hic religioni rebellem ſe exhibeat. 8. Solam religionem Catholicam eſſe retinendam &c. Hæc & ſimilia ex contrario fundamento conſequuntur, ſuntque mirè inter ſe connexa. Ex his patet quibus principijs vtraque ſententia nitatur, & ex qua radice vtraque pullularit.

SE-

SECVNDA RATIO
Ex potestate Excommunicandi.

SVMMVS Pontifex potest Principem impium excõmunicare, vt etiam Barclaius fatetur. ergo potest etiam iure temporali priuare. Conseq. probatur. 1. nam qui in pœnam potest auferre maiora bona, potest etiam auferre minora, si res ita postulet: sicut cuius est tanta potestas, vt possit mulctare vita; potest etiam mulctare bonis externis. Atqui spiritalia bona quibus homo priuatur per excommunicationem longè sunt maioris momenti, & præstantiora quàm res temporales, & ius regnandi. ergo is qui potest excõmunicare, potest etiam rebus temporalibus, ac ipso regnandi iure, si causa id exigat, priuare. 111.

Confirmatur ex D. Augustino lib. 1. contra aduersarium legis & prophetarum cap. 17. vbi de potestate ligandi Ecclesiæ & excommunicatione loquens, dicit hanc pœnam peccatori *esse grauiorem, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subijceretur*. 2. Bona spiritalia non solùm sunt excellentiora, sed etiam diuino munere concessa, & diuino iure debita: cùm temporalia solùm iure humano teneantur. ergo qui potest priuare spiritalibus, potest etiam temporalibus. Qui enim potest tollere quod altiori & perfectiori iure possidetur; cur non etiam possit, quod minori? qui enim potest quod maius est, potest etiam quod minus. 3. Quia ipsa per se excommunicatio multiplici iure temporali priuat. nam vt cetera omittam, adimit ius liberè versandi cum alijs, & obligat omnes fideles ad eius communionem non solùm in sacris, sed etiam in profanis & politicis vitandum; idque iam à temporibus Apostolorum obseruatum, vt constat ex cap. 5. epist. 1.

Excommunicatio priuat multiplici iure tẽporali.

ad Corinth. vbi Apostolus vetat ne quis cũ tali versetur aut cibum sumat. Et epist. 2. S. Ioannis, ne in domum recipiatur, ne vlla ei amica salutatio impertiatur.

Neque dici potest hic excipiendos Principes respectu subditorum, vt vult Barclaius: quia quò quis potest ampliùs nocere, eò magis consuetudo illius est vitanda. Vnde etiam nemo vmquam Doctorum Principes excepit, & vsus tot sæculorum hanc exceptionem satis confutat. Scribit Petrus Damianus ante sexcentos annos epist. ad Desiderium, cùm Robertus Francorum Rex ob illicitas nuptias iussu Gregorij 5. à Synodo Episcoporum Galliæ excommunicatus fuisset, *tantum terrorem huius sentẽtia populum inuasisse, vt ab eius societate vniuersi recederent, nec præter duos seruulos ad necessarij victus obsequium illi remanerent, qui tamen & ipsi omnia vasa in quibus Rex edebat & bibebat, percepto cibo abominabilia iudicantes, pabula ignis exhibebant*. hæc ille.

Idem confirmatur ex sententia excõmunicationis, quam Synesius Ptolemaidis in Aegypto Episcopus ante annos 1200. tulit in Præfectum Prouinciæ Pentapolitanæ in Aegypto, & illi adhærentes, per quam omnes etiã subditi prohibẽtur cum ipsis versari. Extat in epist. eius 58. in hæc verba. *Post quam* (vocẽ) *non ampliùs admonendus est homo, sed velut insanabile membrum à nobis resecandus, ne societate, quod simul sanum est, corrumpatur: nam inquinamentum facilè distribuitur, & qui tangit scelestum, particeps fit reatus illius: oportet autem mente & corpore puros Deo esse. Propter hac Ptolemaidis Ecclesia ad omnes vbique terrarum sorores suas hac demandat: Andronico & suis, Thoanti & suis nullum templum Dei aperiatur. omnis sacer cœtus, omne sacrum templum conclusum sit. Non est diabolo portio in paradiso, qui etiamsi clandestinè ingressus fuerit, expellatur. Admoneo igitur & priuatum quemque & Principem, vt ne sub eodem tecto cum ipso habites*

Sententia Excommunic. lata à Synesio.

bitet, neq; eamdē mensā participet: Sacerdotes verò præcipuè, qui neque viuentes ipsos alloquantur, neque mortuos simul deducant. Si verò quis velut paruæ ciuitatis Ecclesiam reprobarit, & excommunicatos ab ipsa susceperit, velut necesse non sit pauperi obedire; is sciat se scindere Ecclesiam, quam vnam Christus esse vult. Talis autem siue Leuita, siue Presbyter est, siue Episcopus, à nobis in Andronici sorte locabitur; & neque porrigemus ei dextram, neque vmquam de eadem mensa cum ipso cibum capiemus. multum autem aberit, vt in arcano mysterio communionem habituri simus cum his, quicum Andronico & Thoante sortem habere voluerūt. Hactenus sententia.

Hac sententia etiam subditis prohibetur omnis conuersatio cum Magistratu excommunicato; adeo vt debeant illum expellere si Ecclesiā ingressus fuerit: ac proinde ex parte liberantur ab obligatione illi parendi. neque solùm priuatis, sed etiam Principibus omnis cum illo consuetudo vetatur. Denique ex hac sententia constat, eos qui ab aliquo etsi exiguæ & pauperculæ Ecclesiæ Episcopo excommunicati erant, toto orbe à Christianis vitandos fuisse, sicut etiā modò vsus Ecclesiæ habet.

Deinde priuat exercitio iurisdictionis in subditos. 112
suspendit enim Iurisdictionem, eiusque vsum impedit, adeo, vt sententia Iudicis excommunicati sit nulla, lex ab eo sancita irrita, priuilegium inualidum, dispensatio inutilis, acta omnia publicæ authoritatis nullius roboris: vt communiter tradunt DD. in cap. Ad probandum. de sententia & re iudicata, alijsque locis.

Denique absoluit subditos à Iuramento fidelitatis, quo suo Principi vel Duci sunt obstricti: vt constat ex decreto Gregorij 7. in Synodo Romana cap. Nos sanctorum 15. q. 6. & Vrbani 2. cap. Iuratos, ibidem, & ap. finali extrau. de Pœnis. quem effectum excommunicatio non solùm à tempore illius decreti, nempe à

530. annis; sed etiam diu antea habuit, vt ex cap. illo Nos sanctorum liquet. *Nos*, inquit, *Sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes*: apertè indicans id iam diu antea statutum fuisse.

Ex his perspicuum est optimum duci argumentum à potestate excommunicandi, ad potestatem deponendi; & legitimam esse consecutionem: summus Pontifex potest Principem noxium excommunicare. ergo, si res poscat, etiam deponere. tum quia vt ostensum est hoc longè minus est; & minore iure temporalia tenentur quàm spiritalia: tum quia excludi à fidelium communione, & à sua Iurisdictione suspendi, subditosque à Iuramento fidelitatis & obligatione parendi liberari, inchoatio quædam est seu dispositio regni amittendi. ipsa tamen excommunicatio dominio regni, aut Iurisdictione habituali non priuat: sed opus est ad hoc noua & particularis sententia.

Barclaius cap. 26. & 27. fusè conatur astruere summum Pontificem subditos non posse liberare à vinculo Iuramenti & obedientiæ, quo Principi sunt obstricti. 1. quia non potest concedere id quod iuri diuino & naturali repugnat; quale est subditum non obedire suo superiori. 2. quia non potest iuramenti liciti vinculum soluere. 3. quia non potest voti gratiam Religioso facere. Sed hæc, ne sæpius eadem repetere cogamur, meliùs infrà obiectione 11. & 12. discutientur.

Blacuellus in quæst. pag. 84. contendit excommunicationem non habere hunc effectum absoluendi subditos à parendi necessitate: quam sententiam ait sibi cum multis Catholicis authoribus esse communem. Adducit Ludouicum Richeome, Sotum, Medinam, S. Thomã & Vrbanum Papam.

Verùm duo ex hac obiectione colligimus. 1. Nullum inueniri Doctorem Catholicum qui ita sentiat. si

enim aliquis esset, tandem diligentissimè ab aduersarijs conquisitus produceretur. 2. mala fide istum authorem in hac quæstione versari, citando DD. verba contra apertam ipsorum mentem. nam isti DD. quos adducit, apertè contrarium tenent. de Vrbano patet 15. q. 6. can. vlt. vbi Vrbanus sic statuit. *Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, seruiant prohibeto. qui si sacramenta prætenderint, moneātur oportere Deo magis seruire quàm hominibus. fidelitatem enim quam Christiano Principi iurarunt, Deo eiusque Sanctis aduersanti & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur authoritate persoluere.* De S. Thoma patet ex ijs quæ habet 2. 2. q. 12. a. 2. vbi inter cetera sic ait: *Quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus; ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & Iuramēto fidelitatis quo ei tenebantur.* Refutatur sententia Blacuelli.

At, inquit author, S. Thomas 2.2. q. 11. a. 3. ait: *aliud est excōmunicatio, aliud eradicatio*. Et Vrbanus 24. q. 3. dicit: *disciplina est excommunicatio, non eradicatio*. verùm ista nullam habent speciem. *Eradicatio* enim non est absolutio subditorum ab obedientia, nec suspensio Iurisdictionis, sed occisio: vt expressè D. Thomas ait. quod etiam apertè ex verbis Vrbani, & ex parabola Domini Matth. 13. v. 29. de zizanijs & tritico colligitur.

De Soto & Medina non est dubitandum, cùm sint discipuli D. Thomæ. Sotus etiam in 4. d. 22. q. 1. a. 4. expressè docet ex communi DD. sententia Iurisdictionem Iudicis sæcularis per excommunicationem suspēdi: ita vt iudicium reddatur vsurpatum & iniquum, & sententia irrita.

Nec obstant illa verba, quæ tamquam Soti ex Medina citat Blacuellus. *Excommunicatio non est priuatio alicuius boni proprij, quod transgressor priùs possederat: sed est priuatio bonorum communium, quæ ab Ecclesia erat per-* Medina 1. 2. q. 96. a. 4. pag. 513.

 ceptu-

cepturus: quia Catholici non docent per excõmunicationem priuari aliquem dominio, sed solùm suspendi eius Iurisdictionem. deinde non sunt illa verba Soti, aut Medinæ, quæ iste refert, sed hæc: *Hæreticus non amittit dominium, nec legitimam possessionem bonorum suorum ante sententiam Iudicis*. vbi non agitur de vi & effectibus excommunicationis, sed de effectibus cap. Cùm secundum leges. de hæreticis in 6. Et docent isti DD. vi illius constitutionis hæreticum, saltem secuta sententia declaratoria criminis, bonorum suorum dominium amittere: ac proinde etiam Principem hæreticum amittere dominium sui Principatus.

Idem sentiunt reliqui omnes DD. tum Theologi, tum Canonistæ: quæ doctrina receptissima euertit sententiam Blacuelli. etsi enim Ecclesia non priuet dominio per excommunicationem: potest tamen per legem & sententiam priuare.

Ad ea quæ ipse citat ex Apologia Richelmii, libenter fatemur non ob illos fines pœnam excommunicationis irrogari, sed vt excommunicatus emendetur. neque excommunicatio soluit habituale vinculum quo subditi suo superiori sunt obstricti; quia illi manent re vera subditi, & hic manet Rex & superior: sed solùm suspendit, in illis quidem obligationem parendi; in hoc Iurisdictionem imperandi: idque ad tempus, donec reconcilietur. posita autem reconciliatione, tollitur illa suspensio, & statim per se redit antiquum ius, & obligatio actualis.

TERTIA RATIO
Ex variorum fundamentorum falsitate.

113. Si Summus Pontifex non posset Principem impium, vel alia ratione noxium Ecclesiæ deponere, id esset, vel quia Princeps non habet superiorem: vel quia Principa-

cipatus est immediatè à Deo: vel quia tanta est dignitas Regia, vt etiam ob necessariam Ecclesiæ defensionem attingi non possit; vel quia Ecclesia non potest seipsam armis corporalibus tueri: vel deniq; quia Ecclesia nullam disponēdi de tēporalibus laicorum habet authoritatem. hæc enim sunt omnia fundamenta, quæ ab aduersarijs video adferri. At primū & secundū fundamentum non sufficere, imò prorsus falsum esse infrà ostēdemus n. 154. 172. 183. 3. etiam manifestè falsum est, & Atheisticum vt suprà n. 110. insinuauimus. 4. etiam falsum est & absurdum, vt infrà ostendetur n. 132. 133. Nunc solùm dicemus de quinto, quod sæpe à Barclaio inculcatur. nam cap. 32. dicit Ecclesiā sua authoritate *nullis corporalibus aut ciuilibus pœnis Laicos etsi priuatos, posse afficere, nec aliquid eorum, quæ ciuili & humana potestate possidetur, posse illis adimere, quia non Ecclesiasticis sed politicis legibus, quæ in manu Regum sunt, res tales subijciuntur*. Idem repetit cap. 34. & alibi. hinc cōcludens, *nō posse illam quidquā in iura temporalia Regū: alioquin*, inquit, *Reges duriore conditione essent in Ecclesia quàm priuati*.

Sed hoc fundamentum prorsus absurdum esse facilè ostendi potest. si enim summus Pontifex & Ecclesia non potest statuere de bonis temporalibus laicorum, nec illa ob vllam causam tollere, aut eos pœna ciuili & corporali plectere: ergo iniquæ sunt tot Ecclesiasticorum tribunalium per totum orbem sententiæ, quibus laici vel pecunijs mulctantur, vel carceri mancipantur, vel virgis cæduntur, vel triremibus addicuntur, vel etiam brachio sæculari traduntur morte puniendi. passim enim in Episcoporum & Inquisitorum hæreseos tribunalibus huiusmodi sententiæ ferri solent, & executioni mandari. Iniquæ etiam erunt tot Ecclesiasticæ leges, & decreta Conciliorum Generalium, quibus de temporalibus statuitur

Refutatur fundamētum Barclai: Ecclesiam non posse disponere de temporalibus Laicorū.

tuitur

tuitur. Iniquũ erit decretũ Concilij Tridentini sess. 25. cap. 3. de Reformat. quo *mandatur omnibus Iudicibus Ecclesiasticis, vt quandocumq; executio realis vel personalis in qualibet parte Iudicij propria authoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se à censuris Ecclesiasticis: & datur facultas vt in causis ciuilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam Laicos, per mulctas pecuniarias (quæ pijs locis ibi existentibus eo ipso quo exacta fuerint assignentur) seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios vel alienos executores faciendam, aliaque iuris remedia procedant, & causas definiant*. Iniqua erunt multa decreta Concilij magni Lateranensis, quæ suprà n. 56. & 57. recensita. Iniquum erit decretum Concilij Constantiensis, Lateranensis sub Leone 10. & Tridentini, quo renouatur cõstitutio Bonifacij 8. c. felicis. de pœnis, de qua suprà nu. 60. & seq. Iniqua erit constitutio Bonifacij 8. cap. Cùm secundum leges. de hæreticis in 6. vbi Pontifex narratis quibusdam criminosis, qui lege ciuili confiscatione bonorum mulctãtur, subdit: *Bona hæreticorum, qui grauiùs, horribiliùs, ac detestabiliùs quàm prædicti delinquũt, ipso iure de fratrum nostrorum consilio decernimus cõfiscata*. Denique iniqua erunt multa alia decreta, quæ Ecclesia de Iudæis & Saracenis, de Hæreticis, de Apostatis, de pœnis, de iniurijs & damno, de foro competenti, de Iudicijs, de exemptione Clericorum, & alijs plurimis rebus statuit, quæ suis titulis in iure extant, & multis sæculis sunt in vsu. at quid absurdius, & in Ecclesiam Catholicam iniuriosius dici potest? non cadit hoc in animum hominis Catholici.

Neque dici potest Ecclesiã hæc omnia facere & statuere non authoritate propria, sed Principũ qui Ecclesiæ suam ad hoc potestatem accommodarunt; quia pleraque illorum statutorum etiam aduersus ipsos Principes valent

valent: nec vlla in illis decretis aut alibi fit mentio potestatis à Principe concessæ, sed solùm illius quã à Christo accepit.

Ex his patet quàm falsum sit, & à specie veri remotum, primarium illud Barclaij fundamẽtum: & potiùs è contrario fundamento tamquam certissimo, contrarium concludendum, hoc modo:

Ecclesia de bonis & iuribus temporalibus laicorum statuere & disponere potest, quatenus ad spiritalia opus est, vt ex innumeris decretis & canonibus, & ex perpetuo tot sæculorum vsu, ex tribunalium Ecclesiasticorum per totum orbem recepta praxi, constat. ergo etiam potest disponere de bonis & iuribus Principum. Non enim minùs Principes sũt subditi Ecclesiæ, & oues Petro eiusque successoribus regendæ commissæ, quàm laici priuati.

QVARTA RATIO
Ex recepta consuetudine accusandi, & citandi.

Principes in iniurijs rerum temporaliũ accusari solent apud Sedem Apostolicam, & ab ea citari ad causam dicendam, & cogi ad ius & æquũm; & ipsimet ab alijs iniuria affecti, ad Sedis Apostolicæ iudicium prouocare solent: quod est euidens signum Pontificem non solùm in causis merè spiritalibus, sed etiam in temporalibus, quatenus salutem attingunt, & legi diuinæ consentiunt vel repugnant, Principum Iudicem esse. Antecedens probari potest plurimis exemplis, sed omissis ceteris septem tantùm referam. 114.

1. Sit quod accidit sub Nicolao 1. anno 856. Lotharius Rex frater Ludouici Imperatoris duxit in vxorem Thiedbergam filiam patrui sui Caroli Calui, qui postea Imperator fuit: sed non multò pòst eam repudiauit, & superinduxit Waldradam concubinam suam pristinam.

Fratres Reginæ offenſi hoc repudio cauſam ad Apoſtolicæ Sedis audientiam detulerunt. Itaque Nicolaus 1. qui tunc illam Sedem tenebat, vir ſanctitate & doctrina clariſſimus, Regi mandat, vt pellice abdicata vxorem recipiat: ni pareat, ei anathema denuntiat. Archiepiſcopos autem Colonienſem & Treuirenſem, quorum opera Rex vſus fuerat, & Synodum ~~Rhemẽſem~~ ad approbandũ diuortium induxerat, Romam vocatos, & opem Imperatoris fruſtra implorantes omni Eccleſiaſtica dignitate priuat. Referunt hæc Rhegino in Chronico ad annum Domini 864. Sigebertus in Chronico anno 862. & ſequent. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi anno 865. addit Sigebertus anno 870. *Lotharium Romam ad Adrianum Papam (qui Nicolao ſucceſſit) veniſſe, vt ſe excuſaret, à quo cùm pro comprobatione innocẽtia ſuæ ad examinationem corporis & ſanguinis Domini, tam ipſe quàm Optimates regni inuitati fuiſſent; & ipſe & omnes qui corpus Domini noſtri cum eo temere accipere præſumpſerunt, infra annum perierunt: ipſo ſtatim in redeundo Placentiæ defuncto.* Idem narrat Ottho Friſingenſis lib. 6. Chron. cap. 4. & alij. Hoc exemplo apparet quàm neceſſaria ſit hæc authoritas. nam Rex per iſtos duos Archiepiſcopos totam Synodum Metenſem in ſuam ſententiam pertraxerat, & Legatos Sedis Apoſtolicæ pecunijs corruptos infecta cauſa dimiſerat. Itaque ad tãtam iniquitatem emendandam nihil præter Sedis Apoſtolicæ authoritatẽ ſupererat: qua factum eſt, vt Rex vellet nollet legitimam vxorem recipere cogeretur, vt Rhegino narrat.

metenſem

2. Sub Alexandro 2. hic vt ſcribit Crantzius lib. 5. metrop. cap. 20. cùm ſcelera Henrici 4. ad eum delata fuiſſent, per Annonem Colonienſem, & Hermannum Bambergenſem, qui tunc Roma in Germaniam erant reuerſuri, litteras ad Regem deſtinat, *vocantes eum ad*

ad satisfactionem pro simoniaca haresi, alijsque nonnullis emendatione dignis, qua de illo Roma fuerãt audita. Verùm causam Alexander prosequi nõ potuit morte interceptus.

3. Sub Gregorio 7. qui Alexandro successit, & causam ab eo inchoatam prosecutus est. qua de re ita Crantzius suprà: *Saxonum Principes missa legatione ad Sedem Apostolicam conquesti sunt, quòd Rex diuina legis contemptor, Ecclesijs Dei in constituendis Episcopis omnem libera electionis facultatem ademerit, ponens per violentiam Episcopos quos voluisset. Insuper quòd more Nicolaitarum de cõiuge sua publicum voluit facere prostibulum, aliaque multa auditu horrenda crimina. Quamobrem Papa Zelo iustitia permotus, crebris epistolis & nuntijs Regem denuo ad Synodalia responsa, & Sedis Apostolica deuocauit audientiam. Sed Rex secundam ac tertiam eius vocationem dissimulauit. Quocirca Episcopi omnes, excepto Liemaro Hamburgensi, & omnes Principes Saxonia deseruere Regem &c.* Et infrà: *Non diu pòst maximum Colloquium Principum apud Oppenheym factum est, vbi penè totius regni Principes, sed maximè Saxonum & Sueuorum subiectioni Regis contumacis renuntiabant: causam pratendentes, quòd à duobus summis Pontificibus euocatus ad satisfactionem non venisset; & pro contemptu, sententiam excommunicationis in Romana Synodo à Papa accepisset*. Ecce ante 500. annos communi fidelium sensu censebatur contumaciæ crimen in Principe dignum excommunicatione, & regni amissione, si à Sede Apostolica ad dicendam causam citatus, per se vel alium comparere nollet.

4. Sub Paschali 2. nam Henricus 4. etsi maximas cum Gregorio 7. inimicitias gessisset, tamen Sedem Apostolicam suum iudicem agnouit. Vnde cùm Principes Imperij aduersus se insurgere videret, ad eamdẽ appellauit & confugit. Sic enim scribit in epistola ad Principes Imperij, quam refert Abbas Vrspergensis in Chro-

nico anni 1106. *Si interpellatio vestra, nullaque alia interuentio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem, & Sanctam vniuersalem Sedem & Ecclesiam.* Idem in postrema epist. ad Principes. *Appellabimus, & tertiò appellamus Dominum Romanũ Pontificem Paschalem, & Sanctam & vniuersalem Sedem, & Romanam Ecclesiam.*

5. Sub Vrbano 2. Cùm enim Philippus Francorum Rex Bertam Florentij Comitis Batauorum filiam in matrimonio haberet; spretis coniungij legibus rapuit Bertradam vxorem Fulconis Comitis Andegauorum affinis sui. Fulco per legatos ea de re questus est apud Sedẽ Apostolicam, ab ea opem flagitans. Summus Pontifex Regẽ sæpius monitum, vt vxorem legitimam reciperet, & non parentem à fideliũ communione semouet, vetãs ne solemni ritu coronaretur, nisi antea Ecclesiæ reconciliatus foret. Vide Paulum Aemilium & Massonum.

115. 6. Sub Cælestino 3. Cùm Rex Angliæ Richardus reuertens ex bello sacro per Germaniam, ab Imperatore Henrico 6. captus fuisset; Regina Angliæ cum suis proceribus confugit ad summum Pontificem, tamquam ad supremum omnium Christianorum Iudicem. *Nonne*, inquit, *Petro Apostolo, & in eo vobis à Deo omne regnum, omnisque potestas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus. Non Rex, non Imperator, aut Dux à iugo vestræ Iurisdictionis eximitur.* Et infrà. *Non degeneret in herede Petri dignitatis Apostolicæ reuerenda successio. Vestrum agnoscite Principatum, probate zelum, accingimini ad opus fortitudinis, & honorate ministerium vestrum. Gloria vestra deriuetur ad posteros, & cognoscat generatio altera, quàm inaniter ille Tyrannus præsumpserit, & quàm potenter præsumptionem eius Sedes Romana punierit.* Et alia multa in hanc sententiam scribit tribus Epistolis, quæ extant inter Epistolas Petri Blesensis 144. 145. & 146. Extat etiam legatio eiusdem

Epist. 145. apud Petrum Blesensem.

iusdem Regis Angliæ Richardi ad summum Pontificem, apud Matthæum Parisiensem ad annum 1195. his verbis: *Pater sancte, salutat Excellentiam vestram Dominus noster Rex Anglorum Richardus, & postulat sibi iustitiam exhiberi de Duce Austriæ.* hic enim illum interceperat, & Imperatori tradiderat.

7. Sub Innocentio 3. & refertur Cap. Nouit. de Iudicijs. Cùm enim Rex Angliæ putaret se iniuria affectum à Rege Francorum, violatione cuiusdam pacti de quodam feudo inter ipsos initi, causam detulit ad summum Pontificem Innocent. 3. qui tamquam Iudex vtriusque commisit cognitionem cuidam Abbati, & Archiepiscopo Bituricēsi, nimirum vt de plano cognosceret, vtrùm iusta sit Regis Angliæ querimonia, & legitima Regis Francorum exceptio: & simul mandat legato suo, vt nisi Rex Francorum pacem cum Rege Angliæ reformet, vel saltē causam ab Abbate & Archiepiscopo cognosci sinat, contra illum iuxta formam ipsi præscriptam procedat. In isto cap. præter cetera 3. sunt notāda. 1. est omnem causam in qua agitur de manifesta iniuria, posse deferri ad Sedem Apostolicam, si ab inferiore Iudice non possimus sententiā æquam obtinere, iuxta illud Euangelij: *si peccauerit in te frater tuus* &c. [illegible] *Ecclesiæ*. 2. summum Pontificem posse cognoscere de omni causa, in qua agitur de peccato mortifero. quia cùm illi sit commissa salus animarum, ad ipsum pertinet iudicare de illis quæ salutem impediunt, eaq; prohibere & impedire. 3. Reges ab hoc iudicio non excipi, cùm scriptum sit: *ita magnum iudicabis vt paruum, nec erit apud te personarum acceptio.*

Cetera exempla omitto, cùm vix vmquam aliquis Princeps anathematis sententiam retulerit, qui non antè ad dicendam causam citatus fuerit. addo necessarium fuisse ad Ecclesiæ tranquillitatem, & fidelium pacem, vt Necessitas cõmunis Iudicis.

religionis, & salus animorum, potestas erit in omnia, quæ ad religionem tuendam & salutem consequendam sunt necessaria. Sicut ergo Rex potest adimere bona, famam, & etiam vitam, quando id ad publicam tranquillitatem est necessarium: ita etiam Summus Pontifex poterit eadem bona tollere, quando religionis defensio, aut salus æterna id postulat. Imò longè maior hic subest ratio. quò enim bonum est præstantius, magisque necessarium, eò magis licet illud tueri & incolume præstare cum detrimento bonorum inferiorum, si quis illud iniquè oppugnet. atqui vera religio, cuius solius adminiculo vita æterna obtinetur, est longè præstantior, magisque necessaria quàm tranquillitas ista temporalis, quæ solùm huic vitæ miseræ & momentaneæ seruit. ergo is cui religionis conseruatio commissa est, non minus, sed potiùs amplius Ius habet disponendi de rebus temporalibus, quatenus necesse est ad bonum religionis, quàm habeat is, cui commissa est tranquillitas publica.

Dices, Rex potest disponere de temporalibus, quia gubernatio illorum est illi commissa. at Pontifici non sunt cõmissa nisi spiritalia, vt doctrina fidei, sacramentorum administratio &c. Resp. Non illa propriè est ratio, cur Rex de temporalibus possit statuere: quia temporalium gubernatio non aliter est ei commissa quàm quatenus commissa est ei cura seruandæ iustitiæ, & prohibẽdæ iniuriæ, quam alter alteri in rebus temporalibus irrogare posset. Itaque ratio propria cur potestas Regia de temporalibus possit statuere, non est quod temporalium cura sit ei concredita, sed quia versatur circa finem ad cuius conseruationem ius disponendi de temporalibus erat necessarium. Finis enim potestatis Regiæ est tranquillitas publica. quæ tranquillitas in eo sita est, vt quisque tutus sit ab iniuria, & pacificè cum alijs vitam istam transigat. Et quia hæc tranquillitas constare non pote-

117. Obiectio.

Causa cur Rex possit dispo- nere de tẽ- poralibus subditorũ.

Principes communem iudicem haberent. Si enim nullus talis iudex esset, cùm sæpe alij alios iniurijs manifestis afficiant: numquam nisi per bella, & magnas populi Christiani clades reparatio fieret. & quiuis Princeps pro sua libidine quoslibet ex suis subditis impunè vexare, bonis, vxore & prolibus spoliare posset, qualia apud Turcas & alios barbaros fieri videmus. Itaque saluberrimum est hoc frænum; quo in officio & cultu iustitiæ retinentur. Non tamē ampliùs eo cohiberi possunt, quàm ad salutem manifestè necessarium esse constat.

QVINTA RATIO
Ex ratione finis.

116. SVmmo Pontifici commissa est à Christo cura totius religionis, & salutis animarum omnium Christianorum; ergo simul data est ei potestas ad omnia quæ religioni conseruandæ, & propagandæ, & hominibus ad salutem adducendis sunt necessaria. cui enim committitur aliquis finis, eo ipso datur potestas ad omnia media illi fini congruētia & valde vtilia. nam & hæc necessaria dici solent. Atqui sæpe dispositio rerum temporalium est necessaria ad conseruationem religionis, vel salutem animarum; vt patet cùm quis potentia sæculari, vel opibus abutitur ad Ecclesiæ vel fidei euersionem, aut ad Ecclesiasticæ disciplinæ perturbationem, vel cùm ab iniurijs in alios, aut à peccato suo, nisi temporalibus pœnis auocari nequit. ergo in hæc omnia plena potestas ei concessa est, quatenus ad illum finem opus est.

Dispositio temporalium sæpe est necessaria ad bonum religionis.

Confirmatur à simili. Regi enim quia commissa est tranquillitas publica, simul Ius est & potestas in omnia illa, quæ ad hanc tranquillitatem conseruandam sunt necessaria, nimirum in fortunas ciuiū, in famam, in vitam. ergo similiter Pontifici, cui commissa est cura re-

religionis, & salus animorum, potestas erit in omnia, quæ ad religionem tuendam & salutem consequendam sunt necessaria. Sicut ergo Rex potest adimere bona, famam, & etiam vitam, quando id ad publicam tranquillitatem est necessarium: ita etiam Summus Pontifex poterit eadem bona tollere, quando religionis defensio, aut salus æterna id postulat. Imò longè maior hic subest ratio. quò enim bonum est præstantius, magisque necessarium, eò magis licet illud tueri & incolume præstare cum detrimento bonorum inferiorum, si quis illud iniquè oppugnet. atqui vera religio, cuius solius adminiculo vita æterna obtinetur, est longè præstantior, magisque necessaria quàm tranquillitas ista temporalis, quæ solùm huic vitæ miseræ & momentaneæ seruit. ergo is cui religionis conseruatio commissa est, non minus, sed potiùs amplius Ius habet disponendi de rebus temporalibus, quatenus necesse est ad bonum religionis, quàm habeat is, cui commissa est tranquillitas publica.

Dices, Rex potest disponere de temporalibus, quia gubernatio illorum est illi commissa. at Pontifici non sunt cōmissa nisi spiritalia, vt doctrina fidei, sacramentorum administratio &c. Resp. Non illa propriè est ratio, cur Rex de temporalibus possit statuere: quia temporalium gubernatio non aliter est ei commissa quàm quatenus commissa est ei cura seruandæ iustitiæ, & prohibēdæ iniuriæ, quam alter alteri in rebus temporalibus irrogare posset. Itaque ratio propria cur potestas Regia de temporalibus possit statuere, non est quod temporalium cura sit ei concredita, sed quia versatur circa finem ad cuius conseruationem ius disponendi de temporalibus erat necessarium. Finis enim potestatis Regiæ est tranquillitas publica. quæ tranquillitas in eo sita est, vt quisque tutus sit ab iniuria, & pacificè cum alijs vitam istam transigat. Et quia hæc tranquillitas constare non pote- 117. Obiectio. Causa cur Rex possit dispo- nere de tē- poralibus subditorū.

poterat, nisi Rex de bonis & vita subditorum posset statuere; ideo habet ius in illa, nimirum quatenus ad finem illum est necessarium, non ampliùs. Itaque etsi summi Pontificis potestas non versetur primariò circa temporalia, tamen quia versatur circa finem ad cuius conservationem ius disponendi de temporalibus est necessarium; secundariò extendit se ad illa, & plenissimè de illis, quatenus ad tantum bonum opus est, statuere potest. Confir. quia cui commissa est cura alicuius finis, non minus, sed amplius habet Iuris in media ad illum finem tuendum necessaria, quàm is cui immediata cura & dispositio mediorum est imposita. Itaque cùm temporalia bona non sint propter se instituta à Deo, vt in illis fruendis conquiescamus, sed solùm vt sint media & adminicula ad obtinenda æterna; is cui commissa est procuratio salutis æternæ totius Ecclesiæ, non minus, sed etiam amplius iuris habet in temporalia, cùm id postulat iste finis, quàm Principes sæculares, qui immediatè tẽporalia curãt. sicut & ipsi principes sæculares plus habent Iuris in bona subditorum, quando publicæ tranquillitatis ratio id postulat, quàm ipsi subditi proprij bonorum Domini. quia tranquillitas publica, quæ principum curæ est commissa, est præstantior finis, quàm cõmoditas domestica, vel splendor familiæ, quam singuli in bonorum suorum dispositione spectant. Hæc adeo videntur perspicua, vt nemo ratione vtens videatur posse negare.

SEXTA RATIO
Ex subordinatione vtriusque potestatis.

118. POtestas ciuilis subiecta est potestati spiritali, quando vtraque est pars eiusdem Reipub. Christianæ. ergo Princeps spiritalis potest imperare Principibus temporalibus

libus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spiritale. omnis enim superior potest imperare suo subdito.

Antecedens confirmatur 1. ex finibus vtriusque. finis enim temporalis subordinatur fini spiritali. Nam temporalis tranquillitas non est vltimus finis, sed referri debet ad felicitatem æternam. ergo potestas ciuilis quæ tranquillitatem temporalem curat, subordinatur potestati spiritali; cùm iuxta Aristotelem 1. Ethicorum 1. ita subordinentur facultates, vt subordinantur fines. 2. quia Reges & Pontifices, Clerici & Laici non faciunt duas Respub. sed vnam, hoc est vnam Christi Ecclesiam. *Sumus enim omnes vnum corpus*, Rom. 12. & 1. Corinth. 12. atqui membra vnius corporis sunt inter se connexa, & dependentia vnum ab alio. non autem rectè asseritur spiritalia pendere à temporalibus. ergo temporalia à spiritalibus pendent, illisque subijciuntur.

3. Si temporalis administratio impedit bonum spiritale, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni. ergo signum est subiectam esse temporalem potestatem spiritali. Hanc rationem potuissem alia forma proponere, qua pleræque Barclaij cauillationes nullum ferè locum haberent; sed volui ijsdem verbis illam producere, quibus extat apud doctissimum Bellarminum, l. 5. de Pontif. cap. 7. quia acerrimè à Barclaio oppugnatur: idque vt appareat quàm vanè triumphet. idem faciam in Ratione 7. 8. & 9. vt locus detur ipsius obiectionibus.

Respondet ergo cap. 13. *Falsum inprimis esse, ciuilem potestatem subiectam esse spirituali, quando vtraque est pars eiusdem Respub. Christianæ: nisi ita intelligant, subiectam esse in spiritualibus: & è diuerso hanc illi in temporalibus obedire oportere. Siquidem hæ duæ potestates ita sunt partes* Respons. Barclaij.

 Rei-

Reipub. Christianæ, vt neutri in alteram imperium sit. Deinde id confirmat quibusdam testimonijs, quæ Bellarminus adduxerat ad ostendendum Summum Pontificem non habere potestatem in temporalia directè.

119. Refutatio

Hæc responsio passim ab Authore toto libello inculcatur, sed facilè refutari potest. dupliciter enim intelligi potest potestatem ciuilem esse subiectam potestati spirituali in spiritualibus, non autem in temporalibus. 1. Vt Principes non teneantur obedire in re temporali, vt merè temporalis, & ad finem dumtaxat temporalem tendens; sed solùm vt subit rationem spiritalem, nimirum vt medium ad finem spiritalem seu ad conseruationem religionis, vel salutem animarum necessarium. Et hoc modo libenter concedimus potestatem ciuilem non esse subiectam potestati spirituali in temporalibus, sed solùm in spiritualibus. non enim Summus Pontifex potest præcipere Principi, vt has vel illas leges sanciat; officia regni his vel illis conferat; certa cùm alijs fœdera ineat; hos vel illos regno expellat &c. si solùm de commodo temporali statuque politico agatur; neque ad salutem animorum id necessarium censeatur. Verùm hic sensus non seruit proposito authoris, sed planè euertit.

Dupliciter potest quis intelligi subiectus in Spiritalibus.

2. Intelligi potest vt Principes non subsint, nec teneantur obedire Pontifici, nisi in rebus merè spiritalibus v. g. vt in Paschate confiteantur, & sacratissimam Eucharistiam percipiant &c. non autem in vlla re temporali, etiamsi ad salutem sit necessaria. Et hunc sensum intendit Barclaius, quia eius deseruit causæ. ita enim vult has potestates esse discretas, vt neutra intra terminos propriæ materiæ vllo modo subsit alteri; adeo vt sicut Princeps non potest Ecclesiasticis quidquam præcipere in spiritalibus, aut eos peccantes spiritalium subtractione punire: ita Summus Pontifex nō possit quidquam præcipere Principibus quouis prætextu in temporalibus

poralibus; nec eos vlla ratione temporalium ademptione punire. è contrario intra limites materiæ alterius statuit mutuam subiectionem: ita tamẽ, vt in temporalibus Ecclesiastici non minùs quàm Laici teneantur Principibus per omnia obedire. & si contra leges ciuiles delinquant, possint non minùs quàm laici per omnes pœnas temporales castigari. principes verò & ceteri laici solùm in merè spiritualibus Ecclesiæ teneantur parere: nec alijs pœnis quàm spiritualibus, si contra legem diuinam, vel Ecclesiasticam peccent, possint ab Ecclesia plecti.

Sed hæc sentẽtia est omnino absurda. 1. quia si Laici nõ sunt subiecti Ecclesiæ vllo modo in tẽporalibus: ergo propter ea quæ committunt in temporalibus, non poterunt ab Ecclesia vlla pœna, ne quidem spiritali, v. g. excommunicatione affici. consequẽs autem est contra scripturã, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus* &c. Et 1. Cor. 5. vbi Apostolus punit laicum excommunicatione propter incestum, peccatum nimirum in re temporali commissum. est contra perpetuum Ecclesiæ vsum, quæ laicos propter adulteria, repudia, homicidia, furta, rapinas, inuasiones iniquas, pacta violata, & alia id genus peccata in temporalibus commissa punire cõsueuit. Sequela probatur. quia nullus superior potest punire inferiorem propter ea quæ committit in materia exempta, seu in qua nõ est illi subiectus, sed alteri. ideo enim Princeps sæcularis nõ potest punire subditum quòd in paschate non communicarit, nõ sit confessus &c. quia hæc peccata sunt in materia spiritali, quæ Principi non est subiecta. Confirmatur. quia si laicus in temporalibus non est Ecclesiæ subiectus; ergo præcepta Ecclesiæ quibus de illis aliquid præcipitur vel vetatur, illum non obligant. ac proinde etiãsi peccet cõtra legem diuinam, non tamen peccabit contra præceptũ Ecclesiæ, nec censebitur aduersus eam contumax, etiãsi

Absurda sententia, Laicos nõ esse vllo modo subiectos Ecclesiæ in temporalibus.

nolit parere: vnde nec poterit tamquam contumax excommunicari.

120. Respons. Barclaij cap. 14.

Dices, posse quidem Ecclesiam aliqua de temporalibus præcipere, & laicos teneri obedire; quòd si non obediant, posse excommunicari: non tamen posse aliqua pœna tẽporali affici. si ita est, ergo laici etiam Principes verè & propriè sunt Ecclesiæ in temporalibus, quatenus ad finem spiritalem expedit, subiecti: & Princeps spiritalis potest imperare Principibus sæcularibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spiritale, vt ratio nostra concludebat: quorum vtrumque à Barclaio hic negatur.

Potestas præceptiua includit ius coercẽdi pœna temp.

Quod autem de pœna additur, ratione caret. si enim Ecclesia de temporalibus præcepta dare potest; cur non etiam pœnas in illis decernere? ad plura enim se extẽdit potestas puniendi quàm præcipiendi. nam per illam etiam vita adimi potest, in quam alioquin nullum est homini ius, nulla authoritas. Rursus si potest decernere pœnas spiritales, quæ maximæ sunt, & priuant nos bonis diuinis diuino iure concessis: cur non etiam temporales, quæ priuant rebus istis infimis humano dumtaxat iure obtentis? Præterea pœnæ Ecclesiæ debent esse medicinales, & adhiberi non tam in vindictam, vt noceatur reo, quàm ad curationem, vt emendetur. atqui nulla est conueniẽtior pœna medicinalis quàm ea quæ multùm affligit sensum, & parùm nocet saluti. hæc enim hominem sine graui damno curat. talis autem est pœna temporalis. temporalia enim incommoda magis sentiuntur quàm spiritalia: adeo vt spiritalium bonorum iactura plerumque non multùm affligat peccatorem, nec multùm ab eo curetur, nisi aliquod temporale incommodum annexum habeat; vt patet in pœna excommunicationis. ergo hæc pœna nullo modo potestati Ecclesiæ est subtrahenda. Denique conuenientissimum est, vt in quo

in quo quis peccat, in eo puniatur. Quare si quis peccat abusu temporalium; vt si sua potestate temporali cōtra salutem propriam vel communem abutatur: congruentissima pœna est, vt illa priuetur. Accedit, quòd huiusmodi priuatio non sit mera pœna, sed iusta defensio: sicut cùm gladius per vim eripitur furioso, ne homines trucidet.

2. Probatur huius sententiæ absurdum; quia per illam potestas spiritalis & totus ordo Ecclesiasticus plenissimè subijcitur Principi sæculari, nimirum in omnibus rebus humanis, & quoad omnia pœnarum temporalium genera, quæ hominibus sunt maximè formidabiles. E cōtrario potestas sæcularis, & totus ordo Laicorum subijcitur Ecclesiæ valde imperfectè, nimirum in rebus dūtaxat spiritalibus, & solùm quoad pœnas spiritales, impijs hominibus, & Dei timore destitutis ridiculas. Itaque reipsa spoliat Ecclesiam omni potestate coercitiua in Laicos Ecclesiæ rebelles, & Religioni iniurios. è contrario armat Principes sæculares, quantumuis impios in ordinem Ecclesiasticum, omni genere tormentorum & pœnarum. quod quid aliud est, quàm Ecclesiam euertere, & politiam suprà religionem stabilire? Denique eiusdem sententiæ ἄτοπον patet ex tribus confirmationibus suprà in 6. Ratione allatis.

Verùm Barclaius cap. 14. conatur etiam illas confirmationes euertere. itaque ad primam respondens: *Nego*, inquit, *constanter talem ordinationem vel subordinationem finium harum potestatum esse, quatenus ipsæ potestates tales sunt. Nam finis politicæ seu ciuilis potestatis, quatenus politica est, nihil aliud absolutè complectitur, quàm felicitatem temporalem, commune scilicet bonum, & vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem, vt ipsemet alibi Bellarminus fatetur*, cum ait: *Politica potestas habet suos Principes, leges, iudicia &c. similiter Ecclesiastica suos Episcopos, Ca-* 121. Responsio Barclaij ad 1. confirmationem n. 118. positam.

nones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem: ista salutem æternam. Addit Barclaius: *Nec vlteriùs progreditur hæc potestas ciuilis, nullúmque alium in finem refertur, vt talis est. nam quod ad æternam felicitatem adspirat, id non à seipsa habet: non, inquam, quatenus politica est, eò tamquam in vltimum scopum conatus suos dirigit, sed quà spiritualis siue Ecclesiasticæ potestatis societate & consilijs adiuuatur.*

Refutatur

Hic nobis suam Philosophiam pandit Barclaius, inficiando pronuntiatum Philosophis vsitatissimum, quo plerique DD. Scholastici in hac materia sunt vsi. vt Henricus, Pisanus, Turrecremata, Mayronius, Victoria, Sotus. sed neque sententiam assequitur, nec quidquã dicit quod ad rem faciat. Cùm enim ait: *Nego constanter talem ordinationem vel subordinationem finium harum potestatum esse:* quid sibi vult *talem*? aut quomodo ad rem facit? non enim hoc in argumento assumptum fuerat, sed istud: *talis est subordinatio facultatum qualis est finium: atqui finis potestatis politicæ est subordinatus fini potestatis Ecclesiasticæ: ergo ipsa potestas politica est subordinata potestati Ecclesiasticæ.* Maior est Aristotelis & omnium Philosophorum. omnes enim artes, & virtutes, & potestates accipiunt suam speciem, & rationem essentialem ex ordine ad propria obiecta seu fines, quos immediatè respiciunt. Vnde similem in suo genere habent inter se facultates dependentiam & subordinationem, qualem inter se habent ipsi fines. Quod quia certissimum est & planè demonstrat sententiam nostram, declarabo exemplis, vt quiuis etiam absque magna philosophia capere possit. Finis omnium artium quæ alicui operi materiam præparant, est subordinatus fini illius artis quæ formã vltimam rei arte factæ introducit. omnis enim materiæ per artes præparatio est propter formam & complementum operis, Vnde fit vt omnes artes quæ versantur circa ma-

Declaratur subordinatio finium, & facultatũ, exemplis.

materiæ præparationem sint subiectæ arti, quæ vltimam formam operi constituit: & ab ea dirigi & corrigi debeant, si fortè aliquid faciant, quod illi fini non congruit. Sic Architectonicæ subiectæ sunt omnes artes inferiores, quæ ad domus constructionem concurrunt, vt muraria, cæmẽtaria, lignaria, ferraria, tegularia &c. cuius rei nõ est alia causa, nisi quia fines illarũ proprij, fini Architectonicæ sunt subordinati. Ob eamdem causam (nimirum propter finium subordinationem) ars conficiendorum armorum subiecta est arti militari; ars frænorum arti equestri, & omnes artes mechanicæ subiectæ sunt prudentiæ & potestati politicæ. Armorum enim finis est opus militare: frænorum opus equestre: & omnium artium proprij effectus (qui etiam sunt illarum fines) ordinãtur ad commune bonum Reipub. cuius procuratio ad prudentiam & potestatem politicam pertinet. Hinc fit vt potestas politica possit omnibus artibus mechanicis præscribere & imperare, quatenus ad publicum Reipub. bonũ opus est: adeo vt si in opere suo aliquid faciãt, quod bonum publicum offendat, aut illi non bene congruat, possint per potestatem politicam cogi ad illud emendandum.

Pari itaque modo in proposito, quia finis potestatis ciuilis subordinatus est fini potestatis spiritalis (omnia enim temporalia sunt propter salutem æternam) dicimus ipsam potestatẽ ciuilem subiectam esse potestati spiritali, & ab ea debere dirigi, illique debere parere, quatenus ad finem spiritalem opus est.

Quod autem Barclaius obijcit: *potestatem ciuilem quà ciuilis est, nihil aliud complecti quàm felicitatem temporalem, hoc est, ordinatam vitæ tranquillitatem, nec vlterius progredi* &c. neque ad rem facit: nec quisquam, vt ille existimat contrariũ asserit. nõ enim est necesse vt ars aut facultas inferior propriũ opus ad finẽ altio- 122.

rem

rem ordinet, sed satis est vt illud opus, seu finis ille ex naturali sua conditione, vel ex institutione diuina ad finẽ illum referatur. facultatum enim subordinatio non prouenit ex subordinatione quam habent fines ex relatione subiecti, sed ex natura rei. Vnde artes mechanicæ in repub. etiamsi non ordinent sua opera ad bonum commune, sed solùm ad priuatum commodum; tamen quia illa opera ex sua naturali conditione in Repub. tendunt in bonum commune, ipsæ artes sunt subiectæ potestati politicæ, cui boni communis procuratio incumbit.

Omnia temporalia sunt instituta à Deo propter salutẽ æternam.

Quod autem omnia temporalia tum ex naturæ suæ conditione, tum ex diuina institutione sint propter salutem æternam, satis constat ex scripturis Act. 17. 26. ad Rom. 8. 33. 1. ad Cor. 3. 21. terra enim & plenitudo eius condita est propter hominem, non vt in istis rebus infimis conquiescat; sed vt breui tempore quod ei concessum ad æternitatem promerendam, illis vtatur, & corpus mortale sustentet. Itaque sunt instar viatici ad iter huius vitæ peragendum; ac proinde ex naturali sua institutione sunt media nonnulla, etsi imperfecta, ad salutem æternam ordinata: quamuis plurimi non sic vtantur.

Confirmatur alia demõstratione.

Ex his patet solidam planè esse probationem ex illo pronuntiato petitam: quæ vlteriùs confirmatur hac generali ratione. Omnis facultas & potestas, quæ versatur circa aliquem finem, extendit se ad omnia media, quæ ad illum finem sunt ordinata: atqui potestas Ecclesiastica versatur circa certum finem, nimirum circa salutem animorum procurandam, qui est supremus & nobilissimus finis hominis. ergo extendit se, & pertinet ad omnia, quæ ad hunc finem sunt ordinata (qualia sunt non solùm spiritalia, sed etiam omnia bona temporalia) potestque de illis, prout ad finem illum opus est, statuere. Vnde vlteriùs sequitur, potestatem ciuilem in ordine ad illum

lum finem esse subiectam Ecclesiasticæ, eique debere obedire. ex eodem fundaméto probatur subiectio & subordinatio omnium artium & facultatum, quarum altera versatur circa media, altera circa finem. quæ enim versatur circa finẽ, potest disponere de omnibus medijs ad finem illum necessarijs. ac proinde ea quæ proximè versatur circa media, tenetur illi obedire: vt in exemplis suprà adductis perspicuè ostenditur. Hæc de prima confirmatione.

Ad 2. verò Barclaius cap. 14. sic respondet. *Secundum argumentum vsque adeo friuolum est & fallax, vt nihil inscitius dici, aut vitiosius colligi possit, quàm quod eo cõcluditur. Ecqua enim anus tam excors est, vt nesciat non valere hanc consecutionem: sunt membra vnius corporis; ergo vnũ ab alio pendet. Nam neque pes à pede, neque brachiũ à brachio pendet, sed alicui tertio connexa sunt* &c. Et infrà. *Quis eiusmodi argumenta futilitatis plena non rideat? Ego miseras istas demonstrationes odi, quæ rem de qua agitur argutijs, præstigijs, & captionibus inuoluunt potiùs quàm explanant* &c. Ita ille bombizat in vacuo; quasi cum fungo aut pepone illi sit negotium. argumentum istud ad verbum extat apud Victoriam & Sotum viros longè doctissimos. sed peruertit illud Barclaius, omittens id quod erat præcipuum, nimirum, *non rectè autem asseritur spiritualia pendere à temporalibus*. Ex quibus verbis patet non agi de quibuslibet membris, sed de duobus præcipuis & generalibus, nimirum de duobus hominum statibus, quibus Ecclesia constat, politico & Ecclesiastico; laicorum & clericorum. qui cùm non sint membra eiusdẽ ordinis, non possunt se habere vt brachium dextrum & sinistrum in corpore humano, sed vt caput & cetera mẽbra; vt cor & ceteræ partes.

123. Ad 2. cõfirmationem responsio Barclaij.

Itaque forma argumenti est talis. Ecclesia est vnum corpus: in vno autem corpore omnia membra ita sunt

dispoſita & connexa, vt cetera omnia dependeant ab vno, nimirum à capite quoad ſenſum & motum voluntarium: à corde quoad viuificationem & ſpiritum vitalem. Atqui illud vnum vnde cetera membra in corpore Eccleſiæ dependent, non poteſt eſſe Princeps temporalis, ſeu poteſtas Politica: quia dici non poteſt ſpiritalia pẽdere à temporalibus. ergo eſt Princeps ſpiritalis: quia temporalia à ſpiritalibus pendere debent. Confirmatur. Quia ſicut in corpore humano à capite in reliqua membra deſcendit ſenſus & motus: ita in corpore Eccleſiæ à capite ſpiritali in omnia membra deriuatur ſenſus ſpiritalis, nimirum Doctrina fidei, & motus ſpiritalis, ſeu operatio vitæ æternæ meritoria. Et ſicut à corde pendent omnes reliquæ partes quoad viuificationem: ita à Principe ſpiritali pendent omnes Eccleſiæ partes quoad ſanctificationem. hæc enim fit per ſacramenta. Omnis autem ſacramentorum adminiſtratio in Eccleſia ab ipſo pendet, cùm omnis iuriſdictio miniſtrorum ab ipſo deriuetur. Doctrina quoque fidei, & conſequenter omnis operatio ſalutaris, quæ ex fide procedere debet, ab ipſo pendet. dependent, inquam, hæc omnia ab ipſo, non tãquam à cauſa principali (hæc enim eſt Chriſtus Dominus, qui ſolus eſt caput principale & cor Eccleſiæ) ſed vt à cauſa miniſteriali, ſecundaria & Vicaria. Ex quibus manifeſtum eſt omnia Eccleſiæ membra, etiam Reges & Imperatores ſpiritali Principi ſubiectos eſſe. Hoc modo intelligenda illa 2. Ratio. & ſic euaneſcunt omnes Barclaij triumphi.

Redigitur argumentum in formam.

Obijcit Barclaius, Ipſum Bellarminum docere, *Reges iudicem in terris, quoad res politicas attinet, nullum agnoſcere*. Ex qua doctrina ipſe manifeſtè ſequi putat, *Sũmum Pontificem nullo modo de negotijs Regum iudicare aut diſponere poſſe. Nam ſi poſſet*, inquit, *certè aut Reges haberent Iudicem in terris, aut Papa ſemper in cæleſtibus habitaret*.

ret. fieri ergo non potest quin Bellarminus aut à seipso dissiderit, aut immemoria lapsus sit &c. Hic rursus de nihilo triumphatur, & non Bellarminus sed Barclaius à seipso dissidet, vel memoria lapsus est. optimè enim hæc duo consentiunt: Reges in rebus politicis nullum habent superiorẽ: & Reges in rebus politicis quatenus spectant ad salutem animæ habent superiorem. illud enim intelligitur formaliter de *politicis*, quà politicæ sunt, id est quatenus sunt merè temporales & saluti adiaphoræ, vel saltem non aduersæ. sic enim Põtifex non potest se illis immiscere, nec cogere Principem, vt aliquid mutet iuxta cap. Solitæ, de maiorit. & obedient. & cap. Si duobus, §. Denique, de Appellat. Alterum intelligitur de Politicis vt respiciunt animorum salutem: quo modo non propriè sed materialiter tantùm sunt politicæ, formaliter autem spiritales: quia sub ratione spiritali considerantur; nimirum vt consentaneæ vel dissentaneæ legi diuinæ, & saluti æternæ. Itaque mirum non est, si res politicæ hac ratione subsint dispositioni summi Pontificis, cui negotium salutis omnium fidelium commissum est; & ipsi Reges in illis sub hac ratione Pontifici sint subiecti. quod autem Barclaius à seipso dissideat, n. proximo ostendetur.

Ad 3. Confirmationem respõdet Barclaius cap. 14. hoc modo. *Tertium argumentum quam sublestum sit, vel ex eo patet, quòd nihil inde colligi ab authore potuerit, quã quòd signum sit, subiectam esse temporalem potestatem spirituali.* Deinde addit: *hoc signum non esse* τεκμήριον, *sed* εἰκός, *quod sæpe nos falso indicio decipit.* Itaque negat cõsequentiam, & dicit: *ex eo quòd Princeps sæcularis tenetur mutare modum regiminis qui bono spiritali est impedimẽto, non sequi temporalem potestatem subiectam esse spiritali; sed hoc tantùm: spiritale bonum temporali bono esse præstantius. Non enim, si vnum alio dignius est, protinus sequitur* 124. Responsio Barcl. ad 3. confirm.

 tur

tur minùs dignum à magis digno pendere, eique subſterni. Poſſunt namque generibus ſiue ordinibus adeo diuerſis contineri, vt neutrum ab altero pendeat, aut ſubiectionis vinculo teneatur. Deinde ex dictis concludens reſponſionem ſuam ait: *Concedimus itaq; Principem in caſu propoſito mutare debere formam publicæ adminiſtrationis: & vt id faciat, ab Eccleſia, vel eius capite, & ſummo Paſtore in terris Papa cogi poſſe, ſed pœnis tantùm ſpiritualibus, quarum metus bono viro quibuſcumque ſupplicijs grauior eſt: non autem pœnis temporalibus, qualis eſt bonorum amiſſio, regni priuatio, cùm Princeps in temporalibus nullū ſuperiorem agnoſcat*. Hæc ille.

Verùm hoc argumentum non eſſe ſubleſtum ſed firmiſſimum ſtatim patebit: cuius etiam ſignum eſt, quod Barclaius in ſua reſponſione bis ſibi contradicat. nam concluſio illa reſponſiua, *Concedimus itaque &c*. repugnat præmiſſis ex quibus infertur: & prior pars repugnat poſteriori. repugnāt enim: Principem à ſummo Pontifice poſſe cogi, vt mutet formam adminiſtrādi quæ bono ſpiritali incommodat, vt in Concluſione affirmat: & Principem Pontifici in temporalibus etiam, vt reſpiciunt finem ſpiritalem, non eſſe ſubiectum; vt verbis præcedētibus, ex quibus ſuam concluſionem infert, affirmat & ſæpius repetit in reſpōſione ad 1. & 2. Confirmationem. Si enim poteſtas ciuilis cogi poteſt à ſpiritali, vt modum regiminis in politicis mutet, quando hic modus officit bono ſpiritali: ergo poteſtas ciuilis eſt ſubiecta ſpiritali etiam in politicis, vt reſpiciunt bonum ſpiritale, quod antè toties negauit. Rurſus repugnant: Pontifex poteſt cogere Principem pœnis ſpiritalibus grauiſſimis vt mutet formam regiminis; non tamen poteſt eum cogere vlla pœna temporali: vt ſuprà n. 111. oſtenſum eſt, & infrà rurſus vberiùs demonſtrabitur.

Illa autem probatio quam ſubdit, *Cùm Princeps in tem-*

temporalibus nullum Superiorem agnoſcat: vel eſt petitio principij, vel euertit datam reſponſionem. ſi enim Princeps nullum habet ſuperiorem in temporalibus, quomodo poteſt cogi à Pōtifice vt temporalem gubernationem mutet? nemo enim cogi poteſt niſi à ſuo ſuperiore, & in ijs in quibus eſt ipſi ſubiectus. Rurſus, ſi pœna ſpiritali poteſt cogi vt temporalem gubernationē mutet, cur non etiam temporali? Si dicas, non ita agnoſcere ſuperiorem in temporalibus, vt in temporalibus ab eo poſſit puniri, manifeſtè petis principiū. hoc enim erat probādum cùm de eo ſit quæſtio, & putetur à nobis abſurdum & ἀσύστατον.

Porrò in 3. iſta confirmatione nō adferri ſignum ſubiectionis fallax, ſed certiſſimum probatur hac ratione. Quia quòd Princeps modum adminiſtrationis politicæ incommodum bono ſpiritali teneatur mutare, prouenit ex finium ſubordinatione; nimirum, quia totum bonum regiminis temporalis ordinatur ex natura rei ad finem ſpiritalē, animorum ſalutem. hinc enim conſequens eſt poteſtatem quæ verſatur circa regimen temporale, ſubiectam eſſe ſpiritali: & ſuam adminiſtrationem ita debere inſtituere, vt finem ſpiritalem non offendat. vnde ſi qua ratione illi officiat, debere mutare. quod ſi nolit, poſſe à poteſtate ſpiritali compelli, vt ſuprà n. 111. 116. & 121. oſtenſum eſt. itaque hæc omnia eodem nituntur fundamento.

Poſt hæc Barclaius cap. 15. & 16. vt magis mentem ſuam aperiat, & oſtendat quomodo iſtæ duæ poteſtates ſibi viciſſim ſint ſubiectæ: nimirum Eccleſiaſtica politicæ in temporalibus, & politica Eccleſiaſticæ in ſpiritalibus; fusè digreditur de exemptione Eccleſiaſticorum. verùm hæc meliùs in obiectionibus diſcutientur. vide obiect. 13. itaque ad alias rationes pergamus.

SEPTIMA RATIO
Ex iure conseruandi & defendendi sui.

125. RESpub. Ecclesiastica debet esse perfecta, sibique in ordine ad suum finem sufficiēs. tales enim sunt omnes Respub. bene institutæ. ergo debent habere omnē potestatem necessariam ad suum finem consequendum. Sed necessaria est ad finem spiritualem potestas vtendi & disponendi de rebus temporalibus: quia alioquin possent mali Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem. igitur & hanc potestatem habet.

Item quælibet Respub. quia perfecta, sibique sufficiens esse debet, potest imperare alteri Reipub. sibi non subiectæ, & illam cogere ad mutandam administrationem; imò etiam illam subijcere, eius Principem deponere, & alium eius loco instituere, quando non potest se aliter ab eius iniurijs tueri. ergo multò magis Respub. spiritualis imperare poterit Reipub. temporali, eamque cogere ad mutandam gubernationem, & deponere Principem, si alia ratione bonum spiritale defendi nequeat.

Lib. 5. de Pōtif. c. 7. Ad hāc rationem eodem modo à Bellarmino propositam, quam & pleriq; Doctores attingunt, vt Victoria, Soto, Turrecremata & alij, respondet Barclaius cap. 17.

Resp. Barclaij. *Respondeo*, inquit, *tam variè hic peccatum esse, vt verisimile sit authorem vel hoc totum quidquid est, ex alio perfunctoriè & oscitāter trāscripsisse: vel si totum eius est, non satis eorum quæ priùs dixerat meminisse*. Deinde id probat: *quia*, inquit, *antea dixit politicam potestatem & Ecclesiasticā esse partes tantùm vnius Reipub. nunc autē transformat has duas potestates in duas Respub*. &c.

Refutatur. Satis ostendit Barclaius se vel non intelligere vim argumenti, vel dissimulare, cùm ita de illo triumphum agit

agit. Rhetorum hoc eſt artificium, rationes quæ maximè premunt, maximè eleuare.

Primùm videtur negare maiorem. Ea quæ adfert, nihil omnino ad propoſitum faciunt. non enim in argumẽto aſſumitur, duas illas poteſtates efficere duas Reſpub. vt ipſe fingit, ſed ſolùm, *Reſpub. Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, ſibique in ordine ad ſuum finem ſufficiens.* Quod omnino verũ eſt, ſiue ſit diſtincta Reſpub. à politica, ſiue non (qua de re ſtatim agemus) eſt enim Chriſti Regnum & Eccleſia. Certiſſimũ eſt Chriſtum perfectum inſtituiſſe regnum quod ipſe ſuo ſanguine acquiſiuit: ad quam perfectionem pertinet, non ſolùm vt habeat ſufficientem doctrinam ſalutis, & præſidia ſanctitatis; ſed etiam vt habeat Ius & authoritatem religionem conſeruandi ac tuendi. Sicut quælibet Reſpub. perfecta præter omnes ſuas opes, & abundantiam rerum, debet eſſe ſui iuris, & habere authoritatem ſua bona aduerſus omnes hoſtes tuendi. itaque hæc propoſitio nullo modo negari poteſt. Non enim Ius aliquod regno Chriſti denegandum, quod omni regno mundano conuenit.

Chriſtus perfectum regnũ inſtituit.

Porrò fallitur Barclaius cùm putat poteſtatem politicam & Eccleſiaſticã in duas hic transformari Reſpub. quarum altera ſit laicorum, altera clericorum. non enim Reſpub. Eccleſiaſtica de qua hic agitur ſolis cõſtat clericis, ſed omnibus fidelibus. omnes enim fideles, quà fideles ſeu Chriſtiani ſunt, & ſub forma regiminis Eccleſiaſtici, ab vno capite communi ſacrorũ Principe diriguntur ad æternam ſalutem, ſunt vna Chriſti Eccleſia, vna Reſpub. Eccleſiaſtica, vnum Chriſti regnum, quod perfectum, & omni iure ad ſui conſeruationem opportuno inſtructum eſſe debet. Rurſus iidem fideles quatenus alicuius regni ſunt ciues, & ſub aliqua forma politica à Principe ad commodum temporale gubernantur, efficiunt Rempub. politicam, quæ pro varia forma guber-

Laici & clerici non efficiunt duas Reſpub.

nan-

nandi, & Principum diuersitate, varia est ac diuersa. Itaque Ecclesia, & Respub. politica apud Christianos sunt duæ respub. ratione formali; sed materialiter, & ratione subiectorum vna: quæ sub alia consideratione habet rationem Ecclesiæ sub alia Reip. politicæ.

126. An potestas disponendi de temporalibus in aliquo euétu sit necessaria ad bonũ spiritale. Barclaius negat, & 3. probationibus confirmat.

Secundò negat Barclaius minorem. *Deinde*, inquit, *falsum est quod assumit, potestatem scilicet vtendi & disponendi de rebus temporalibus, necessariam esse ad finem spiritualem.* hoc probat 1. *Quia ipse Princeps Apostolorum apertè docet nullum sibi Ius eiusmodi in res temporales Christianorum fuisse, præter eas quas ipsi sponte obtulerant Ecclesiæ, cùm ait Actor. 5. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate? Si erat in potestate Ananiæ, non ergo in potestate Petri.*

2. *Quia ex illo fundamento sequeretur Ecclesiam primæuam non habuisse omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum. nam hac potestate disponendi de rebus temporalibus Christianorum, inuitis Dominis, trecentis & ampliùs post Christi passionem annis, sub Ethnicis Principibus agens, omnino caruit. Atqui nefas est dicere Ecclesiam tunc omnibus medijs necessarijs iuris & facti ad finem suum adipiscendum instructã non fuisse. opera enim Dei perfecta sunt &c.*

3. *Sequeretur Rempub. temporalem habere potestatem disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi supremum Reipub. Christianæ Principem: quia debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem, & habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum. Sed ad finem temporalem necessaria est potestas disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi Principem Ecclesiasticum. quia alioqui possunt mali Principes Ecclesiastici turbare statum & quietem Reipub. temporalis, & impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto nonnulli summi Pontifices aliquando pertur-*

perturbarunt. Igitur hanc potestatem habet Respub. temporalis. Consequens planè falsum est.

Videtur iste homo nobis mentem & oculos eripere velle, vt contra apertam veritatem & tot sæculorum vsum ipsius assertioni & friuolis ratiunculis fidem habeamus. minorē enim propositionem, nempe, *potestatem disponendi de rebus temporalibus esse necessariam Ecclesiæ ad finem spiritalem consequendum*, certissimam esse, patet ex ijs quæ suprà ratione 1. 2. & 3. dicta sunt. Vbi inter cetera ostensum est, innumera Ecclesiæ decreta, & innumeras sententias iudiciarias disponere de rebus, & iuribus temporalibus, in ordine ad salutem æternam: idque esse necessarium ad bonam Ecclesiæ gubernationem. Item Ecclesiam non posse puris pœnis spiritalibus satis coercere rebelles, sed opus esse temporalibus. Refutatio

Ad 1. Barclaij probationem resp. Si aliquid valeret, probaret etiam Reges nullam in temporalibus suorum subditorum habere potestatem: quia non possunt de illis disponere pro suo arbitrio, sed solùm quatenus necessarium ad bonum publicum. illa enim verba Petri nihil aliud indicāt, quàm Ananiam potuisse retinere pretium agri, nisi illud vouisset Deo. At quomodo hinc sequitur, non potuisse illo priuari in iustam pœnam alicuius alterius criminis, aut in euentu quo fuisset ad salutem ipsius, vel religionis conseruationem necessarium? Respons. ad 1. probationem.

Ad 2. Negamus Ecclesiam primæuam primis trecentis annis caruisse potestate de temporalibus disponendi: imò tantam habuit ab initio, quantam habet modò, cùm iure naturæ ei competat; vt docet Henricus quodlib. 6. q. 23. & D. Thomas l. 3. de regimine Principum cap. 10. & alij DD. cuius ratio est: quia omnis potestas quæ versatur immediatè circa aliquem finem, iure naturæ potest disponere de omnibus medijs ad hunc Ad 2.

finem ordinatis, quatenus nimirum id ad illius finis consecutionem, vel tuitionem est necessarium. Vnde etiam Ecclesia semper hac potestate aliquo modo pro ratione temporis & loci fuit vsa; tum in suis Decretis, statuendo de varijs rebus temporalibus, vel cum iure temporali coniunctis; vt de impedimentis matrimonij per quæ priuantur fideles iure contrahendi cum varijs personis, cum quibus alioquin contrahere potuissent; de ciborum abstinentia & delectu; de decimis & oblationibus &c. tum in suis tribunalibus pœnas pecuniarias, & alias temporales pro varijs delictis, ijs præsertim, qui alias austeritates subire non poterant infligendo. cùm enim omnes ferè causæ, & lites fidelium ab Episcopis cognoscerêtur, non est dubitandum quin sæpe authoritate & compulsione per pœnas temporales vtendũ fuerit. Accedit, quòd ipsa excommunicatio semper aliquid tẽporalis pœnæ cõiunctum habuerit, cùm etiam à cõuictu politico fidelium excluserit; vt ex Scripturis constat. vide suprà n. 111.

Quòd autem in Principes Ecclesiam persequentes hac potestate tunc vsa non fuerit; causa fuit non defectus iuris, vt vult Barclaius, sed quia deerant vires externæ vel aliæ opportunitates ad cõmodam executionem necessariæ; vt docet D. Thomas 2.2.q.12.a.2.ad 1. qua de re plura infrà in obiectionibus, n. 180.

127. Ob. authoris. Sed instat Barclaius. Si Ecclesia per 300. annos nõ est vsa hac potestate aduersus Principes, qui eam vastabant, hoc signũ est, illam non esse necessariam ad bonum spirituale tuendum, & Deum illam non dedisse; sed solis armis spiritalibus instruxisse, cùm his solis eam indigere sciret. Confirmat id 1. ex S. Bernardo l.4.

Confir. 1. de Cõsideratione cap. 3. vbi Bernardus ait Summum Põtificem in splendore vestium & comitatus nõ successisse Petro, sed Constãtino: & sine istis potuisse satis impleri salutare mandatum, *Si amas me, pasce oues meas*: ergo simi-

similiter in potestate illa disponendi de temporalibus, non successit Petro, sed aliunde illam vsurpauit, & sine illa satis potest impleri mādatū, pasce oues meas. 2. *Quia* inquit, *etsi hominibus hæc potestas videri potuerit Ecclesiæ necessaria; Deo tamen neque necessaria neque vtilis visa est: ne humano scilicet imperio freti Apostoli, & eorum successores, spiritualia segniùs curarent: & quam in virtute verbi diuini, Deique auxilio spem ponere debebant, eam in armis & authoritate ac potestate temporali potissimùm collocarent.* Confir. 2.

3. *Quia*, inquit, *si quis statum Ecclesiæ à Christo passo, in hunc diem oculis atque animo in historijs lustret, cernet omnino illam citò creuisse, & diu floruisse sub Pontificibus sua ditione, hoc est spirituali Iurisdictione contentis, qui Christi humilitatis discipuli, vnicum Ecclesiæ tuendæ præsidium in virtute prædicationis Euangelij, & sedula disciplinæ Ecclesiasticæ obseruatione, sine vlla tēporalis potestatis mentione esse positam iudicabant*. Et rursus: *Ex quo Pontifices quidam ad summum quod habent spirituale imperium, summum quoque temporale adiungere conati sunt: Ecclesiam & numero credentium, & moribus præsidentium in dies defecisse. & remissa seu veriùs omissa illa antiquæ disciplinæ seueritate, multos Ecclesiæ ministros sua munera segniùs ac negligentius obijsse*. Hæc ille. Confir. 3.

Resp. Ex eo quod Ecclesia 300. annis hac potestate aduersus Principes non est vsa, rectè sequi eam non esse ita necessariam, quin Deus Ecclesiam, illa seclusa, possit protegere & augere, sicut primis sæculis fecit: non tamen idcirco sequi Ecclesiā illa potestate carere, cùm iure naturæ absque nouo aliquo Dei priuilegio ei competat: aut illam potestatem eiusque vsum Ecclesiæ necessarium non esse, spectato ordinario diuinæ prouidentiæ & gubernationis modo. Deus enim cùm humanæ vires non suppetunt, occultis & diuinis modis eam communit & tuetur ne concidat, sed perstet inuicta & crescat. vbi verò Refutatio

Deus vtitur medijs humanis cùm suppetunt.

rò humanæ facultates adsunt, quibus se aduersus impugnantes tueri possit, permittit eam sibi, vt suo Iure vtatur. Ita enim se habet diuinæ prouidentiæ ratio, vt diuinis & extraordinarijs medijs succurrere non soleat, quãdo humana præsidia sufficiunt; sed tum demum illa adhibeat, quando omnia humana nos deficiunt. Hac itaque ratione dicimus Ecclesiæ istud Ius disponendi de temporalibus aduersus Principes impios, ad conseruationem Religionis, seu boni spiritualis, fuisse necessarium. Vnde probandum erat Barclaio, si aliquid ad rem proferre volebat, diuinam prouidentiam omnia humana præsidia exclusisse: & statuisse vt Ecclesia in omni euentu, etiamsi humana auxilia abundè suppeterent, non nisi diuinis & supernaturalibus vteretur. Quod autem ait, *Ecclesiam solis armis spiritalibus indiguisse, & per illa omnem humanam potentiã superare potuisse*, si loquatur de prima mũdi per Apostolos & Apostolicos viros cõuersione, verũ est: si autem de tota Ecclesiæ per tot sæcula gubernatione & defensione, falsum esse ipsa experientia ostendit. sæpe enim Ecclesia armis corporalibus Principum defendi ab Infidelibus & Hæreticis debuit.

128. Resp. ad testimonium S. Bernardi.

Ad 1. Confirmationẽ ex S. Bernardo: Nego consequen. etsi enim Pontifex in dominio temporali, iureque regio non sit successor Petri, sed acceperit donatione Principum: non tamen inde sequitur, eum non esse successorem Petri in potestate disponendi de rebus temporalibus: quia hæc potestas non est temporalis aut humana, sed spiritalis & diuina, vtpote quæ non versatur circa tẽporalia vt talia sunt, sed sub ratione spiritali, nimirum vt sunt consentanea, vel dissentanea legi diuinæ & saluti æternæ. vnde proximè versatur circa bonũ spiritale tamquam finem, & rationem obiectiuam, ex qua species & essentia sumitur. Qua in re passim fallit & fallitur aduersarius, cùm vbique hanc potestatem *temporalem*

Potestas accipit suã speciem ex obiecto formali.

ralem vocat, & eiusdem rationis cum ea potestate quam Reges in temporalibus habent, facit; illique exæquat: cùm non minùs spiritalis & supernaturalis sit, quàm ea quæ de spiritualibus disponit: quippe cùm sit vna eademque potestas, quæ de omnibus medijs siue propinquis siue remotis in ordine ad vnum eumdemque finem disponit.

Vnde vlteriùs patet non rectè sequi; mandatũ Christi de pascendis ouibus potuit impleri sine iure temporali, & ditione regni: ergo etiam sine hoc iure disponendi de temporalibus. quia hæc iura toto genere differunt, & alterum intrinsecè includitur in potestate pastorali, alterum minimè. Vnde dominus illud Ius temporalis regni Petro non contulit, sed solùm illud quod ad completam authoritatem summi Pastoris in ordine ad finem supernaturalem erat necessarium. quia tamen sciebat fore tempus quo plerique mortales fidei lumine in cordibus eorum restincto, & hæresi ac impietate grassante, magis suspicerent temporalia quàm spiritalia; & Prælati Ecclesiæ nisi opibus & potentia sæculari præstarẽt, habendi essent contẽptui, & facilè ab iniquis forent opprimẽdi: singulari prouidentia in illud tempus prouidit, vt Ecclesia potestate quoque sæculari & magnis opibus suffulta esset.

Ad 2. Confirm. Non ideo segniùs curant spiritalia, quòd modo suprà dicto possint disponere de temporalibus: quia hæc dispositio est spiritalis; vtpote sub ratione & fine spiritali. Sicut ergo charitas nõ recedit à suo proprio munere quando temporalia administrat ad promouendũ honorem Dei, vel salutem proximi: ita nec summus Pontifex aut Prælati ab officio muneris spiritalis, quando de temporalibus in ordine ad bonum spiritale disponunt: præsertim cùm hæc cura non sit quotidiana & ordinaria, sed solùm in euentu quo bonum spiritale id

postulat. Neq; idcirco in authoritate & potestate tẽporali potissimùm spẽ suam collocant, non in Dei singulari auxilio, vt iste obijcit: quia nec ipsi Principes sæculares nisi impij sint vel fatui, quorum tota potentia sæcularis est, id faciũt. possunt tamen vtrique, & Ecclesiastici Principes, & seculares secundariò spem in rebus temporalibus, quas diuina prouidentia illis suppeditat, collocare.

129. Ad 3. Confirm. Non *ideo creuit Ecclesia tantopere primis sæculis, quòd Pontifices nullam mentionem potestatis illius disponendi de temporalibus facerent:* nec *idcirco posterioribus sæculis numero credentium, & moribus præsidentiũ deficere cœpit, quòd Pontifices eam potestatem sibi vindicarent*, vt iste affirmat, insinuans huius potestatis vsum rem adeo absurdam esse, vt totam Ecclesiam scandalizarit. Causa cur Ecclesia primis sæculis adeo creuerit, fuit abundãtia spiritus, & feruor Christi sanguinis. cur verò postea decreuerit, causa fuit corruptæ naturæ pronitas ad malum, mensura peccatorum adaucta, protectio diuina imminuta, Diaboli potestas in iustam peccatorum vindictam laxata, Prælatorum negligentia, tædium antiquæ disciplinæ, hæreseon infinita colluuies. Quis nesciat mundum quò longiùs progreditur eò fore deteriorem, & nouissimo sæculo deterrimum? Religio est bonum cæleste; corda humana terrena. sicut planta nobilissima orientalis regionis, solo inclementi septentrionis depacta, nisi maximo studio foueatur, sensim emoritur: ita vera Christi religio est in corde humano: nisi maximo studio culta fuerit, euanescit.

Cur Ecclesia primò tantopere creuerit, deinde cœperit decrescere.

Porrò vsus istius potestatis, quem tantopere aduersarius accusat, tantùm abest, vt fuerit Ecclesiæ causa deficiendi, & numero credentium & moribus præsidentium, vt è contrario causa fuerit in vtroque quàm maximè crescendi, vt ex historijs, ad quas ille nos prouocat est perspicuũ. Primò enim vsus videri potest summus

Salutarẽ & necessarium fuisse Ecclesiæ vsũ illius potestatis.

mus Pontifex hac potestate, cùm deposito Childerico, substitutus est in eius locum Pipinus. At quantum bonum, quãtamq; morũ reformationem per Galliã & Germaniam in clero & in laicis ea res attulit? qualis enim status rerum antea fuerit, cõstat ex epist. S. Bonifacij ad Zachariam Papam. quanta reformatio secuta sit, constat ex varijs Synodis tunc celebrari cœptis, & ex historijs. 2. Vsus est contra Imperatores Constantinopolitanos hæreticos: quo factum est vt Italiam, & alias occidẽtales Prouincias ab illorum hæresibus immunes præstiterit. 3. Cùm Imperiũ transtulit à Græcis ad Francos: qua ratione Ecclesia iam 200. penè annos tyrannide Imperatorum Græcorum oppressa (adeo vt etiam magnam vim pecuniæ pro confirmatione Pontificis electi soluere cogeretur) in libertatem est vindicata; & ei eximius defensor ac promotor adoptatus; & religio per totum imperium occidentale mirificè propagata. 4. Cùm Henricum 4. deposuit &c. qua ex re, etsi aliqua incommoda secuta sint; longè tamen maiora bona extiterunt: nimirum abolitio simoniæ & concubinatus, totius cleri reformatio, libertas Ecclesiæ in constituendis Prælatis, & eligendo summo Pontifice, vt supra num. 98. ostensum est.

Denique hac potestate sæpe tyrãnis quorumdã Principum repressa, multæ violentiæ & iniuriæ impeditæ vel correctæ, multi ad officiũ reuocati, vt clarè appareat sæpe eius vsum Ecclesiæ non solùm vtilem, sed etiam necessarium fuisse. Accedit, hãc rem talem esse, vt nemo ratione vtens ea offendi possit. quis enim non iudicet æquissimum esse, vt sacrorum Princeps cui diuinæ religionis cura, & salus æterna animorũ à Deo cõmissa est, habeat potestatem priuandi Principem sæcularẽ suo Iure temporali, si alia ratione non possit impediri, quin eo in damnum religionis, & plurimorum sempiternum e-

xitium

xitium abutatur. Hæc de 2. probatione minoris, eiusque confirmationibus.

120. Resp. ad 3. probationem. Ad 3. probationem n. 126. propositam, Resp. negando sequelam. non enim ex eo quòd Respub. ciuilis in suo ordine sit perfecta, sequitur eam posse disponere de spiritualibus, aut deponere Principē sacrorum: tum quia spiritualia sunt altioris ordinis, & nullo modo sunt instituta propter temporalia. nulla autē potestas inferior potest disponere de ijs quæ sunt superioris ordinis, tū quia hæc potestas nullo modo est necessaria Principi ad tranquillitatem publicam comparandam. cuius signum est, quod hactenus, tot sæculis, nullum huius necessitatis extet exemplum. Nam Reipub. tranquillitas vel turbatur à Pontifice armis corporalibus vel spiritualibus. si corporalibus, nulla est occasio illum priuandi iure spiritali, cùm armis corporalibus illi resistere possit: vel si par non sit, succumbet sicut si cum alio Principe sæculari ipsi negotium esset. Si spiritalibus, v. g. excommunicatione; vel sententia est manifestè iusta, & sic tenetur ei parere; vel est apertè iniqua, & sic potest eam non curare, omnibus sapientibus eius causam defendentibus, nec opus est vt idcirco Pontificem deponat: vel est dubia, & sic debet agere cum Pontifice, vt res discutiatur in Synodo, & dubium omne tollatur.

Quod autem Barclaius addit, *de facto Pontifices aliquando finem gubernationis ciuilis perturbasse*: Negamus id factum iniustè. de tali enim perturbatione est sermo. suprà enim ostendimus Gregorium 7. & nonnullos alios Pontifices iustè aduersus quosdam Principes fuisse commotos, & eorum statum perturbasse, vt eos ad sanitatem reuocarent. Turbarunt illorum temporalia, quibus in religionis & animorū perniciem abutebantur, vt illi cessarent turbare spiritalia & diuina. Molestiam intulerūt in infimis rebus, vt illi desinerent affligere Ecclesiā in

rebus

rebus maximis. Itaque hæc turbatio nihil aliud fuit, nisi iusta vindicta vel compulsio desinendæ iniuriæ, cui cōpulsioni nemo se opponere iure poterat.

At Principes sæpissime sua potentia abusi sunt ad religionis perturbationem, & perniciem subditorum, quibus nulla alia ratione ab Ecclesia occurri poterat, nisi soluendo subditos ab eorum obedientia, eosque tamdem sua dignitate priuando. qua in re Ecclesia non de altiori, sed de inferiori & iure naturæ subiecta potestate disposuit.

Barclaius cùm non satis putaret refutasse rationem suprà n. 125. positam ex absurdo, quia dare absurdum non est soluere argumentum; aliam solutionem adhibet, qua videlicet directè rationi illi respondeat. *Resp.* inquit, *non esse hic duas Respub. vt ille retur, sed vnam tantùm, in qua sunt duæ potestates, siue duo magistratus, Ecclesiasticus & politicus, quorum vterque habet ea, quibus necessariò indiget ad suum finem obtinendum, alter nempe spiritalem, alter temporalem Iurisdictionem* &c. Deinde vt explicet quomodo illi duo Magistratus vnam Ecclesiam efficiant, adfert exemplum Cancellarij, & Connestabilis, quorum ille præest iuri dicundo, hic armis & rei bellicæ. 131. Alia Responsio Barclaij ad 1. Rationem.

Verùm hic multùm peccat. 1. Quia siue hic sint duæ Respub. siue vna, id nihil facit ad vim argumenti. hoc ipso enim quo aliqua Respub. est perfecta, debet habere plenum ius sui tuendi, non solùm contra quamuis aliam distinctam Rempub. sed etiam contra rebelles ciues &c. 2. Quòd putet in argumento potestatem Ecclesiasticam & ciuilē statum duas poni Respub. cùm id longè à veritate absit. 3. Quòd non videatur intelligere qua ratione Ecclesia & Respub. politica ratione formali & fine, sint duæ Respub. ratione materiali vna tātùm. 4. Quòd existimet potestatem ciuilem per se & formaliter perti- Refutatur.

nere ad constitutionem Ecclesiæ, sicut potestas Connestabilis pertinet ad constitutionem Regni politici. potestas enim Regia solùm per accidens, & vt adminiculum extrinsecum ad Ecclesiam pertinet. Non enim Reges & ciuiles Magistratus sunt Ecclesiæ membra, quà tales sunt, sed quà Christiani. Vt autem sunt Reges, & habent potestatem ciuilem, pertinent ad Rempub. politicam. Confirmatur ex S. Isidoro lib. 3. de summo bono c. 53. & habetur in decret. 23. q. 5. cap. Principes, vbi dicitur: *Principes sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, vt per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Ceterùm intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem*. Itaque potestas illa Ecclesiæ non est necessaria, nisi ad coercendos malos. Vnde se habet per modum adminiculi extrinseci, quo impedimenta gubernationis Ecclesiæ tollantur.

Potestas Regia quomodo ad Ecclesiam constituendam concurrat.

5. Quòd putet in Ecclesia ita se habere potestatem spiritalem & ciuilem, sicut in regno se habent potestas Connestabilis, & potestas Cancellarij, quarum neutra alteri subiecta est, sed vtraque Regi: id enim repugnat & veritati & ipsi authori. Veritati, quia certum est potestatem spiritalem versari circa finem altioris ordinis; ciuilem circa res inferiores, quæ sunt instar mediorum: ac proinde has duas potestates non se habere tamquam ex æquo inter se diuisas, sed alteram esse supra alteram; spiritalem supra ciuilem, & illam posse ciuili in ordine ad suum finem imperare, & pœnis spiritalibus cogere. At nihil horum competit in illas duas politicas potestates. sunt enim ipsæ eiusdem ordinis, & obiecta earum sunt eiusdem ordinis, nec alterum se habet in modum finis respectu alterius. vnde neutra alteri præest, neutra alteri imperare potest, neutra alteram vt superiorem agnoscit,

Exemplū Cācellarij & Connestabilis refutatur.

neutra

neutra se aduersus alteram suis præsidijs tueri potest, aut sibi Ius dicere, cùm vni Regi immediatè subsint, ad quē recurrere debent: sed sunt dignitates ex æquo inter se sub vna potestate regia diuisæ, circa obiecta minimè subordinata versantes. decisio enim litium, & regimen armorum nullum inter se ordinem habent; nec alterum ad alterum ex natura rei, aut regni institutione, tamquam medium ad finem refertur.

Denique Summus Pontifex in regno Christi non se habet vt Cancellarius in regno terreno, sed vt Vicarius & Prorex amplissimæ potestatis in absentia Regis: cui & Cancellarius regni & Connestabilis, & cetera omnia officia regni sunt subiecta, & tamquam ipsi Regi debent obedire.

Quòd etiam authori hæc sententia aduersetur, perspicuum est ex ijs quæ suprà nu. 124. diximus. fatetur enim cap. 14. potestatem spiritalem esse altioris ordinis, & posse imperare ciuili ob finem spiritalem, eamque compellere pœnis spiritalibus. at nihil simile conuenit Cancellario respectu Connestabilis. Rursus docet (etsi falsò) spiritalem potestatem in temporalibus esse subiectam ciuili, & posse ab ea omnibus pœnis temporalibus affici. at nihil tale conuenit Connestabili erga Cancellarium. Ex quibus perspicuum est hanc comparationem euertere & veritatem rei & placita ipsius authoris.

Hactenus refutauimus ea quæ aduersarius cōtra priorē partē rationis 7. n. 125. positæ attulit. Veniamus nunc ad ea quæ addducit contra alteram, quæ talis erat: *Potest qualibet Respub. perfecta imperare alteri Reipub. non subiectæ, vt modum administrationis sibi iniurium mutet, eamque ad hoc cogere armis, & Principem eius deponere, si aliter se tueri non potest: ergo multò magis Respub. spiritalis poterit imperare Reipub. temporali sibi subiectæ, & eam* 132.

Secunda pars rationis 7. oppugnatur.

cogere

cogere ad mutandam administrationem, & Principem si opus est deponere &c.

Barclaius cap. 18. post aliqua rhetoricè præmissa, respōdet, negando consequentiam. 1. *Quia*, inquit, *non sunt hoc casu duæ Respub. vt ille falsò assumit, sed vna tantùm Christiana duabus potestatibus nixa, quarum neutra alteri subijcitur. 2. quia si ei concedamus esse duas Respub. inter se distinctas, Ecclesiasticam siue spiritalem, & temporalem, necesse est fateatur istam ex solis Ecclesiasticis, hanc ex solis laicis componi &c. atqui Ecclesiasticorum arma non alia esse debent nisi preces & lachryma. Quinam ergo fieri potest, vt illa inermis & imbecilla armatam Rempub. temporalem mutare administrationem, nisi fortè per miraculum, cogat? Nihil ergo hac comparatione & consecutione Bellarmini ineptius: quandoquidem à rebus publicis simili armorum vsu & apparatu instructis, ad Respub. quarum altera prorsus inermis est, procedit.*

Defenditur illa ratio & Barclaius refutatur.

Verùm ratio ista est fortissima, & Barclaius hic rursus in multis fallitur & fallit. 1. Quia nihil ad rem facit siue sit vna Respub. siue duæ: cùm cuilibet Reipub. non minus iuris sit in sua membra, si quæ bonum publicum turbent, quàm in Rempub. distinctam. 2. Quia si duæ ponantur Respub. putat fore necessarium, vt altera cōstet ex clericis, altera ex solis laicis, qua in re fallitur: quia non ponuntur duæ Respub. distinctæ subiectis, sed solùm ratione duplicis gubernationis, & duplicis finis, vt suprà n. 125. & 131. ostensum est. Itaque Ecclesia & Respub. politica sunt duæ Respub. ratione formali, non ratione materiæ & subiectorum; cùm tota Respub. politica, quatenus est fidelium congregatio, sit pars Ecclesiæ. Vnde optimè sequitur posse eam à Principe Ecclesiæ coerceri, & potentia sua spoliari, si statum Ecclesiæ perturbet. si enim id Iuris est cuilibet Reipub. in aliam planè distinctā, & non subiectam; quantò magis

Ec-

Ecclesiæ in Rempub. politicam & eius Principem, cùm hi omnes sint Ecclesiæ mẽbra & subditi? 3. Quia putat potestatem Ecclesiasticam nulla habere arma nisi preces & lachrymas, & inde concludit eam non habere Ius cogendi Rempub. temporalem. sed in vtroque decipitur. nam & antecedens falsum & consecutio nulla est. Etsi enim Clericorum ordo non ita habeat arma corporalia, vt absque necessitate extrema deceat eos per se illis vti: tamen possunt imperare laicis, vt arma pro bono Ecclesiæ contra quosuis capessant, qui tenẽtur ea in re obedire; quia non minùs tenentur obedire Prælatis pro necessaria defẽsione Ecclesiæ, quàm suis Principibus pro defensione status politici. imò quò maius bonũ est religio diuina quàm politia humana; eò maior est obligatio in laicis per arma, & bonorũ iacturam illius defendendæ, quàm huius.

Nec refert quòd fieri possit vt laici Ecclesiæ mandato nolint obedire: quia idem vsu venire potest Principi sæculari arma pro defensione patriæ imperanti. an ideo carebit iure quo hostes expugnet, & eorum Principem deponat? Itaque absurdè colligit aduersarius Ecclesiasticorum ordinem carere iure expugnandi Rempub. politicam sibi iniuriam, eò quòd careat armis, quibus id exequatur. ius enim non dependet à potentia exequendi. Multis Ius est maximum in res aliorum, quibus deest opportunitas & facultas obtinendi. nos hic solùm de Iure Ecclesiæ & summi Pontificis agimus, & asserimus Ius illi esse cogendi Principem, seu Rempub. politicam vt modum administrandi bono spirituali noxium mutet; & si nolit obedire, priuandi eum suo imperio. Quod Ius saluum consistit, siue potentia exequendi suppetat, siue non suppetat: præsertim cum huic Iuri coniunctum sit, & ex eo pendeat aliud Ius, nimirum imperandi subditis illius Principis, vel alijs, vt Ius Ecclesiæ & sententiam contra illum Principem rebellem, si opportunitas suppe-

tit, exequátur. Vnde ex natura rei non desunt Ecclesiæ media, & arma congrua ad sui iuris executioné: quamuis interdū aliunde accidere possit, vt executio fieri nequeat.

133. Vtrum Clerici aliquo euētu armis vti possint.

Addo, quamuis non deceat vt ordo Ecclesiasticus per se armis corporeis vtatur (quia est præter ipsius dignitatem, & præter mansuetudinem, quam exemplo Christi ordinariè præ se ferre debet) tamen id non ita repugnat illi statui, quin aliquo euentu, nimirum in extremo religionis & boni spiritalis discrimine, possit esse licitum & laudabile. Exemplum sit. si Turcæ oppidum Christianum inuadant, & nisi simul Ecclesiastici arma capiant, certissimè capietur, omnesque in captiuitatem cùm certissimo fidei & pudicitiæ periculo abripientur. fieri enim potest, vt plurimi tunc ibi sint clerici, quorum auxilio magna sit spes victoriæ, quibus cessantibus certus sit interitus. quis hoc euētu dicat clericos non posse arma capere? Ego verò etiam teneri non dubitem: si pauci hæretici Ecclesias & monasteria vastare, sacra omnia profanare, sacramenta proculcare aggrediantur, & laicis se non commouentibus, facilè à clericis repelli possint. Vidi anno 1566. cùm passim imagines & altaria in Belgica disturbarentur, vnum Parochum se duodecim hæreticis in quodam pago cum armis opponentem, qui eos ita deterruit, vt re infecta discesserint. quo factū est vt numquam ibi Ecclesia fuerit violata. Viuit iste Parochus in hunc diem sanus & robustus, octogenario maior. Quis hunc Parochum hæreticos istos coercentem dicat iniuriam ipsis fecisse, quòd armis aduersus eos sit vsus, aut aliquid præter officium boni pastoris egisse? Idē ratione probatur. si enim omnibus Ecclesiasticis, etiā monachis licitū est armis vti pro necessaria vitæ suæ defensione, vt passim [a] Doctores tradunt; cur non etiam pro necessaria defensione sacræ religionis, & diuini cultus, cùm hæc sint longè maioris momenti, vtpote bona communia

[a] S. Antō. 3. p. tit. 4. c. 3. §. 1. Syluest.

munia, diuina, ad salutem æternam necessaria? Si pro communi bono temporalis tranquillitatis, quando illud in vltimum discrimen adductum est (vt si oppidum certò sit capiẽdum, nisi clerici vnà cum ciuibus ad defensionem occurrant, vel partem aliquam tuendam suscipiant) non solùm possunt, sed etiam tenentur arma capere; cur non etiam pro bono communi religionis, pro sanctissimis sacramentis, pro cælestibus illis bonis, ad æternam salutem promouentibus? quò enim bonum est præstantius, communius, aut magis necessariũ, eò plus iuris est cuilibet ad illud omni tempore tuendum, si aliter saluum esse non potest. Itaque iure naturæ omnibus hæc defensio religionis competit; nec clericatus hoc ius tollit, sed potiùs auget. illi enim præ ceteris, quibus spiritaliũ cura commissa est, ea tueri & salua præstare debent, omni ratione & via, quæ pro re nata censetur necessaria, modò per se non sit mala.

Bellum 2. §. 5. & 7. Couarr. Clement. Si furiosus 3. p. §. Vnico. Sotus l. 5. de iust. q. 1. a. 8. & alij.

Sed obijcit Barclaius can. Non pila. & Can. Conuenior. 23. q. 8. vbi dicitur: *Non pila quærant ferrea, non arma Christi milites. Coactus repugnare non noui, sed dolor, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma aduersus milites. Talia enim munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere.* hic vrget illa verba postrema, *aliter nec debeo nec possum resistere,* & confirmat ex eo, *quòd materialem gladium omnes in persona Petri iubentur recondere.*

Obiectio contra ius armorũ.

Resp. Illa verba non sic vrgenda, quasi nullo casu alijs armis vti liceat Sacerdoti quàm oratione & lachrymis; alioquin fulmen excõmunicationis (genus armorum profectò omni sapienti maximè terribile) Ecclesiæ adimimus: sed accommodanda sunt ad statum rerum in quo ipse author ea protulit. sumpta enim sunt ex Ambrosio oratione contra Auxentium, & epistola 33. ad Marcellinam sororẽ: etsi nonnihil immutata. Loquitur

Ambro-

Ambrosius de eo tempore, quo cùm omnia milite Imperatoris Ariani plena essent, ipse iubebatur ab Imperatore Arianis tradere Ecclesiam. nulla ibi excommunicatio locum habebat, nulla etiam armorum oppositio absque maxima cæde, & periculo pessimi euentus tentari poterat. Itaque hoc solùm supererat, vt ad preces & lachrymas confugeret, & se ad mortem subeundam pararet.

Accedit, quòd Ambrosius non loquatur de armis sacerdotum manu vibrandis (illa enim parui fuissent momenti) sed de armis totius populi subiecti, quem ille facilè sua authoritate ad arma pro defensione Ecclesiæ concitasset. Itaque iste locus vel nihil probat, vel nimium probat. nam etiam Barclaius admittit Ecclesiam Reipub. politicæ auxilio vti posse, eamque ad arma pro religione excitare.

Ad confirmationem. Non ita iubentur clerici condere gladium materialem, vt nullo euentu illum possint exerere; sed vt intelligant eius vsum ipsis non debere esse ordinarium.

Ex his constat qua ratione ordo Ecclesiasticus Ius armorum habeat: neque ex defectu armorum rectè concludi, illum ordinem carere Iure ad cogendum Principem secularem, ne bono spiritali officiat.

134. Notanda confessio Barclaij

Tamdem Barclaius concedit Ecclesiam in expugnãdo & deponendo Rege contumace, posse vti opera alterius Principis: *quia*, inquit, *Principes & reliqui Christiani omnes nutricij & defensores Ecclesiæ esse debent*; sed non idcirco posse dici Ecclesiam illum Regem expugnasse aut deposuisse: sicut cùm Israelitæ vindicarunt iniuriam Leuitæ excidio tribus Benianim: & Græci iniuriam Menelai excidio Troiæ; nemo dixerit illum Leuitam attriuisse tribum Beniamin, aut Menelaum euertisse Troiam. &c.

Hic tamdem imprudens concedit, quòd passim toto

to hoc libro expressè negat: nimirum, *Ecclesiā Ius habere Regem ipsi iniurium sua potentia priuandi & deponendi; quamuis proprijs viribus id non possit exequi*. nisi enim ipsa ad hoc faciendum Ius haberet, non posset alteri Principi Ius dare vt illud faciat. atqui potest alteri Ius dare, & operâ illius exequi, & ille tenetur ei ad hoc obsequi, cùm Principes debeant esse Ecclesiæ defensores & nutricij: ergo Ecclesia ad hoc Ius habet, adeo vt si vires suppeterent, posset per se exequi. Deinde quid aliud fecerunt summi Pontifices, quando propter contumaciam Principis, totum regnum alteri Principi occupandum concesserunt? Cur ergo hoc factum tantopere à politicis accusatur? potuit enim summus Pontifex, fatente Barclaio, illius opera vti, eique ad illud regnum occupandum Ius & potestatem facere: imò Princeps ille cùm defensor Ecclesiæ esse debeat, tenebatur ad hoc operam suam Pontifici nauare. Vtrum autem Pontifex dicatur tunc deponere illum Regem, & regno exuere, an Princeps qui exequitur; non magnopere refert. satis enim est, quod alteri ad hoc faciendum Iùs tribuat. Rectè tamen & propriè ipse Pontifex dicitur deponere. 1. quia proximum Ius & authoritatem ad id exequendum tribuit. 2. quia tamquam superior mandare potest vt fiat. 3. quia etiam per sententiam, vt Iudex, dominium adimere potest; quo modo quis officio, beneficio, dominio bonorum à suo Iudice ordinario, ob delictum, per sententiam, vel legem priuari solet. Quomodo Pontifex dicatur deponere.

Exempla illa quæ Barclaius hic inserit, sunt dissimilia; quia Leuita ille Ius Israeli ad perdendā tribū Beniamin non dederat, sed ipsamet tribus sua aduersus reliquas tribus peruicacia id meruerat: neque Leuita hanc vastationē imperauerat, multoque minùs sententiā excidij vt Iudex ferre poterat. Menelaus etiam alijs Græcis imperare non poterat, nec ipse ordinarius Troianorū Iu- Respondetur ad exempla.

dex erat: quamuis verum sit ipsum ceteris dedisse Ius ad Troianos, nisi pro iniuria satisfacerent, expugnandos.

Ex his patet quid dicendum sit ad ea quæ sub finem cap. 18. habentur. vbi dicit: *Ex superiori ratione nihil aliud effici, quàm Papam habere talem potestatem disponendi de temporalibus Regum, qualem habet Princeps politicus in res & iura alterius Principis qui ipsi est iniurius.* Etsi enim Ius illud, quod ex iniuria accepta nascitur, sit valde magnum, adeo vt si is qui eam intulit in contumacia perseueret, possit statim sicut reus à suo Iudice plecti (nam per delictũ sortitur quis forum, & alterius subijcitur potestati) tamen Papa cùm sit Iudex ordinarius, & superior omnium Principum Christianorum in ordine ad finem spiritalem, non solùm agit ex iure, quod præcisè resultat ex accepta iniuria, sed etiam ex authoritate ordinaria superioris in proprium subditum. Vnde falsa est illa comparatio. longè enim plus Iuris habet Pontifex in Principes, cùm sit illorum ordinarius superior, etiam in tẽporalibus, quà deseruiunt ad spiritalia; quàm ipsi Principes alter in alterum: cùm his nihil in se vicissim iuris, nisi ex iniuria accepta competat.

Plus potest Papa in Principem, quã Princeps alius in alium.

RATIO OCTAVA,
Ex officio Christiani hominis.

135. NOn licet Christianis tolerare Regem infidelem aut Hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim vel infidelitatem. at iudicare an Rex pertrahat ad hæresim nec ne, pertinet ad summũ Pontificem, cui religionis cura commissa est: ergo ad Pontificem pertinet ferre iudicium de Rege deponendo, vel non deponendo.

Maior probatur tripliciter. 1. ex cap. 17. Deuter. vbi prohibetur populus eligere Regem, qui non sit de fra-

fratribus ipsius: hoc est non Iudæū, ne videlicet pertrahat Iudæos ad idololatriam: ergo eodem iure Christiani prohibentur eligere Regem hæreticum, seu non Christianum. illud enim præceptum morale est naturali æquitate subnixum. Si non possunt eligere; ergo nec electum & iam regnātem possunt tolerare, sed tenentur deponere, si conetur populum à fide auertere. nam eiusdem periculi & damni est, eligere non Christianum, & pati in regno non Christianum.

2. Tolerare Regem hæreticum vel infidelem conātem homines pertrahere ad suam sectam, est exponere religionem euidentissimo periculo. *Qualis enim est rector ciuitatis, tales & habitantes in ea*, Eccles. 10. Vnde est istud: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Experientia idem docet. nam quia Rex Ieroboam idololatra fuit, maxima etiam regni pars continuò idola colere cœpit, 3. Reg. 12. Et post Christi aduentum regnante Constantino florebat fides Christiana: regnante Constantio florebat Arianismus: regnante Iuliano iterum refloruit Ethnicismus. Et in Anglia nostris temporibus regnante Henrico, & postea Eduardo, totum penè regnum exemplo & authoritate sui Principis à fide apostatauit: regnante Maria iterum totum regnum ad Ecclesiam rediјt: regnante Elisabetha iterum regnare cœpit Caluinismus, & exulare vera religio. At non tenentur Christiani, imò nec possunt religionem exponere euidenti periculo, aut eam in periculo relinquere, si possunt illud auertere: ergo non possunt talem Regem tolerare. Confir. nam quando ius diuinum & ius humanum pugnāt, debet seruari ius diuinum, omisso humano. atqui iure diuino tenentur seruare veram fidem & religionem, quæ vnica est, non multæ; solo autem iure humano hunc aut illum habere Regem.

3. Denique cur non possit liberari populus fidelis

à iugo Regis infidelis, ad infidelitatem pertrahentis, si coniux fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Christiano sine iniuria fidei, vt apertè deducit ex Paulo 1. Corinth. 7. Innocentius 3. Cap. Gaudemus Extr. de diuortijs: non enim minor est potestas coniugis in coniugem, quàm Regis in subditos, sed aliquanto etiam maior. Ita Bellarminus lib. 5. de Pontif. cap. 7.

Responsf. Barclaij. Respondet Barclaius negando maiorem. *Respondeo*, inquit, *quod ait* (Bellarminus) *non licere Christianis tolerare Regem hæreticum & infidelem &c. id adeo falsum est, quàm quod falsissimum. alioquin damnanda tota antiquitas, quæ reges hæreticos & infideles Ecclesiam Dei destruere conantes submissè pertulit: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: hoc est, non quòd deficerentur viribus ad impios Principes exigendos, sed quòd id sibi per Dei legem non licere iudicarēt. Verùm quia hunc perniciosissimum errorem in libris contra Monarchomachos, atque etiam superiùs hoc libro cap. 7. satis refutauimus, non est quòd eius falsitati arguendæ, hic ampliùs immoremur*. Hæc ille.

Refutatur. In hac responsione Barclaius more suo 1. petit principium; pro ratione adferens id quod maximè est probandum, vtpote paradoxum, cuius contrarium Catholici DD. tamquam manifestum & indubitatum asserunt, facileque probari potest, vt infrà nu. 180. ostendetur. Deinde adeo efferuescit in hoc negotio, vt non solùm falsissimum, sed etiam *perniciosissimum errorem esse* dicat, asserere subditos Christianos posse se opponere Principi religionem vastanti; eosque qui id affirmant Monarchomachos vocet. teneri enim populum Christianum & to-

Atheismi germen. tum ordinē Ecclesiasticū lege diuina, & sub æternæ mortis periculo pati & permittere, vt Rex hæreses inducat,

Ec-

Ecclesias euertat, sacramenta proculcet, sacerdotes occidat, omnia sacra prophanet, omnem Christianam religionem euertat, Turcismum vel Paganismum inferat; nec illis licere ad hæc impedienda illum expellere (etiamsi facillimo negotio id possent exequi) aut vllo modo ei resistere, aut tributa negare, aut obedientiam in ciuilibus recusare: sed teneri submissè omnia perferre, & tamquam locum Dei tenenti, cum omni honore & reuerentia parere. hæc nimirum est verissima & saluberrima doctrina: contraria falsissima & perniciosissima. Quis non miretur hæc in pectus hominis Catholici potuisse descendere, & non potiùs ab Atheo aliquo religionis omnis contemptore, quàm ab homine aliquem religionis sensum habente profecta? Sanè omnes sectæ quæ religionis speciem præ se ferunt, hoc dogma tamquam impium detestantur; vt suprà nu. 53. ostendimus.

Addo, nihil in mundo esse tam magnum, sublime, tantæùe authoritatis, cui nõ liceat & debeat Christianus se opponere, saluandæ religionis & fidei causa: adeo vt etiam summus Pontifex Christi Vicarius, cuius longè sacratissima est authoritas, possit expelli, & suo throno spoliari, alio in eius locum electo, si vel vnam damnatam hæresim pertinaciter profiteatur (quod tamen hactenus non accidit, nec fieri posse existimo) nedum si in Ecclesiam introducere conetur; vt omnes DD. affirmant. & Principem sæcularem, qui solùm temporalibus præest, non poterit Ecclesia abdicare, quamuis & ipse hæreticus sit, & totam religionem perdere cum exitio infinitarum animarum conetur? Si enim ipse Ecclesiæ Princeps, qui supremam sacrorum habet authoritatem, & immediatè circa ipsum versatur vltimum finem, salutem, inquam animorum procurandam, propter hæresim exigi potest, & alius, qui sit Catholicus, in locum eius subrogari: quantò magis Princeps sæcularis, cuius authoritas solùm

Etiam Papam ob hæresim esse pellẽdũ throno Papali.

est circa terrena, media, inquam, longinqua & infima salutis nostræ, deponi poterit si hæreticus fiat, aut fini spiritali, & saluti animorum officiat? Quò enim dignitas aut facultas est sublimior, eò difficiliùs moueri potest, hoc est, minus Iuris in eam suppetit: quò inferior, hoc faciliùs; præsertim si inferior magis noceat fini quàm superior.

136. Respondet ad 1. probationem maioris. Ad 1. Probationem maioris, concessa priore consequẽtia, negat secundam, nimirum: *si non possum eligere hæreticum, ergo nec electum tolerare*. addens: *eiusmodi vitiosis ac fallacibus argumentis, multos à veritate auocari. Captionem autem in eo esse, quòd assumat ac pro certo statuat, idem Ius esse, vbicumq; est idem damnum, vel periculum. quod*, inquit, *planè falsum esse mox demonstrabitur*. Deinde adfert aliquot exempla in quibus est idem periculum & damnum, non tamen est idem Ius se tuendi, vel causam damni expellendi: vt qui plagas accipit & fortunis spoliatur, idem periculum & damnum subit, siue id per vim patiatur à latrone, siue à magistratu per iniquam sententiam. sed non est idem aduersus vtrumque remedium comparatum: quia latroni potest resistere, magistratui non potest. Rursus eiusdem periculi & damni est mulierem insigniter improbam ducere, & eam retinere: at tamen non est idem Ius in ducenda & retinenda. non enim teneris eam ducere, quin imò teneris non ducere: vbi tamen duxeris, cogeris eam retinere. Pari modo, etsi Christiani tenentur non eligere Regem non Christianum, vel hæreticum; tamen semel electum tenentur pati, nec possunt illum repudiare.

Refutatur responsio eius. Verùm non in argumento sed in responso Barclaij est captio. ita enim captat verba quasi vniuersè de periculo vel damno cuiusuis rei diceretur: *Vbicumque est idẽ damnum vel periculum, ibi quoque idem est Ius*: quod tamen nullo modo dicitur. quis enim adeo sit cæcus, vt non

non videat hoc ita vniuersè dictum esse falsissimum, cùm infinitis exēplis cuiuis obuijs refutari possit? Itaque vanum est totum responsionis istius fundamentum. agitur enim in argumēto non de periculo vel damno cuiusuis rei, sed solùm de periculo & damno boni publici, videlicet religionis & æternæ salutis. est autem hoc bonum tanti momenti, vt vbicumque illi per iniuriam alterius graue periculum impendet, ibi omnibus sit ius resistendi, & omni ratione impediendi, nec solùm Ius, sed etiam præceptum & obligatio.

Argumentum itaque in forma est eiusmodi: vbicūque idem periculum & damnum religioni, & saluti animarum ex iniuria Principis impendet; ibi populo est idem Ius, & eadem obligatio damni impediendi. atqui ex tolerantia Principis hæretici &c. imminet religioni idem periculum & damnum, quod ex electione. ergo sicuti populus iure diuino tenetur talem non eligere, vt illud periculum caueatur: ita electum tenetur non tolerare, si commodè potest illum deponere. Ponitur argumentum in sua forma.

Nec refert quòd ante electionem ille non erat superior; pòst verò superior: quia bonum commune aduersus omnes illud iniquè oppugnantes defendi debet, etiam contra patrem & matrem; imò etiam aduersus summum Pontificem: vt antè ostensum est. Ex quibus perspicuum est, exempla Barclaij nihil ad rem facere. non enim in illis bonum commune, sed priuatum oppugnatur.

Dices, Si Christiani Principem infidelem religioni vastitatem inferentem tenentur non tolerare; quomodo olim non deposuerūt Neronem, Diocletianum, Iulianum Apostatam, Valentem Arianum, & similes? 137. Obiectio. Cur non deposuerint Neronem, Dioclet. &c.

Respondet Bellarminus, *defuisse vires ad exequendū: potuisse tamen iure id facere:* quod confirmat ex *Apostolo* Respons. Bellar.

1. *ad Corinth. 6. Vbi iubet constitui nouos Iudices à Christianis temporalium causarum, ne Christiani cogerentur causam dicere coram Iudice Christi persecutore. Sicut enim noui Iudices constitui potuerunt: ita & noui Principes propter eamdem causam, si vires adfuissent.*

Author oppugnat hanc responsionem.

Barclaius hæc acerrimè refutat, omnibus verborum aculeis adhibitis. verùm nos illis omissis, cùm vim argumenti non augeant, sed solùm exulceratū animum prodant, rem ipsam consideremus. Ac primùm, *defuisse vires Christianis ad illud exequendum*, etiam D. Thomas docet 2. 2. q. 12. a. 2. ad 1. *Ecclesia*, inquit, *in principio tolerauit vt fideles subessent & obedirent Iuliano in ijs, quæ non sunt contra fidem, quia non habebat tunc potestatem terrenos Principes compescendi*. Estque res satis ex historijs manifesta. nulli enim erant alij Principes Christiani magnæ potentiæ, quorum opera Ecclesia ad hoc vteretur; & nomen Imperatorium adeo erat sublime, vt illum veluti numē quoddam plerique suspicerent. Deinde ditiores & potentiores permulti erant adhuc ethnici, vel parùm in mysterijs religionis instructi. Denique plurimi erant ethnici, plurimi hæretici, qui omnes se Imperatori iunxissent. verùm de hac re infrà n. 180. vbi obiectiones Barclaij dissoluemus.

Potuisse illos persecutores iure abdicari.

Potuisse autem Ecclesiam Iure illos Principes abdicare, est communis DD. Catholicorum sententia, & multis rationibus probari potest. 1. quia populo ius est defendendi bonū commune politicum contra quemuis iniustè conātem euertere: ergo multò magis defendendi sacram religionem. quò enim bonum est communius & excellentius; hoc magis meretur defendi, & eò plus Iuris à natura concessum ad eius conseruationem. 2. quia ex maximis iniurijs à Principibus illis Ecclesiæ irrogatis, ipsa ius habebat, vt se cum omnibus fidelibus illorum obedientiæ subduceret, tributa negaret, & eos compel-

leret

leret, tum ad cessandum ab iniuria inferenda, tum ad satisfaciendum pro illata. Si enim vna Respub. id Iuris habet aduersus alteram; cur non Ecclesia aduersus Regnum politicũ, cùm ipsa Ecclesia per se completam, & diuinam quamdam Rempub. constituat? Imò idipsum interdum potest vna Ciuitas vel Prouincia aduersus suũ Principem, quando læsio est valde enormis, nec est spes aliter iniuriam desinendam, modò debito ordine ea in re procedatur, nimirum præmissis precibus, monitionibus, maturo Procerum Reipub. consilio. non enim tenentur subditi tamquam oues sinere se suaque omnia à lupis deuorari.

3. Quia inter subditos & Principem tacitus quidam contractus intercedit, quo Principi certæ præscribuntur conditiones, quas in gubernando seruare debet. hinc in omnibus regnis cùm inaugurãtur, tot iuramẽtis populo se obstringunt ad formam gubernationis pertinẽtibus. ergo si illas conditiones non solùm non seruet, sed etiam grauissimis iniurijs, & damnis subditos vexet, nec spes sit populo alia ratione se liberandi: poterit se ab eius obedientia subducere (accedente præsertim sententia supremi Pastoris) & illum potentia, qua in eorum perniciem abutitur, spoliare. Pactum enim omne natura sua solubile ob violatas ab altera parte pacti conditiones, & iniurias illatas, iure ab altera dissolui potest, iuxta illud vulgatum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*.

4. Potestas & authoritas quæ est in Principe prouenit à populo, qui suam potestatem in Principem concessit, vt ab eo regeretur & defẽderetur: vt infrà ostendetur. vnde quidquid Princeps facit authoritate Principali, hoc facit nomine regni, & vt regnũ suum repræsentans; ac proinde & ipsum quoque regnum censetur facere. Ergo si abutatur hac potestate in detrimentum religionis, vel ad iniquam aliorum oppressionem; tenetur regnum,

si potest, ei obsistere; & si opus est, eum sua potestate priuare: alioquin regno imputabitur quidquid ille iniquè & impiè gesserit. Sicut si des Titio gladium in manus, vt ab eo defendaris, si Titius accepto gladio abutatur occidendo innocentes, teneris ei gladium eripere: alioquin tibi imputabitur quidquid ille damni tuo gladio dederit. Potestas regia est instar gladij, quem Respublica Regi commisit, vt ipsius nomine eo vtatur iustitiā administrando, & hostibus resistendo. quare si ille hoc gladio in publicam perniciem abutatur, potest & debet Respub. se opponere, & illum è manibus eripere: alioquin illi totum malum imputabitur. Idem quoque ex eo confirmari potest: quòd propter Principum scelera plerumque etiam populus à Deo castigetur. Sic Aegyptij ob Pharaonis in populum Dei tyrannidem, grauissimè afflicti fuere: & Israelitæ ob peccata Ieroboam: & Romanum Imperium propter Imperatorum in Christianos & Martyres crudelitatem. Et propter iniurias à Principe illatas, Ius est Principi qui iniuria affectus, regnum alterius inuadere, & populū spoliare &c. Quorum omnium causa non est alia, quā quòd ea quæ Princeps facit, censeatur ipse populus facere: cùm ille id authoritate à populo accepta faciat. itaque si populo commoda ratio suppetat, tenetur impedire, ne ipse publica authoritate perniciosè abutatur.

His adde tres alias probationes suprà nu. 135. positas, quibus idem confirmatur: nimirum, subditos posse tueri religionem aduersus suum Principem, & si opus sit illum expellere, vt illa sarta-tecta præstetur.

138. Probatio ex Apostolo est probabilis. Probatio illa ex Apostolo, quam tantopere aduersarius exagitat, & ob quam quinque diuersis locis acriter in Bellarminum inuehitur, est probabilis: eaque vtitur S. Thomas 2.2. q.10.a.10.5. sed contrà. Si enim propter bonum religionis Corinthij Christiani, authoritate

&

& mādato Apoſtoli ſtatuerunt ſibi proprios iudices (neſcientibus magiſtratibus ordinarijs, qui id numquam permiſiſſent) & iubentur ſinguli defugere communia tribunalia: cur Eccleſia authoritate Apoſtolica repudiato Ethnico & perſecutore iniquiſſimo non potuiſſet ſibi cōſtituere Principem Chriſtianum, ſi commoditas ſuppeditaſſet? certè nulla poteſt dari idonea ratio. Confirmatur. Quia ſi Iudices illi non fuerunt ſolùm arbitri, ſed veri iudices habentes veram Iuriſdictionem (vt planè inſinuāt verba Apoſtoli, ſemper enim vtitur verbo κρίνειν, nūquam διαιτᾷν, & adfert exempla veri iudicij; & apertè colligitur ex Clement. Rom. l. 2. conſtit. Apoſtol. c. 49. & ſequentibus, & ex S. Auguſtino de opere Monachorum cap. 29.) Eccleſia in illis conſtituendis vſa eſt Iuriſdictione ſuprema tamquam nulli ſubiecta. Quia qui alteri Principi ſubiectus, non poteſt nouos Magiſtratus inſtituere, nec acceſſum ad ordinarios à Principe conſtitutos prohibere.

Obijcit Barclaius S. Thomam, qui in illum locum 1. Cor. 6. ſcribit: *Apoſtolum non prohibere quin fideles ſub Principibus infidelibus conſtituti, eorum iudicio compareant, ſi vocentur. hoc enim eſſet contra ſubiectionem, quæ debetur Principibus: ſed prohibere ne fideles eligant voluntariè infidelium iudicium*. Eadem verba habet Lyranus in eumdem locum, & in eamdem ſententiam explicat ea Theodoretus.

Reſp. Eccleſia hoc ipſo quo conſtituit illos iudices Chriſtianos, non intendit Principes aut magiſtratus Ethnicos ſua Iuriſdictione priuare, ſed ſolùm nouos iudices illis ſuperaddere, qui cauſas Chriſtianorum cognoſcerēt. itaque Chriſtiani manebant etiam Ethnicis ſubditi, & tenebantur ad illorum citationem comparere: & contrarium fuiſſet contra ſubiectionem Principibus debitam. Secùs tamen ſi Eccleſia voluiſſet eos ſua Iuriſ-

dictione priuare: quod iure & rectè facere ob causas suprà explicatas potuisset, si vires & opportunitas adfuissent, vt idem S. Thomas 2. 2. q. 12. a. 1. & q. 10. a. 10. tradit, in cuius verbis nulla est contradictio, vt Barclaius criminatur. non enim inter se hæc pugnant; subditus iure diuino tenetur suo Principi obedire; &, Ecclesia potest Principem sua Iurisdictione priuare, vel subditum Principis Iurisdictioni eximere. illud enim intelligendum in sensu composito, vt dicunt Philosophi, nimirum, Principe retinente ius Principis non solùm habitu, sed etiam actu. Hoc verò in sensu diuiso, de illo homine qui Princeps erat, qui ius principale in subditos vel omnino, vel saltem quoad vsum amittere potest, &c. notissima sunt ista vel mediocriter in Logica versatis.

Similem contradictionem obijcit Bellarmino, quibus sanè rebus nihil aliud proficit, quàm quòd suam prodat inscitiam, & ἀλογιστίας.

Ex his perspicuũ est immeritò illũ ita paratragœdiare: *Hæc cùm ita se habeant, Deum immortalem! quæ isthæc miserabilis cæcitas & inscitia, vel certè malitia est, velle ex illis verbis colligere, ius fuisse Christianis deponere Imperatores & Magistratus omnes Ethnicos, si vires illis ad eam rẽ suppetissent. cùm præsertim Apostolus* [a] *alibi præcisè iubeat Christianos omnes necessitate subditos esse ijsdem illis potestatibus Ethnicis, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: quòd nimirum sana & salua conscientia subtrahere se eorum Iurisdictioni & subiectioni, quæ Dei ordinatio est, nullo modo possent.*

a Ad Roman. 13.

Immeritò, inquam, ita exclamat: tum quia ratiocinatio ex illo loco probabilis ducitur, vt ostẽdimus: tum quia 7. alijs rationibus solidissimis illud idem ius probauimus, tribus num. 135. & quatuor num. 137. & Barclaij cauillos obiter dissoluimus; tum quia eadem ferè v-

bique

bique ingeminat; nimirum iuris diuini esse, *vt inferior obediat superiori*; & *Regem solo Deo esse minorem*: quorum prius nullo modo pugnat cum potestate & iure resistendi (si religionem opprimat) aut etiam Principatu priuandi. alterum generatim acceptum, ita vt excludatur etiam summus Pontifex, falsum est. Verùm de his infrà num. 154. & 172. vbi obiectiones adferẽtur. Hactenus de prima probatione maioris, quæ solida consistit.

Post hæc Barclaius cap. 22. pergit ad 2. ad quam respondit negando maiorem. *Dico*, inquit, *propositionem falsam esse, nimirum quòd tolerare Regem hæreticum vel infidelem conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere religionem euidentissimo periculo. Sed est tantùm pati religionem versari in periculo, in quod incidit vitio Regis hæretici aut infidelis, & cui iam sine culpa populi exposita est: cùm nullum eius liberandæ iustum & legitimum remedium, præter constantiam & tolerantiam populo supersit &c.* 139. Oppugnat 2. probationem.

Sed hæc responsio minimè satisfacit: tum quia verba captat sensu neglecto: tum quia in reddenda ratione principium petit. Verba frustra captare sic ostendo. qui enim causam periculi facilè tollere potest, & eam non tollit, moraliter dicitur rem exponere periculo: sicut vectores qui improbum nauarchum conantem nauem in scopulos impellere permittunt ad clauum sedere, cùm possent eum amouere, & probum eius loco substituere: eo ipso quo voluntariè illum tolerant, communi hominum æstimatione nauem & omnium salutem periculo exponunt. Itaque hoc ipso quo voluntariè talem Principem cum tanto religionis discrimine tolerant, eum non amouẽdo: morali iudicio religionem periculo exponũt. Deinde subditi in casu nostro, si Principem retinent, non solùm illum tolerant, quasi permissiuè se habendo ad eius gubernationem; sed etiam positiuè ei vires, qui- Refutatur. Captat verba. Quis dicatur exponere religionẽ periculo.

bus in perniciem religionis abutitur, suppeditant, soluendo tributa, exhibendo obsequia, deferendo honorem. vires enim Principis consistunt in obsequijs & opibus subditorum. Ergo hoc ipso quo populus illum retinet in authoritate quam illi concessit, ei obedientiam ac honorem exhibens, positiuè & propriè religionem periculo exponit. Qui enim causam periculi non solùm tolerat, sed etiam fouet & viribus instruit, is proprissimè rem periculo exponere dicitur.

Petit Principium. Quòd etiam principium in reddenda ratione petat, perspicuum est. causam enim cur velit populum non exponere religionem periculo, etiamsi sponte toleret Principem, adfert hanc, quòd *populo nullum legitimum remedium eius liberandæ suppetat:* nimirum, *quia subditus non potest se opponere suo superiori*. qua in re manifestè committit petitionem principij, assumens pro ratione id de quo agitur quæstio, quodque nos & omnes Catholici DD. tamquam absurdum & principijs philosophiæ moralis apertè repugnans, planè negamus. Idem confirmat alia petitione principij, cùm ita pergit: *Hoc autem* (tolerare Principem qui conatur religionem euertere) *Christianis vitio verti non potest, nisi eadem opera priscos illos Patres, qui Constantio, Iuliano, Valenti, & alijs Catholicæ religionis desertoribus, quòd legitimè Imperium essent adepti, sine vlla tergiuersatione, aut minimo rebellionis indicio submissè paruerunt: & quos tollere è medio, vel deponere facillimè potuerunt, eos quia Imperatores & Reges erant, sunt omni honore, obsequio & reuerentia prosecuti &c.* Nihil horum probat id quod erat propositum: quia assumitur τὸ ἐν ἀρχῇ, quod non minùs negatur ab aduersario quàm illud.

Ceterùm falsum esse & paradoxum, non suppetere subditis vllum iustum remedium aduersus Principem religioni perniciem molientem, patet ex multis in discursu huius

huius 8. probationis allatis. si enim populus iustè se potest opponere aduersus Principem bona ciuium iniustè inuadentem, vxores & filias rapientem, remp̃ub. hosti tradere molientem, nec tenetur ista complicatis manibus tolerare: quomodo non poterit resistere ei, qui totam religionem molitur exterminare?

Post hæc respondet ad confirmatiunculam illius 2. probationis, negando hic esse aliquam Iurium pugnam. *Non enim*, inquit, *sunt pugnantia, seruare veram fidem & religionem, & tolerare Regem hæreticum vel infidelem*; *nec alterum de iure diuino est, alterum de iure humano: sed sunt duo præcepta iuris diuini, colere Deum vera religione, & seruire ac obedire Regi; quæ simul seruari & expleri possunt ac debent, vt ipsi Iesuitæ asserunt* &c. 140. Respons. authoris ad confirmat.

Sed duo hic peccat Barclaius. 1. quòd putet hic agi de ea religionis conseruatione, qua quisque eam in seipso seruare tenetur, cùm sit sermo de religione, vt ipsa est bonum publicum, seruanda & tuenda. sicut enim arctissimo Iuris diuini vinculo tenetur quilibet conseruare ac tueri bonum publicum temporale: ita multò magis bonum publicum spiritale; vnde pendet salus æterna tot millium. 2. quòd de Rege loquatur in sensu composito: cùm argumentum sit intelligendum in sensu diuiso. etsi enim obedire Regi retinẽti Regiam authoritatem sit iuris diuini; non tamen est iuris diuini, vt obtemperem huic homini, putà Alexandro qui Rex est; quia dignitas illa non iure diuino sed humano ei competit: ac proinde facilè ei auferri potest. Refutatur.

Itaque in præsenti casu, verè inter se pugnant; cõseruare religionem, vt est bonum publicum, & tolerare hunc hominem in regno. vnde cùm Ius diuinum imposuerit populo obligationem religionis conseruandæ; Ius autem solùm humanum obligationem parendi huic homini, & eum in regno retinendi; & vtrumque hic seruari

nequeat

nequeat: tenetur populus nō parere huic homini, & eum à se abdicare, vt religio salua sit. quia Ius humanum cedere debet diuino: id est, obligatio orta ex iure humano cessat, quando eius executio non potest cōsistere cum executione Iuris diuini, seu cum opere ad quod Ius diuinum obstringit.

141. Sed instat Barclaius. *Etsi de iure humano sit quòd hunc vel illum habeamus Regem: tamen vbi hunc vel illum semel habemus, de iure diuino est, vt ei in ciuilibus causis cum omni honore & reuerentia pareamus. Hac adiectione,* inquit, *quam nemo Catholicus negare potest, illud argumentum prorsus eliditur.*

Hoc aliquam vim haberet si duo concurrerent. 1. Si principatus esset res prorsus inseparabilis à subiecto, cui semel insederit; ita vt nec tolli, nec eius vsus impediri, aut suspendi posset. 2. si nullos certos haberet limites, nullas leges quas in gubernando sequi oporteat. itaque non est de iure diuino, vt Principi semel constituto obediatur, nisi in sensu composito: hoc est quamdiu retinet Principatum non impeditum, eoque secundum leges & pacta cum regno inita vtitur; eoque modo, vt nihil contra bonum commune, præsertim contra religionem moliatur. Cùm enim iure humanô Principatum obtineat, potuerunt homines, nimirum ipsum regnum, ei certas leges præscribere (præter eas quas iure naturæ seruare tenetur) quas seruare debet, si velit regnare, & honorem, obedientiam ac tributa sibi à subditis præstari. absurdissimum enim esset, si vellet sibi licere in omnia sacra & prophana impunè grassari; & simul omni honore, obsequio, & subsidio à subditis affici.

142. Ad 3. probationem. Ad 3. probationē ex cōparatione coniugij ductam respōsurus Barclaius: *Nihil,* inquit, *hoc argumētò frequentius est in ore omniū monarchomachorum, quod eò facilè quā*

plurimos

plurimos fallant. deinde respondet: *Longè diuersa & dissimilia hæc esse, liberari à iugo alicuius, & liberari ab obligatione manendi cum aliquo: & propterea haud rectè componi & comparari inter se*. Denique summa responsionis est: vel agi in argumẽto de illis coniugibus, qui cùm essent ambo fideles, matrimoniũ contraxerũt, & alter ad hæresim vel infidelitatem postea delapsus est: aut de coniugibus Ethnicis, quorum alter ad fidem Christianam conuersus est, altero pertinaciùs in suam superstitionem Paganicam incumbente. Si de prioribus intelligitur, malè laudatur author Innocentius, qui de tali coniugio in illo cap. Gaudemus, ne verbum quidem: & præterea falsum est talem coniugem fidelem esse liberum à iugo coniugis infidelis, cùm vinculum matrimonij dissolui nequeat. *Si autem de posterioribus*; *in promptu*, inquit, *responsio est ex eodem Cap. Gaudemus. nimirum inter tales coniuges non esse ratum matrimonium: & ideo huiusmodi coniuges plenam dissoluendi matrimonij libertatem habent; vt vel mutuo consensu & bona gratia, vel cum ira sui animi & offensa discedant: & alter inuito altero nexum illum coniugij per repudium & diuortium dissoluat. aquè enim mulier viro, ac vir mulieri repudiũ mittere solet. Non mirum ergo* inquit, *si coniux ad fidem perductus à coniugis in infidelitate manentis consortio & potestate liber sit; cùm etiamsi ambo in infidelitate mansissent, æquè liberũ alterutri eorum fuisset ab altero recedere, & matrimonium repudio dissoluere: quia nullum inter eos ratum & firmum obligationis vinculum intercessit* &c. *At subiectio politica, ac regalis Dominatio inter omnes gentes, & in omni lege, tam iure diuino quàm humano rata & probata est. Quid ergo absurdius, quàm illa inter se componere, & argumentum ab infidelium cõiugum iugo quod excuti pro arbitrio potest, ad regalis Imperij iugum repellendum deducere?* Hæc ille.

maioris responsio.

Verùm in multis hic rursus Barclaius errat. 1. Dum existimat

Refutatur.

Infideliũ coniugiũ non poteſt pro eorũ arbitrio diſſolui.

exiſtimat vinculum coniugij inter infideles pro ipſorum arbitrio diſſolui potuiſſe, etiam ambobus in infidelitate perſtantibus. quod non ſolùm eſt contra omnes DD. & contra expreſſum textum Cap. Gaudemus, quem ipſe Barclaius adducit (vt mirum ſit illum id non aduertiſſe) ſed etiam contra ſententiam Domini, Matth. 19. vbi hunc errorem refutat, tum ex ratione primæuæ matrimonij institutionis in paradiſo factæ, tum ex verbis Adami diuino inſtinctu pronuntiatis Geneſis 1. deinde ſic concludit: *Quod ergo Deus coniũxit homo non ſeparet*. Et infrà apertè repudium damnans ait: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliã duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*. Quæ omnia etiam ad infideles pertinere docet Innoc. 3. dicto cap. Gaudemus. Et ratio eſt manifeſta; quia Dominus loquitur de vinculo matrimonij ſecũdum ius naturæ, quod omnes conſtringit. eſt etiam contra Apoſtolum 1. Corinth. 7. *Iis*, inquit, *qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat*. Hinc fit, vt ſi quis in Paganiſmo vxore prima repudiata ſecũdam vel tertiam duxerit, poſtea ad fidem conuerſus teneatur, dimiſſis poſterioribus, redire ad primam; quia vinculum ſolutum non fuit: vt tradit Innocentius d. cap. Gaudemus. Vno ſolùm euentu diſſolui potuit hoc vinculum; nimirum ſi altero ad fidem conuerſo, alter in perfidia ſtatuiſſet firmiter perſiſtere: vt apertè docet Apoſtolus 1. Corinth. 7. & S. Auguſtinus lib. 1 de adulter. coniugijs cap. 18. & 19.

Ipſum diuortium non ſoluit vinculum.

2. Fallitur, dum putat vinculum coniugij ſolui per diuortium; cùm etiam facto legitimè diuortio vinculum perſeueret, donec alter eorum aliud matrimonium legitimè contrahat. Vnde ſi alter coniux, qui antea conuerti

recuſa-

recusarat, facto diuortio sententiam mutet, & coniugem conuersum sequi velit, debet ab altero suscipi, nec potest hic alias nuptias inire: vt ex d. illo Cap. Gaudemus cōstat. cuius non est alia ratio quàm quòd vinculum per diuortium illud non fuerat dissolutum.

3. Fallitur, cùm vinculū quod est inter subditos & Principem vult esse firmius & insolubilius, quàm quod est inter coniuges infideles. hoc enim falsum esse patet ex dictis. nam vno tantùm euentu vinculum coniugij infidelium solui potest, idque ex dispensatione diuina in fauorem religionis, & coniugis conuersi. At multis casibus solui potest vinculū illud ciuile. potest enim Princeps pro suo arbitratu illud dissoluere, deponendo Principatum: potest iure belli ab aduersario spoliari: potest à subditis ob certas causas exui; vt suprà ostensum est. Omitto quòd ab Ecclesia possit deponi, ne principium more Barclaij, petere videar.

At, inquit, *subiectio politica, & dominatio regalis apud omnes gentes, & in omni lege est rata & probata: coniugium verò infidelium non est ratum: ergo vinculum illius est firmius &c.* Respondeo, esse elenchum sophisticum παρὰ τὸ ὁμώνυμον. Simili modo probare poterat vincula omnium cōtractuum esse firmiora & magis insolubilia quàm vinculum coniugij infidelium; quia emptio, venditio, locatio, conductio, societas & contractus apud omnes gentes legitimè celebrati, sunt rati & probati. Verùm est homonymia in voce *ratum*. cùm enim DD. cum Innocentio dicunt coniugium infidelium non esse *ratum*; non volunt significare illud non esse absolutè validum, aut pro arbitrio coniugum posse dissolui, vt iste opinatur: sed non habere illam firmitatem, quam habet matrimonium fidelium ratione sacramenti quà fit, vt eius vinculum propter infidelitatem dissolui nullo modo possit. Itaque *ratum* hic solùm designat firmitatē quam tribuit 143.

 ratio

ratio sacramenti. Cùm verò contractus dicitur *ratus*, aut regia dominatio, longè aliud significatur; nimirum ista censeri valida & iusta, nec posse pro arbitrio alterius partis, inuita altera dissolui: vtrâque tamen consentiente posse totum hoc vinculum tolli, apud omnes gentes constat. Et si speciatim de vinculo Regiæ dominationis & subiectionis populi sit sermo; hoc totum volente solo Rege, etiam inuito populo, euanescit; vt si religionem ingredi velit. ex quibus patet quàm friuola sint quæ iste adfert.

4. Fallitur vel potiùs fallit, cùm ex coniugio fidelium ἀντιστρέφως sic opponit, argumentũ nostrum retorquere volens. *Coniux fidelis non est liber à iugo coniugis infidelis, qui contracto matrimonio perfidiam concepit, licèt ille noluerit manere cum coniuge fideli sine iniuria fidei, & contumelia creatoris: vt apertè docet Innoc. 3. cap. Quanto, §. Si verò. de diuortijs. & cap. Ex parte. de conuers. cõiugat. Ergo populus fidelis non liberatur à iugo Regis infidelis, vel hæretici subditos ad suam sectam pertrahere conantis, qui adepto Principatu talis effectus est.*

Sed verba captat, sententia & intentione disputantis dissimulata. etsi enim coniux fidelis eo casu non liberetur à iugo vinculi habitualis (quia non potest illo viuo alteri copulari) tamen liberatur à iugo illi cohabitandi, reddẽdi debiti, & omnis obsequij præstandi. atqui hoc satis est ad nostrum propositum. & hoc sensu falsum est antecedens. Si vero solùm velimus illud intelligi de iugo vinculi habitualis, & hoc iugum comparemus cum iugo subiectionis ciuilis; neganda est consequentia. nam vinculum illius coniugij, præsertim consummati, nullo modo est solubile, nisi per mortẽ. Vinculũ autem subiectionis multis modis solui potest, vt ostensum est, & quotidiana experientia testatur. Ex his perspicuum est solidam planè esse illam tertiam probatio-

nem

nem, siue loquamur de vinculo coniugij infidelium, siue fidelium.

Si enim de vinculo coniugij in infidelitate contracti loquamur; hoc vinculum etsi aliàs nullo modo solui possit, tamen si altero conuerso, alter nolit conuerti, in fauorem religionis solui potest; & vxor conuersa potest alteri nubere: quod etiam magis locum habet, si ille sine contumelia religionis cum ea viuere nolit. Ergo multò magis vinculum subiectionis ciuilis solui poterit; & populus Principi suo non obedire, si ille factus hæreticus religionē subuertere nitatur. si enim religio est tāti momenti, vt propter eam coniugi detur ius soluēdi vinculum coniugij, quod nulla alia ratione solui poterat: quantò magis propter eam datur ius populo soluendi nexum subiectionis erga Principem, qui nexus multis alijs modis solui poterat? præsertim cùm ibi solùm agatur de periculo vnius vel paucorum, & sæpe nullius: hic verò de periculo infinitarū animarum. Si verò loquamur de vinculo coniugij inter fideles contracti, etsi hoc vinculum non possit omnino solui, tamen omnis eius vsus & obligatio suspēdi potest: adeo vt si maritus in hæresim incidat, & vxorem in eamdē pertrahere conetur, vxor liberetur à iugo reddendi debiti, & præstandi obsequij, imò obligatione totius conuictus & cohabitationis cap. Quæsiuit. cap. De illa. & cap. Quāto. extra. de diuortijs. ergo multò magis populus liberari poterit à tributis & obsequijs Principi præstandis; & vinculum subiectionis ita suspendi, vt populus ad nihil horum ipsi teneatur. Addo, cùm hæc subiectio multis alijs rationibus minoris momenti penitus tolli possit; cur non causa communi religionis, quæ omnium est grauissima?

3. Probatio ostenditur solida.

RATIO NONA,
Ex officio Pastoris.

144. Cùm Petro dictum est à Domino, *Pasce oues meas*, data est ei potestas omnis quæ Pastori necessaria ad gregem tuendum: at Pastori triplex potestas est necessaria; nimirum vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit. altera circa arietes, vt si quando cornibus lædant gregem, possit eos concludere, & prohibere ne gregem vlteriùs præcedant. tertia circa oues reliquas, vt singulis tribuat cõuenientia pabula. ergo hanc triplicem potestatẽ habet summus Põtifex circa oues Christi.

Hinc tria ducuntur argumenta. 1. est: Lupi qui Ecclesiam Domini vastant, hæretici sunt, vt patet ex illo Matth. 7. *Attẽdite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Si ergo princeps aliquis ex oue vel ariete lupus fiat, id est ex Christiano hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne illum sequantur, illiúe adhæreant; ac proinde priuare eum dominio in subditos.

Alterum est: Potest Pastor arietes furiosos destruentes ouile separare, & cõclusos detinere. Princeps autem est aries furiosus destruens ouile, quãdo est quidem Catholicus fide, sed adeo malus, vt multùm religioni & Ecclesiæ officiat; v. g. Ecclesias expilãdo, Episcopatus vendendo &c. Poterit ergo Pastor ouilis Christi eum coercere & exarmare.

Tertium est: Pastor potest & debet oues ita pascere, vt eis conuenit. ergo summus Pontifex potest & debet omnibus Christianis ea iubere, & ad ea cogere, ad quæ eorum quilibet secundũ statum suum tenetur: nimirũ vt eo modo Deo seruiat, quo status ipsius postulat. atqui Re-

Reges debent Deo seruire defendẽdo Ecclesiam, & puniendo hæreticos ac schismaticos, vt SS. Patres docent. S. Aug. epist. 50. ad Bonifacium. S. Leo epist. 75. ad Leonem Augustum. S. Gregorius lib. 2. epist. 61. ad Mauritium. ergo potest & debet Regibus præcipere, vt hoc faciant; & si opus sit, per excommunicationis censuram, aliasque commodas rationes cogere. Extat & hæc ratio apud Card. Bellarminum lib. 5. de Pont. cap. 7.

Barclaius hoc argumentum cap. 25. retorquet in authorem, ad suam confirmandã sententiam. Discursum eius omitto, quia nihil est aliud quàm petitio principij, & satis continetur in eius responsione: cuius summa est, datã quidem Petro illis verbis, *Pasce oues meas*, omnẽ potestatem ad hoc munus necessariã; non tamen inde sequi, datam esse ei aliquam potestatem in res temporales: quia hæc necessaria non fuit. Non fuisse necessariã probat. quia Christus eam non dedit: solùm enim dedit Petro potestatem spiritalem non temporalem: hæc autem est temporalis. 145. Resp. aduersarij.

In hac responsione sunt duo vitia petitionis principij, alterum in priore, alterum in posteriore probatione. nã in priore id quod est obscurum, & ab aduersario negatum, assumit tamquam perspicuum, & ex eo vult refutare id quod est manifestum. vult enim probare ad completum munus Pastoris, non esse necessariam vllam potestatem in temporalia subditorum: quia Christus nullam talem potestatem Petro dedit. vbi in probationem & argumentũ adfertur hoc ipsum quod est controuersum, & non minùs negatum quàm ipsa conclusio. Vnde enim constat, vel probari potest Christum nullam talem potestatem dedisse? *Quia*, inquit, *Christus Petro non dedit nisi potestatem spiritalem. hæc autem temporalis est*. Vbi rursus vel in altera parte est petitio principij Refutatio.

cipij

cipij, vel altera est falsa. si enim per *potestatem spiritalem* intelligat eam, quæ in sola spiritalia & nullo modo in temporalia se extendit; est petitio principij. nam illud est quod versatur in quæstione. Si verò per *potestatem spiritalem* intelligat eam, quæ non extendit se ad aliquid nisi in ordine ad finem spiritalem: sic prior pars vera est, sed posterior est falsa. illa enim potestas non extendit se ad temporalia nisi in ordine ad spiritalia. itaque non est temporalis, sed spiritalis. Omnis enim potestas & facultas speciem accipit non ex obiecto materiali, sed ex formali, seu proprio fine, sub cuius consideratione versatur circa talem materiam, vt suprà ostensum est.

Itaque non nisi abusiuè hæc potestas temporalis dici potest; cùm non minùs secundùm suam speciem sit spiritalis quàm potestas disponendi de Episcopatibus, beneficijs, & similibus bonis spiritalibus.

Adde, quòd Author hic rursus secum pugnet. quod non semel ei in hoc libello obuenit. si enim Christus nullam Petro in temporalia potestatem dedit, quomodo summus Pontifex potest cogere Principem per excommunicationem, vt modum politicæ gubernationis bono spiritali repugnantem mutet, vt ipse cap. 14. docuit? Porrò potestatem disponendi de temporalibus subditorum fuisse planè necessariam ad Ecclesiæ regimen, suprà n. 113. satis ostēsum est: & perpetuus Ecclesiasticorum tribunalium vsus, ipsique sacri Canones de eiusmodi rebus statuentes satis indicant. Itaque cùm videamus esse necessariam, optimè colligimus eam in completa potestate pastorali contineri, & à Domino simul Petro traditam, sicque ex eo quod manifestius est, & absque fronte perfricta negari non potest, cōcludimus id quod controuersum est. quæ ratio disputandi proba est.

146. Post hæc Barclaius cap. 26. descendit ad singula argumēta ex priore principio deducta. Ad 1. de potestate Pastoris

Pastoris circa lupos, concesso antecedente & consequētia quoad priorem partem, negat illam quoad secundam. Concedit enim summum Pontificem posse Principem hæreticum tamquam lupum à grege separare per excommunicationem. Addit tamen vsum excommunicationis aduersus Principes sæpè esse perniciosum: & simul acriter inuehitur in summos quosdam Pontifices, *qui temere & imprudenter*, vt ipse ait, *Imperatores & Reges potentissimos cum magno totius orbis scandalo, & pacis Ecclesiæ dissolutione per excommunicationem ab Ecclesia separarunt &c. Potuerunt*, inquit, *hoc facere Pontifices, sed non debuerunt.* Resp. Aduersarij ad 1. argumentum.

Alteram partem, Papam posse iubere populo ne illi Principi obediant, aut priuare illum dominio in subditos, negat. *Hoc*, inquit, *falsum est, & legi diuinæ, ac præceptis Apostolicis contrarium.* & statim probat ex Scripturis, Prouerb. 24. *Time Dominum fili mi, & Regem.* ad Timoth. 3. *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti &c. Deum timete, Regem honorificate.* & id genus alia.

Sæpe miratus sum hominem doctum toties huiusmodi scripturæ sentētias ingeminare, & illis tamquā firmissimis fundamentis niti, cùm nihil sit facilius quàm ostendere illas ipsi non patrocinari. Eadem enim omnia quæ hic Regibus deferri iubet, alibi etiam parentibus, Prælatis, Episcopis, & omnibus omnino superioribus deferenda statuit. Nemo itaque istorum sua potestate, quam in subditos habet, ob aliquod crimen à summo Pontifice priuari poterit. Sed de his infrà n. 187. & n. 190. sicut & de potestate absoluendi à iuramento, quam hic verbosè oppugnat, ne eadem sæpius repetere cogamur. Hoc solùm obiter addam ad rationem ipsius elidendam, non solùm summum Pontificem, sed etiam Refutatio.

Principem sæcularem posse subditum à vinculo iuramenti, quo alteri obstrictus est, liberare : si ille in perniciem publicam, vel etiam alicuius priuati illo vinculo vel eius effectu, abuti vellet. Itaque vana sunt quæ ille hic de illo vinculo contra authoritatem Pontificis disputat. Nec minùs vana sunt, quæ fusissimè prosequitur, vt ostendat Papam in iure diuino quo Regibus parere tenemur, non posse dispensare; eadem sæpissimè ingerens.

147. Ad 2. argumentū responsio Aduersarij

Ad 2. Argumentū de officio Pastoris erga furiosos arietes respondet cap. 32. *Concedo totum. sed solùm inde sequi summo Pontifici fas esse expellere malum Principem de ouili Domini, & eum excludere, ne cum reliquo grege in caula Dominica conquiescat: id est, eum extra communionem Ecclesiæ & Sanctorum per excommunicationem eijcere. At hæc tota pœna spiritalis est: vltra quam quod agat vel cōtra priuatum, nihil est.*

Refutatio.

Verùm hæc responsio non satisfacit argumento. Pastoris enim est furiosos arietes ita separare & coercere, vt se gregi miscere nequeant, aut lædere: & de tali separatione agitur in argumento. Ergo similiter Pastor ouilis Christi, noxium Principem, furiosum in grege Dominico arietem non solùm poterit excommunicare, hoc est, Barclaio interprete, priuare solis spiritalibus (per hoc enim à noxa gregi inferenda non impeditur) sed etiam ita coercere, vt gregi nocere nequeat; imò etiam cornibus, per quæ nocet, mutilare. Idem dicendum de lupis, quos quia assiduè in exitium ouium excubāt, potest & debet bonus pastor non solùm abigere, sed etiam exarmare & occidere, vt gregem saluum præstet. Itaque friuolum est quod respondet Barclaius ex officio pastoris nihil aliud sequi, quàm Principem malum posse excommunicari, hoc est spiritalibus bonis, quæ ipse contemnit, priuari. hoc enim perinde est, ac si dicas, Pastorem non posse lupos, aut furiosos arietes arcere à gre-

grege, aut exarmare, aut concludere ne noceant; sed solùm posse illis propria ouilis pabula denegare. egregia nimirum authoritas ad gregem tuendum. Quis non putet eum illudere Ecclesiæ, qui de illius authoritate in lupos ouilis Christi & furentes arietes sic loquitur? Quæ verò hoc cap. 32. & 33. rursus contra exemptionem Clericorum disputat, infrà obiect. 14. n. 197. & sequent. examinabimus.

Ad 3. argumentum concedit totum, addens inde solùm sequi Pontificem posse cogere Principem ad officium per excommunicationem, & alias rationes spirituales, non autem temporales. quod confirmat ex Driedone l. 2. de libertate Christiana c. 2. Vbi Driedo dicit, *omnem potestatem sæcularem in spiritualibus esse subiectam potestati Papali: ita vt Papa ratione curæ Pastoralis potestatem habeat in Imperatorem Christianum, perinde atque Pater spiritalis in filium, & tamquam Pastor in ouem suam: vt possit eum iudicare & corrigere, si laberetur in hæresim, aut denegaret publicam iustitiam pauperibus & oppressis, aut leges cōderet in præiudiciū fidei. hæc omnia*, inquit Barclaius, *nos quoque asserimus*. addens; *nullam aliam iudicij, aut correctionis Papalis in Imperatores sic delinquentes pœnam, nisi solam excōmunicationem Driedo ponit: quòd sciret nimirum Pontificiam potestatem spiritualibus pœnis esse contentam, nec posse vlteriùs progredi, nisi alienam Iurisdictionem inuadat*. 148. Ad 3. argumentū responsio Aduersarij.

Verùm hæc probatio parùm valet, cùm sit ab authoritate negatiuè. etsi enim aliam ibi pœnam quam excommunicationem non poneret, non tamen idcirco credendus negare. Deinde solùm in genere dicit, *Pontificem posse iudicare & corrigere Imperatorem*, neque vllo modo hanc correctionem ad excommunicationem restringit: imò nec excommunicationis meminit, nisi in exemplis quæ subijcit. *Sic*, inquit, *B. Ambrosius Theodosium*

dosium Imperatorem excommunicauit: & Innocentius Arcadiū. An quia exempla aliarum punitionum non ponit, idcirco dicemus eum alia negare; aut ideo illa omisisse, quòd sciret nullo alio pœnæ genere in Principes vti posse? quis istam ἀσυλλογιστίαν non rideat? Nullum est indicium in omnibus scriptis Driedonis vnde quis suspicari possit ipsum à communi Theologorum & Canonistarū sententia discrepare. imò eodem capite multa habet, ex quibus colligitur illum idem sentire. & lib. de libert. Christiana cap. 16. expreßè docet (vt suprà num. 77. ostensum est) Reges & Principes propter hæresim posse à Papa dominio priuari, vt mirum sit, illum ausum scribere, Driedonem contrarium tenere.

Quòd autem Barclaius addit: excommunicationem esse commodam rationem ad singulos pro cuiusque statu ad officium compellendos, manifestè falsum est, & satis suprà refutatum. Imò ipsemet non obscurè contrarium insinuat, cùm cap. 18. sic ait: *Quomodo spiritualis Resp. Rempub. temporalem fulminum spiritalium contemptricem cogere poterit?* nimirū, vt ab iniuria cesset. Certè euidés est, eam non esse commodam cogendi rationem, quæ passim ab ijs qui maximè cogendi essent, vt sunt hæretici, & pessimi Christiani, nihili péditur. Denique quòd cap. 31. pag. 249. magno verborum apparatu nititur ostendere, Principes metu amißionis temporalium cogi non posse ad officium, ridiculum est: cùm exemplis plurimis contrarium constet: & fusè in libello Regio refutatur. nullus enim est adeo potens, quin si à subditis suis deseratur, magnum periculum sui status subeat.

Ratio decima,
Ex Analogia ad Carnem & Spiritum.

POteſtas ſpiritalis in Eccleſia Chriſti ſe habet ad temporalem, ſicut ſpiritus ad carnem, & pars ſuperior 149
ad inferiorem: ita enim docet Gregorius Nazianzenus oratione ad ciues ſuos timore perculſos: vbi ſic alloquitur Præfectum prouinciæ. *An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſellijs lex Chriſti ſubijcit. Imperium enim ipſi quoque gerimus, addo etiã præſtantius ac perfectius: niſi verò æquum eſt ſpiritũ carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc dicendi libertatẽ in optimam partẽ accepturus ſis, vtpote ſacri mei gregis ouis ſacra, magniq; Paſtoris alumna, rectéque iam inde à primis annis à ſpiritu ducta & inſtituta* &c. Idem docet Hugo à S. Victore. l. 2. de Sacramentis p. 2. cap. 4. & Alexander Halenſis 3. p. q. 40. m. 2. quorum teſtimonia poſuimus ſupra nu. 76. & D. Thomas l. 3. de Regimine Principum c. 10. *Sicut*, inquit, *corpus per animam habet eſſe virtutem & operationem, vt patet ex verbis Philoſophi, & Auguſtini de immortalitate animæ: ita temporalis iuriſdictio Principum, per ſpiritalem Petri & ſucceſſorum eius* &c. denique paſſim DD. hac comparatione vtuntur.

Hoc principio poſito, ſic concludo. Ergo ſicut anima poteſt imperare carni, & portio ſuperior inferiori in ordine ad hominis finem, & à recto deuiantem corrigere, & ſi opus ſit ſubtrahere illi ea quibus abutitur contra ſuam ſalutem: ita poteſtas ſpiritalis poteſt imperare temporali in ordine ad finem vltimum; & ſubtrahere illi ea, quibus in perniciem Eccleſiæ abutitur.

Dices; Illam comparationẽ ſolùm inſtitui quoad di-

gnitatem, non autem Ius & potestatem imperandi. Etsi enim, si dignitatem spectes, potestas spiritalis sit instar animæ, temporalis instar carnis &c. non tamen spiritalis habet ius in tēporalem, sicut anima in carnem, aut portio superior in inferiorem.

Respondeo, etsi non omnino tantum iuris habeat, fit tamen comparatio non solùm in dignitate, sed etiam, & potissimùm in iure imperandi: vt ex verbis Gregorij est manifestum. probat enim potestatem sæcularem debere subesse & parere spiritali, quia caro debet cedere spiritui & terrena cælestibus. In hoc sita est analogia, quòd sicut caro, seu portio inferior in ordine ad bonū rationis debet obedire spiritui, & impediri ne quid agat quod bono rationis repugnet: ita potestas ciuilis debet obedire spiritali in ijs quæ ad salutem petinent, siue ea in se temporalia sint siue spiritualia, & potestati spirituali Ius est eam coercendi, si contra egerit.

RATIO VNDECIMA,
Ex Analogia ad facultates subalternas.

150. RVrsus potestas spiritalis se habet ad temporalem, sicut facultas quæ versatùr circa finem, ad facultatē quæ versatur circa media. Potestas enim spiritalis versatur circa vltimum finem hominis, salutem, inquam, æternam. quia ipsi hæc cura commissa est, vt hominem ad æternam beatitudinem perducat. Potestas verò ciuilis versatur circa res humanas, vt illæ tranquillè se habeant: quæ omnes sunt solùm media quædam, & adminicula remota, ad salutem iuuantia. atqui omnis facultas quæ versatur circa finem, potest statuere de medijs, & imperare facultati inferiori quantum ad finem est necesse; nimirum, vt inferior omnia sua ita disponat, vt fini nō officiant. quæ doctrina receptissima est apud omnes Philoso-

losophos, & lumine naturali intellectis terminis perspicua. Hac ratione Ars militaris præscribit omnibus artibus, quæ arma conficiunt, vel munitiones extruunt: & Nautica omnibus quæ naues aut naualia instrumenta fabricant: & Equestris omnibus quæ ephippia, frænos, phaleras, aliaque equestria concinnant: & Prudentia politica omnibus artibus mechanicis quæ sunt in ciuitate. ergo potestas spiritalis potest disponere de rebus temporalibus, & imperare ciuili, prout opus ad bonum spiritale.

Hac ratione tamquam euidenti demonstratione ex causa, vsi sunt omnes penè Doctores, nec quidquam est, quod probabiliter aduersus eam possit opponi.

Dices: Illud pronuntiatũ tantùm habet locum quãdo facultas inferior solùm ad hoc est instituta vt seruiat superiori, ita vt absque superiore sit prorsus inutilis: sicut Ars conficiendorum armorum solùm est vt seruiat Militari; & Ars frænorũ vt seruiat Equestri. Si enim Ars equestris non esset, Ars frænorum prorsus esset inutilis. At non ita se habent potestas ciuilis, & spiritalis. quãuis enim spiritalis non esset, ciuilis tamen suum haberet vsum: vt patet apud Ethnicos, apud quos viget Politia absque vera religione. Effugium quorumdam.

Resp. 1. Paruam esse vtilitatem Politiæ, vbi non seruit veræ religioni. solùm enim valet ad aliquam huius vitæ tranquillitatem, nempe vt homo possit habere copiam rerum terrenarum, & illis quietè frui, quod plerumque illi cedit in maiorem perniciem. Refutatur.

Resp. 2. negando maiorem. non enim est necesse vt inferior facultas per se sit inutilis, vt illud pronuntiatum locum habeat. Nam æquè certum est & perspicuum siue inferior facultas aliquod per se commodum habeat, siue non. Satis est præcipuum commodum & bonum illius esse, quod seruiat superiori, & ad eius finem

aptè

aptè dirigatur: vt patet multis exemplis. Prudentia enim œconomica, qua familia priuatim in ordine ad copiam & quietem domesticam rectè administratur, etsi per se non sit inutilis, sed valde commoda, etiam vbi homines seorsim viuunt; tamen vbi in ciuitatem coierunt, subiecta est politicæ, & politica illi imperare potest, quatenus opus est ad bonum commune ciuitatis; quia bonum ciuitatis præpõderat priuatæ familiæ. Idem cernitur in artibus plerisque mechanicis. hæ enim etsi magnas commoditates habeant extra omnem societatem: tamen in ciuitate subiectæ sunt Prudentiæ politicæ; & hæc illis imperare potest, quatenus ad commune bonum opus est, v. g. vt architecti & fabri tali forma vel
construant materia ædificia non ~~constarut~~: vt sartores talis formæ vel materiæ vestes non conficiant: vt pictores vel statuarij tales imagines quæ mores inquinare, vel animos quorumdam offendere possent, non faciant: & alia innumera. Itaque non sequitur, Potestas politica vtilis est, etiam absque religione: ergo vbi est religio, non debet illi esse subiecta, nec religio potest illi imperare, aut de rebus politicis disponere. planè enim impertinens est ad hanc subiectionem quòd facultas inferior per se aliquem vsum habeat, vel non habeat.

RATIO DVODECIMA,
Ex vsu & confessione Ethnicorum.

AVthoritas quam Ethnici lumine naturali ducti, suis
151. religionibus & Sacrorum Præfectis tribuunt, hæc non est religioni Christianæ eiusque moderatoribus, præsertim supremo Sacrorum Principi deneganda. Atqui passim Ethnici suis sacerdotibus, & rerum diuinarum interpretibus censuerunt competere Ius & authoritatem statuendi de rebus politicis; videbant enim id esse necessa-

cessarium, vt omnia ex mente numinis gererentur: ergo hæc authoritas non est Præfectis religionis Christianæ deneganda; imò eò in his maior est statuenda, quò religio nostra, & salus æterna quam promittit, est præstantior omni alia religione & salute, quam ratio naturalis concipere potest.

Maior per se satis est euidens. quod enim iudicio naturali Ethnici conueniens esse passim iudicant & seruant; signum est id in ipsa rerum natura, & generali ratione esse fundatum.

Minor probatur. 1. Apud Romanos enim maxima fuit authoritas Augurum, tamquam diuinæ voluntatis interpretũ; ita vt etiam de summis rebus, de Comitijs, de Legibus, de Consulibus abdicãdis decernere possent, vt docet Cicero l. 2. de legibus. *Maximum*, inquit, *& præstantissimum est ius Augurũ, cùm est auctoritati coniunctũ*, hoc est, cùm quis officio publico Augur est. *Neque verò hoc quia sum ipse Augur, ita sentio: sed quia sic existimare nos necesse est. Quid enim maius est, si de iure quærimus, quàm posse à summis Imperijs, & summis potestatibus comitia tollere, cõcilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid grauius quàm rem susceptam dirimi, si vnus Augur aliter dixerit? Quid magnificentius quàm posse discernere vt magistratu se abdicent Consules? Quid religiosius quàm cum populo, cum plebe agendi ius dare, aut non dare? Quid legem, si non iure rogata est tollere?* &c. Valerius Maximus l. 1. cap. 1. §. 9. *Omnia post religionẽ ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis decus conspici voluit. Quapropter non dubitauerunt sacris Imperia seruire, ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata*. Huius rei complura ibidem recenset exempla.

2. Apud Gallos quoque, Sacerdotes Druidæ dicti, ma-

ximam in politicis, nimirum vt congruenter numinum voluntati disponerētur, authoritatem habuere. de quibus Cæsar comment. de bello Gall. lib. 6. *Magno hi* (Sacerdotes) *sunt apud suos honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisque constituunt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, si de finibus controuersia est, ijdem discernunt præmium, pœnasque constituunt*. Et paulò pòst. *Hi certo anni tempore Carnutum, quæ regio totius Galliæ habetur media, consident in loco consecrato. huc omnes vndique qui controuersias habent, conueniunt, eorumque iudicijs decretisque parent*.

3. Apud Athenienses in celeberrimo Areopagi Concilio Sacerdotes iudices erant; & summus Sacerdos (ἀρχιερεὺς) Concilij Præses, qui singulorum sententias exquirebat, & suffragia colligebat; vt ex ipsorum decreto ad Iudæos misso (extat apud Iosephum lib. 14. antiquit. cap. 16.) apertè colligitur.

4. Apud Persas maxima erat authoritas Magorum, qui etiam erāt Sacerdotes, & rerum diuinarum curatores. de quibus Agathias lib. 2. historiæ suæ, mores Persarum describens. *Nunc Magos huius temporis Persæ honorant, & quàm maximè venerantur, vt quorum consilio publica omnia administrentur; seorsumque quid quisque præmij pro re bene gesta promereatur, quidue supplicij qui flagitium fecerit præsidendo & cognoscendo decernant. Nec verò Persis vel legitimum aliquid fore, vel æquum videbitur, quod Magorum non sit sententia confirmatum*.

5. Apud Aegyptios, Sacerdotum, de quibus Aelianus l. 14. variæ historiæ c. 34. *Iudices apud Ægyptios quondam ijdem fuere qui & Sacerdotes. horum Princeps erat maximus natu, qui & in omnes statuendi ius habebat*.

6. Apud Aethiopas, item Sacerdotum, de quibus Strabo lib. 17. seu vlt. Geographiæ: *Antiquitus Meroë (quæ est Metropolis regni Æthiopiæ) sūma potestas fuit pe-*

nes

ttes sacerdotes, tantaque eorum fuit authoritas vt nonnumquam misso Nuntio mortem Regi imperarēt, & ei alium sufficerent. Eadem fusiùs tradit Diodorus Siculus lib. 3. rerum antiquarum versus finem.

7. Apud Iaponios, apud quos olim supremus religionum Antistes, quem Dainum appellabant, omnibus Regibus erat superior.

Ex quibus perspicuum est, iure naturæ potestatem ciuilem subesse spiritali, & spiritalē de ciuilibus posse statuere, quatenus opus est, vt religioni, diuinæquæ legi ac voluntati consentiant. Itaque cùm tota potestas spiritalis, supremaque authoritas apud Christianos sit in summo Pontifice: necesse est, vt ei etiam competat ius & authoritas in res temporales, quantum opus est, vt congruè diuinæ legi & animarum saluti administrentur.

RATIO DECIMATERTIA,
Ex diuinæ Prouidentiæ vindicta.

PLerique Principes qui summo Pontifici sunt aduersati, eiusque sententiam & excommunicationem spreuere, postea in varias calamitates inciderūt, & multi eorum malè perierunt, posteritate eorum breui extincta, vel nulla relicta. quod signum est Deum sententiam sui Vicarij probare, eamque sine graui periculo non posse contemni. ostendam id aliquot exemplis. 152.

1. Lotharius Rex à Nicolao 1. excommunicatus, cùm postea sub Adriano 2. vt absolueretur, sacræ communionis probatione cum suis optimatibus se purgasset; ipse cum omnibus qui indignè perceperant, eodem anno perierunt. refert Martinus Polonus in Adriano 2.

2. Henricus 4. etsi diu post ~~communionem~~ vixit, excommunicatione
multis tamen curis & difficultatibus fuit implicitus; &

 tam-

tamdem ab omnibus desertus & imperio exutus, præ dolore obijt: & cadauer cum in loco sacro fuisset sepultum, iussum exhumari. Deinde quinquennio insepultum iacuit; teste Carione in Henrico 4.

3. Multi primarij viri tam Ecclesiastici quàm sæculares, qui ipsius causam aduersus Pontificē tutati fuerāt, horrendis modis interiere; vt supra n. 97. ostensum.

4. Fredericus 1. longo tempore excommunicatus Ecclesiam vexauit: tamdem sub Alexandro 3. reconciliatus, cum ingenti exercitu expeditionem in Syriam suscepit: vbi in conspectu totius exercitus, cùm refrigerandi causa flumen ingressus fuisset, repentè absorptus est, nemine opem ferre valente. Succedit ei filius Princeps strenuus; sed & hic cum multis clarissimis Principibus qui in exercitu aderant paulò pòst perijt: reliqua pars exercitus fame confecta est. refert Cuspinianus in Frederico primo, & alij.

5. Ottho 4. ab Innocentio 3. excommunicatus, in multas calamitates incidit, & tamdem amisit Imperium, nulla posteritate relicta, Frederico 2. in eius locum suffecto. Superuixit annos quinque inglorius: in eo tamen multis alijs felicior, quòd cum summo dolore & detestatione facti sui è vita decesserit priùs absolutione impetrata; vt suprà ex Crantzio ostendimus.

6. Fredericus 2. à tribus Pontificibus excommunicatus, & tamdem in Synodo generali depositus, Imperium amisit: deinde cum dolo domesticorū accepto veneno grauiter ægrotaret, & medicorū opera videretur curandus, à Manfredo spurio suo puluillo ori iniecto est suffocatus: talem nimirum expertus suum erga se filium, qualem erga Ecclesiam matrem suam ipse se præstiterat.

7. Conradus Frederici 2. filius cùm patri contra Ecclesiam adhæsisset, & ab Innocentio 4. excō-

mu-

municatus esset, præsidio Principum destituitur, & à Lantgrauio Turingiæ Henrico prælio vincitur, & fugatur. Itaque in regnum Neapolitanum coactus secedere, ibi à Manfredo fratre spurio veneno extinctus est, nullo herede relicto; Carion in Conrado 4. Crātzius lib. 8. metrop. c. 18.

8. Manfredus à Clemente 4. excommunicatus quòd regnum Siciliæ & Neapolis inuasisset, paulò pòst aduersus Carolum Ducem Andegauensem dimicans, in prælio est occisus: cadauer post triduum inuentum, honore sepulturæ propter excommunicationem caruit; Papyrius Massonus in Ludouico 9. & alij.

9. Conradinus Conradi filius Frederici 2. nepos, parui pendens Papæ excōmunicationem, aduersus Carolum copias maximas eduxit: verùm cæso eius exercitu, cùm ipse fuga cum Duce Austriæ elapsus esset, miro modo deprehensus & retractus, publicè capitis supplicio est affectus.

10. Petrus Rex Aragoniæ (in quem Conradinus iam plectendus ius suum resignauerat) excommunicatus ob inuasum regnum Neapolitanum, cùm Gallorum aliquot turmas ex insidijs inuaderet, in conflictu miserè perijt. refert Paulus Aemilius.

11. Philippus Pulcher Rex Francorum grauissimas exercuit cum Bonifacio 8. simultates, ab eoque fuit excommunicatus. & quamuis postea fuerit absolutus, & multa visa sunt ei succedere ex voto; tamē ipse in venatione ictus ab apro perijt, & in maximas calamitates posteri eius sunt coniecti, sicut à quodam Viro sancto prophetico spiritu prædictum fuerat; vt refert Ciacconus in Bonifacio 8. sub finem.

12. Ludouicus Bauarus excommunicatus, Imperium amisit: & postquam diu in afflictione & mœrore vixisset, tamdem cùm venationi operam daret, ex

equo lapsus repentino atque inopinato fine naturæ cōcessit, vt scribit Auentinus lib. 7.

13. Ludouicus 12. post excommunicationē Iulij 2. plurima aduersa pertulit, multisque damnis & cladibus est affectus: & tamdem nulla relicta posteritate in mœrore defunctus.

14. Boleslaus 2. Poloniæ Rex à Gregorio 7. excommunicatus, regnum amisit, & omnibus exosus ac contemptus cùm in Hungariam fugisset, furore correptus sibi ipse mortem consciuit, vt suprà nu. 113. ex Cromero retulimus.


Exempla huius sæculi omitto. quiuis enim ea per se expendere potest. Ex quibus patet quàm sit periculosum Principibus, Sedi Apostolicæ & Vicario Christi aduersari, eiusque in se anathema & maledictionem prouocare. Excubat in eius gubernatione prouidentia illius qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Et, *quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis*. Non sinit iustam Vicarij sui sententiam esse irritam, nec patitur illam contemni impunè. vnde plerumque fit, vt qui semel rebelles fuere, etiamsi tamdem reconcilientur, tamen flagellum diuinum non euadant. Hinc variæ calamitates, & aduersi successus, mœrores, orbitates, pauores assidui, mortes repentinæ, violentæ, crudeles, posterorum dissensiones, anxietates, aduersitates, extirpationes. diuina enim Prouidentia regit mundum, & super omnia consilia & astutias politicorum dominatur. eius vim & dispositionem nulla humana prudentia potest eludere. Sæpe illa securis, & nihil sinistri metuentibus interuenit, & vno momento omnia consilia, & machinationes mortalium euertit, rationem actorum veterum, & vindictam reposcens. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Matth. 28. Matth. 16.

SECVN-

SECVNDA SECTIO.

OBIECTIONES
Aduerſariorum eorumq́ue ſolutio.



ACTENVS Poteſtatem ſummi Pōtificis in res politicas ſtabiliuim' Scripturis, Concilijs, Doctoribus, Exemplis, & varijs Rationibus. ſupereſt vt quæ aduerſus illam obijciũtur proferamus, & diſſoluamus. Verùm quia Barclaius non ordinatè ſua argumenta proponit, ſed ſparſim pleraque; conabimur ea in aliquẽ ordinem more ſcholaſtico redigere, & ad ſingula diſtinctè reſpondere.

Prima Obiectio,

Ex eo quòd aduerſetur Monarchiæ.

HAec ſententia videtur oppugnare Principũ Monarchiam. ſi enim omnes Principes Chriſtiani ſubſunt ſummo Pōtifici, etiam in rerũ ciuiliũ diſpoſitione; nulli ergo ſunt Monarchæ, nulli Principes ſupremi & abſoluti. quam ob cauſam, eos qui hanc ſenten- 153.

tentiam sequũtur, vocat Barclaius Monarchomachos, id est, hostes Monarchiæ.

Resp. 1. Resp. 1. Si huius sententiæ defensores sunt Monarchomachi: ergo S. Bernardus, vterque S. Anselmus, S. Thomas, S. Bonauentura, S. Antoninus, & tot alij sanctitate & doctrina illustres, quos suprà attulimus, & huius fuisse sententiæ demonstrauimus, fuerunt hostes Monarchiæ: nec illi tantùm, sed etiam omnes Doctores scholastici, & omnes Catholicæ Academiæ. Enormis est tanti conuitij iniuria in tot ac tales viros, in tãtam sapientiam & sanctitatem. Quantò veriùs hoc nomen in aduersarium retorqueri possit, qui Monarchiam Ecclesiasticam ita eneruat, vt penè ridiculam efficiat? Qualis enim est ille Sacrorum Monarcha, qui in rebus prophanis & infimis Principi politico ita subest, vt propter eas ad eius tribunal trahi, reus sisti, condemnari, & omnibus pœnis pecuniarijs & corporalibus instar infimi laicorum plecti possit? qui sic ei est subiectus, vt sit eius indignus famulus & minister? qui in suos subditos & oues à Christo ipsi commissas non tantum habet authoritatis vel iuris, vt eos aliqua re temporali priuare, aliqua pecuniaria mulcta afficere possit, quantumuis hoc ad religionis tutamen, aut eorum salutẽ sit necessarium? Si Regi alicui latissimè per orbem imperanti, nihil aliud Iuris tribueretur, quàm statuendi de cultu numinis, & delinquentes puniendi Sacrorum priuatione; ipse verò alteri cuidã Præfecto in omnibus ciuilibus instar plebeij subijceretur; quis illum Regem Monarcham dixerit?

Non esse Monarchomachos.

2. Resp. directè negando antecedens. subiectio enim Principum erga summum Pontificem non adimit eis dignitatem & ius Monarchicum: quia illa subiectio est alterius rationis, & in ordine ad altiorem finem, quã sit subiectio, qua alij ipsis subijciuntur. Itaque nullo modo impedit, quin ipsi sint supremi & absoluti in suo ordine

Resp. 2.

dine; nimirum respectu finis politici. dicuntur enim Monarchæ, non quia nulla ratione alteri subsũt; sed quia in ordine ad finem, qui est tranquillitas publica, nulli subsunt. Quod confirmatur 1. quia si subesse summo Pontifici in ordine ad finem spiritalem repugnat iuri Monarchiæ; ipse Barclaius erit Monarchomachus. Nam vt suprà ostensum est n. 124. ipsemet cap. 14. & 32. docet Principes posse cogi pœnis spiritualibus à summo Pontifice, vt modum administrandi bono spirituali noxium mutent. Vbi manifestè facit eos subditos Pontifici in ciuilibus, quatenus ad spiritale bonum opus est. Cõfir. 2. quia quòd in certo casu Princeps possit deponi à Comitijs, vel hostis declarari &c. non repugnat Iuri Monarchico. omnes enim Monarchæ huic conditioni sunt obnoxij: ergo neque quod à summo Pontifice in certo casu abrogari possit, eidem iuri repugnat.

SECVNDA OBIECTIO,
Ex immensitate huius authoritatis.

Hanc potentiam deponendi de solio Reges, videri maiorẽ quàm vt in hominem cadere possit. esse enim illimitatam, immensam, ac omnipotentiã quamdam: quia Reges sunt solo Deo minores, vnde hæc potentia soli Deo competere potest. 154.

An sit potestas immensa.

Resp. mirum esse homini fide Christiana imbuto, hanc potestatem in Reges adeo immensam & paradoxã videri, quam etiam Ethnici sola ratione duce in Principibus rerum sacrarũ statuendam censuerunt. An non incõparabiliter maius est, & mirabilius cõdonare peccata, iustificare impium, sanctificare animam, & solo verbo, quæ erat tetra & impura, momento temporis solis radio reddere splendidiorem & æterna vita dignam? An non magis stupendum solo verbo substantiam panis & vini

repente conuertere in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi? Quæ tamen omnia non solùm à summo Pontifice, sed etiam à quouis sacerdote præstari posse religio Catholica tradit. Sanè qui hæc credit, ei nõ adeo mira, immensa, & Pontificiam superans dignitatem potestas illa in Regem impium animaduertendi videbitur. Quid enim in eo iure cernitur, quod humanam & naturalis ordinis potestatem, quæ etiam apud Ethnicos reperitur, excedat: cùm etiam à comitijs Regni, & à Rege victore, regno spoliari possit? An fortè idcirco comitia illa & Reges victores potestatem illimitatam, immensam, & quamdam omnipotentiam habere dicendi sunt? Denique quid miri si Princeps politicus Principi sacrorum, à quo omnis sanctificatio in ipsum descendit, & qui pro anima ipsius Deo rationem est redditurus, sit ita subiectus, vt si alia ratione à malo auerti nequeat, possit ab eo, Regno priuari? Quis nõ dicat hoc esse iustissimum, & rationi maximè consonum? Imò quis sapiens non optet in tali euentu habere Superiorem, à quo vel inuitus omnibus modis à peccato, & exitio sempiterno retrahatur?

An Rex solo Deo minor.

Ad confirmationem quæ toties ab authore inculcatur: nimirum *Regem solo Deo esse minorem*. Resp. Id non absolutè verum esse, sed facta solùm comparatione dignitatum sæcularium, & in ordine ad politicam rerum humanarũ dispositionem. nam inter dignitates sæculares quæ politicam gubernationem respiciunt, nulla est maior Regia. Si autem fiat comparatio omnium dignitatum, tam spiritualium quàm sæcularium; falsum est Regem solo Deo esse minorem. certum enim est tum ex fidei doctrina, tum ex ratione naturali, dignitatem Pontificum esse longè maiorem; nimirum, *quantũ aurum præstat plumbo, & solis iubar splendori lunæ: quantum spiritus carni; & portio superior animæ portioni inferiori: quan-*

tum

tum cælestia terrenis, & æterna temporalibus, & supernaturalia rebus humanis. has enim comparationes à sanctis Patribus & Doctoribus passim adferri videmus, vt patet ex testimonio S. Gregorij suprà n. 149. relato. & ex Chrysostomo lib. 3. de Sacerdotio: vbi comparās potestatē Regiam cum Sacerdotali seu Episcopali, ait: *Sacerdotem tanto maiorem à Deo potestatem accepisse, quantùm cælum terra & animæ corporibus præstant. Reges enim corpora ligādi atque soluēdi potestatem habere: Sacerdotes verò animas ipsas ligare & soluere.* Idem homil. 4. de verbis Isaiæ; Vidi Dominum. *Alij sunt termini regni, alij sacerdotij: hoc regnum illo maius est: Regi ea quæ in terris sunt commissa: Sacerdoti calestia.* Et infrà. *Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ; maior hic principatus: propterea Rex caput submittit Sacerdoti, & vbique in veteri scriptura Sacerdotes inungunt Reges.* Plura in hanc sentētiam prosequitur homilia sequenti. *Sacerdotium principatus est ipso regno venerabilior ac maior. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas: vmbræ sunt isthac omnia, vernisque flosculis leniora. omnis enim, inquit, gloria, flos graminis, etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista, sed si vis videre discrimen quantùm absit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtrique tradita, videbis Sacerdotem multò sublimiùs Rege sedentem. Quamquam enim nobis admirandus videtur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum quo cinctus est; tamē rerū terrenarū administrationē sortitus est: nec vltra potestatem hanc præterea quidquam habet authoritatis. Verùm Sacerdoti thronus in cælo collocatus est, & de cælestibus negotijs pronuntiandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? Ipse Cælorum Rex. Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem authoritatem sumit*

Discrimē Sacerdotij & Regni.

mit

mit cælum. Nam Iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quidquid hic in inferioribus iudicarit, hec ille in supernis comprobat. Itaque medius stat Sacerdos inter Deũ & naturam humanam; illinc venientia beneficia ad nos deferens; & hinc nostras petitiones illuc proferens. Ideoque Deus ipsum Regale caput manibus Sacerdotis subiecit, nos erudiens, quòd hic sit Princeps illo maior. Siquidem id quod minus est, benedictionem accipit ab eo quod est præstantius &c.

S. Ambrosius de dignitate sacerdotali cap. 2. *Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cùm videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri.* Et cap. 3. *Hæc cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, vt ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellẽtius Sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri; vt cùm dignitatem Episcopatus Episcopis demonstramus, & dignè noscamus quid sumus, & quod sumus professione, actione potiùs quàm nomine demonstremus* &c.

S. Ignatius Martyr epist. ad Smirnenses: *Honora* (inquit Sapiens) *fili mi Deum & Regem: ego verò dico: Honora quidem Deum vt authorem vniuersorum & dominum: Episcopum autem vt Sacerdotũ Principem, imaginem Dei ferentem: Dei quidem per Principatum, Christi verò per sacerdotium. Post hunc honorare oportet & Regem. Neque enim Deo quidquam est præstantius aut compar inter res omnes: neque in Ecclesia quid maius Episcopo, qui Deo pro salute totius mundi sacrificat: neque in Principibus cõpar quis Regi qui pacem &* [a] *bonas leges subditis suis procurat. Qui honorat Episcopum à Deo honorabitur; sicut qui illum inhonorat, à Deo punietur. Si enim qui contra Reges*

[a] εὐνομίαν τοῖς ἀρχομένοις πρυτανεύοντι.

in-

insurgit, iure dignus est punitione, vt qui communem trãquillitatem dissoluat; quanto grauiore dignum putatis punitione, qui absque Episcopo aliquid facere tentat, concordiam distrahens, & bonum ordinem confundens? Sacerdotiũ enim est omnium bonorum in hominibus summum: aduersus quod qui insanierit, non hominem inhonorat, sed Deum, & Christum Iesum primogenitum, qui solus natura est Patris sũmus Sacerdos. Et infrà. *Laici Diaconis subditi sint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri*. Hæc S. Ignatius. plura ex alijs Patribus adferre possem, quæ breuitatis causa omitto, quorum nonnulla sunt apud Gratianum dist. 96.

Ex his patet sanctorum Patrum sententia Regem non esse absolutè solo Deo minorem, sed solùm facta comparatione cum alijs Principibus sæcularibus, vt apertè S. Ignatius insinuat. Si autem fiat comparatio cum Principibus sacrorum, esse multò minorem, adeo vt etiam subiectus sit suo Episcopo, tamquam ouis pastori suo: quod intellige, nisi per summum Pontificem ab eius Iurisdictione sit exemptus. Idem multis locis fatetur Barclaius, cùm expressè doceat Principem in spiritualibus subiectum esse summo Pontifici, & suo Episcopo: ita vt possit ab illis cogi pœnis spiritualibus, vt mutet eam politicam gubernandi formam, quæ bono spiritali est noxia: vt sæpius ostensum est. Certè qui etiam circa materiam propriæ potestatis tenetur obedire alteri, & potest ab eo grauissimis pœnis compelli, perspicuum est, hunc esse illo minorem. Ratio cur Princeps sæcularis absolutè sit minor Principe Religionis, est quam supra n. 150. attulimus; nimirũ quia hic versatur circa finem; ille circa media: huic rerum diuinarum quibus homines æternam salutem consequuntur, administratio commissa est: illi rerum dumtaxat humanarum, quæ huic vitæ corruptibili inseruiunt;

unt: huius finis & opus est peccatorum remissio, sanctificatio spiritus, salutis æternæ consecutio: illius finis & opus est hostium depulsio, latronum & furum compressio, & tranquillus rerum status, quo quis rebus istis infimis ad breue tempus quietè vti possit.

Tertia obiectio,
Ex eo quòd incidat in sententiam Canonistarum.

155. Theologi, inquit, refutant sententiam Canonistarum, qui summo Pontifici directum dominium in totum orbem tribuunt, eamque solidissimis rationibus conuellunt. Atqui *Theologorum sententia quæ Pontifici solùm in spiritualia directam potestatem tribuit, in temporalia indirectam, nimirum in ordine ad spiritualia, nihil reipsa minus ei tribuit. Quidquid enim illi recto ordine, isti obliquè, & per consequentias Papæ tribuunt, vt ratio tantùm diuersa, res eadem sit.* Imò *Theologorum sententia, vt est à suis assertoribus proposita, naturalem rerum ordinem euertit, qui vult ne quis potestate & imperio in alios vtatur, quod neque sibi nominatim concessum est, neque ad explicãdas res suæ fidei mandatas prorsus est necessarium. Itaque neutra harum sententiarum est admittenda, sed tamquam hominum nimis Pontifici addictorum reijcienda.* Hæc ratio continetur primo capite, estque ex verbis Barclaij, omissis conuitijs & parergis, formata.

Discrimē inter habere potestatem in temporalia directè, & indirectè.

Resp. vel ex ijs quæ hic dicuntur liquere Barclaium non satis assequi statum quæstionis. habere enim potestatem in temporalia *directè* & habere *indirectè*, non sunt re eadem, vt ipse putat, sed plurimùm differunt. si enim Papa *directam* haberet potestatem in temporalia Regum, sicut habet in omnia spiritalia, posset pro suo arbitrio instituere Reges quos vellet, & eos ex alio in aliud regnum transferre; sicut vbique potest instituere Episcopos, & eos

eos ex alio in alium traducere Episcopatum: posset ad singulos Reges mittere suos Legatos, quibus sit maior in administratione politica, quàm ipsis Regibus authoritas, sicut ad prouincias mittit Nuntios Apostolicos, quorum in rebus Ecclesiasticis est maior authoritas quā Episcoporum: posset vbique leges politicas condere, & conditas à Regibus pro suo arbitrio abrogare: posset ad ipsum ordinariè in omnibus causis fieri appellatio: posset sententias Principum merè politicas, & nullam cum bono spiritali connexionem habentes, in ciuilibus & criminalibus rescindere &c. nec vlla longissimi tēporis præscriptio aut vsucapio, aut consuetudo posset ei in his omnibus aliquid Iuris detrahere: quia iure diuino hæc potestas ei competeret. At nihil horum potest, si solū *indirectè* in temporalia potestatem habet, quia per talem potestatem non poterit se ordinariè illorum gubernationi miscere, sed solùm extraordinariè in certo euentu: nimirum quando gubernatio politica ita à Rege vel populo est instituta, vt manifestè videatur nocitura religioni, aut saluti animorum; & tunc solùm eatenus, quatenus opus est vt illud impedimentum vel periculum tollatur, non vlteriùs. Vt si lex politica repugnet legi diuinæ, vel occasionem præbeat legis diuinæ violandæ: qualis est ista *de præscriptione 30. vel 40. annorum etiam cum mala fide*: de qua cap. Vigilanti, & cap. finali de præscript. vel si repugnet consilijs Euangelicis, qualis erat illa Mauritij Imperatoris, *Ne miles posset fieri Monachus* &c. de qua S. Gregor. lib. 2. epist. 62.

Hoc autem Principi Christiano non potest iure videri onerosū aut molestū. non enim onerosum videri cuiquam debet, quod non possit impunè euertere religionem, & subditos suos trahere in perniciem, aut impedire eorum salutem. *Hanc indirectam subiectionem non esse onerosam.*

Ex quibus patet multum inter has sententias esse

discri-

unt: huius finis & opus est peccatorum remissio, sanctificatio spiritus, salutis æternæ consecutio: illius finis & opus est hostium depulsio, latronum & furum compressio, & tranquillus rerum status, quo quis rebus istis infimis ad breue tempus quietè vti possit.

TERTIA OBIECTIO,
Ex eo quòd incidat in sententiam Canonistarum.

155. Theologi, inquit, refutant sententiam Canonistarum, qui summo Pontifici directum dominium in totum orbem tribuunt, eamque solidissimis rationibus conuellunt. Atqui *Theologorum sententia qua Pontifici solùm in spiritualia directam potestatem tribuit, in temporalia indirectam, nimirum in ordine ad spiritualia, nihil reipsa minus ei tribuit. Quidquid enim illi recto ordine, isti obliquè, & per consequentias Papæ tribuunt, vt ratio tantùm diuersa, res eadem sit.* Imò *Theologorum sententia, vt est à suis assertoribus proposita, naturalem rerum ordinem euertit, qui vult ne quis potestate & imperio in alios vtatur, quod neque sibi nominatim concessum est, neque ad explicādas res suæ fidei mandatas prorsus est necessarium. Itaque neutra harum sententiarum est admittenda, sed tamquam hominum nimis Pontifici addictorum reijcienda.* Hæc ratio continetur primo capite, estque ex verbis Barclaij, omissis conuitijs & parergis, formata.

Discrimē inter habere potestatem in temporalia directè, & indirectè.

Resp. vel ex ijs quæ hic dicuntur liquere Barclaium non satis assequi statum quæstionis. habere enim potestatem in temporalia *directè* & habere *indirectè*, non sunt re eadem, vt ipse putat, sed plurimùm differunt. si enim Papa *directam* haberet potestatem in temporalia Regum, sicut habet in omnia spiritalia, posset pro suo arbitrio instituere Reges quos vellet, & eos ex alio in aliud regnum transferre; sicut vbique potest instituere Episcopos, & eos

eos ex alio in alium traducere Episcopatum: posset ad singulos Reges mittere suos Legatos, quibus sit maior in administratione politica, quàm ipsis Regibus authoritas, sicut ad prouincias mittit Nuntios Apostolicos, quorum in rebus Ecclesiasticis est maior authoritas quã Episcoporum: posset vbique leges politicas condere, & conditas à Regibus pro suo arbitrio abrogare: posset ad ipsum ordinariè in omnibus causis fieri appellatio: posset sententias Principum merè politicas, & nullam cum bono spirituali connexionem habentes, in ciuilibus & criminalibus rescindere &c. nec vlla longissimi tẽporis præscriptio aut vsucapio, aut consuetudo posset ei in his omnibus aliquid Iuris detrahere: quia iure diuino hæc potestas ei competeret. At nihil horum potest, si solũ *indirectè* in temporalia potestatem habet, quia per talem potestatem non poterit se ordinariè illorum gubernationi miscere, sed solùm extraordinariè in certo euentu: nimirum quando gubernatio politica ita à Rege vel populo est instituta, vt manifestè videatur nocitura religioni, aut saluti animorum; & tunc solùm eatenus, quatenus opus est vt illud impedimentum vel periculum tollatur, non vlteriùs. Vt si lex politica repugnet legi diuinæ, vel occasionem præbeat legis diuinæ violandæ: qualis est ista *de præscriptione* 30. *vel* 40. *annorum etiam cum mala fide:* de qua cap. Vigilanti, & cap. finali de præscript. vel si repugnet consilijs Euangelicis, qualis erat illa Mauritij Imperatoris, *Ne miles posset fieri Monachus* &c. de qua S. Gregor. lib. 2. epist. 62.

Hoc autem Principi Christiano non potest iure videri onerosũ aut molestũ. non enim onerosum videri cuiquam debet, quod non possit impunè euertere religionem, & subditos suos trahere in perniciem, aut impedire eorum salutem.

Hanc indirectam subiectionem non esse onerosam.

Ex quibus patet multum inter has sententias esse discri-

unt: huius finis & opus est peccatorum remissio, sanctificatio spiritus, salutis æternæ consecutio: illius finis & opus est hostium depulsio, latronum & furum compressio, & tranquillus rerum status, quo quis rebus istis infimis ad breue tempus quietè vti possit.

TERTIA OBIECTIO,
Ex eo quòd incidat in sententiam Canonistarum.

155. Theologi, inquit, refutant sententiam Canonistarum, qui summo Pontifici directum dominium in totum orbem tribuunt, eamque solidissimis rationibus conuellunt. Atqui *Theologorum sententia quæ Pontifici solùm in spiritualia directam potestatem tribuit, in temporalia indirectam, nimirum in ordine ad spiritualia, nihil reipsa minus ei tribuit. Quidquid enim illi recto ordine, isti obliquè, & per consequentias Papæ tribuunt, vt ratio tantùm diuersa, res eadem sit.* Imò *Theologorum sententia, vt est à suis assertoribus proposita, naturalem rerum ordinem euertit, qui vult ne quis potestate & imperio in alios vtatur, quod neque sibi nominatim concessum est, neque ad explicãdas res suæ fidei mandatas prorsus est necessarium. Itaque neutra harum sententiarum est admittenda, sed tamquam hominum nimis Pontifici addictorum reijcienda.* Hæc ratio continetur primo capite, estque ex verbis Barclaij, omissis conuitijs & parergis, formata.

Discrimẽ inter habere potestatem in temporalia directè, & indirectè.

Resp. vel ex ijs quæ hic dicuntur liquere Barclaium non satis assequi statum quæstionis. habere enim potestatem in temporalia *directè* & habere *indirectè*, non sunt re eadem, vt ipse putat, sed plurimùm differunt. si enim Papa *directam* haberet potestatem in temporalia Regum, sicut habet in omnia spiritalia, posset pro suo arbitrio instituere Reges quos vellet, & eos ex alio in aliud regnum transferre; sicut vbique potest instituere Episcopos, &

eos

eos ex alio in alium traducere Episcopatum : posset ad singulos Reges mittere suos Legatos, quibus sit maior in administratione politica, quàm ipsis Regibus authoritas, sicut ad prouincias mittit Nuntios Apostolicos, quorum in rebus Ecclesiasticis est maior authoritas quā Episcoporum : posset vbique leges politicas condere, & conditas à Regibus pro suo arbitrio abrogare : posset ad ipsum ordinariè in omnibus causis fieri appellatio : posset sententias Principum merè politicas, & nullam cum bono spiritali connexionem habentes, in ciuilibus & criminalibus rescindere &c. nec vlla longissimi tēporis præscriptio aut vsucapio, aut consuetudo posset ei in his omnibus aliquid Iuris detrahere: quia iure diuino hæc potestas ei competeret. At nihil horum potest, si solū *indirectè* in temporalia potestatem habet, quia per talem potestatem non poterit se ordinariè illorum gubernationi miscere, sed solùm extraordinariè in certo euentu: nimirum quando gubernatio politica ita à Rege vel populo est instituta, vt manifestè videatur nocitura religioni, aut saluti animorum; & tunc solùm eatenus, quatenus opus est vt illud impedimentum vel periculum tollatur, non vlteriùs. Vt si lex politica repugnet legi diuinæ, vel occasionem præbeat legis diuinæ violandæ: qualis est ista *de præscriptione* 30. *vel* 40. *annorum etiam cum mala fide:* de qua cap. Vigilanti, & cap. finali de præscript. vel si repugnet consilijs Euangelicis, qualis erat illa Mauritij Imperatoris, *Ne miles posset fieri Monachus* &c. de qua S. Gregor. lib. 2. epist. 62.

Hoc autem Principi Christiano non potest iure videri onerosū aut molestū. non enim onerosum videri cuiquam debet, quod non possit impunè euertere religionem, & subditos suos trahere in perniciem, aut impedire eorum salutem. Hanc indirectam subiectionem non esse onerosam.

Ex quibus patet multum inter has sententias esse discri-

discriminis; & falsum esse, quod quidquid altera recto ordine; hoc altera obliquè & per consequentias Papæ tribuat. Rursus falsum esse, quod Theologorũ sententia, vt ab ipsis proponitur, naturalẽ rerum ordinem euertat. naturalis enim ordo est, vt sicut finis subordinatur fini; ita facultas quæ versatur circa finẽ, facultati quæ versatur circa media. quæ omnia cùm seruẽtur in sententia Theologorũ, ipsa non euertit sed stabilit naturæ ordinẽ. Neque tamen Theologi ita sententiam Canonistarum refutant, vt eam damnent erroris.

At verò Barclaij sententia manifestè ordinem naturæ subuertit, quia supponit & subijcit patrem filio, pastorem oui, magistrum discipulo, spiritum carni: quæ omnia ordini naturæ repugnant.

156. Obiectio. *Sed*, inquit, *naturalis ordo rerum vult, ne quis potestate & imperio in alios vtatur, quod neque sibi nominatim concessum est, neque ad explicandas res suæ fidei mandatas prorsus est necessarium.* Atqui Theologorum sententia hunc ordinem euertit.

Respons. Fateor rationem naturalem hoc postulare, sed nego sententiam Theologorũ huic repugnare. nego ius & authoritatẽ disponendi de temporalibus omnium Christianorũ etiam Regum in ordine ad finem supernaturalem, non esse summis Pontificibus concessam. etsi enim nominatim particularibus terminis hæc authoritas nõ sit concessa; satis tamen concessa est generalibus, quibus constitutus est pastor ouilis Christi vt suprà n. 14. & sequentib. & 64. abundè ostensum est. Nullo enim Iure requiritur, neque moribus hominum est receptum, vt cùm alicui aliquod regimen committitur, singula ad quæ illud se extendit, nominatim in particulari debeat exprimi. cui enim committitur procuratio alicuius finis, ei hoc ipso datur potestas in omnia media, quatenus ad finem est necesse. Denique nego hanc potestatem

Sufficit commissio generalis.

tem non fuisse ad res Pontificis fidei commendatas explicandas necessariam. contrarium enim suprà sæpius est demonstratum. Itaque cùm nulla hic probatio adferatur, non est quod his immoremur.

Dices, contra ordinem naturalem rerum esse, vt aliqua facultas, quæ secundum rationem propriæ functionis in ordine ad proprium finem nulli alteri subest, subsit indirectè, seu in ordine ad finem altiorem.

Resp. Nullo modo id esse contra, sed secundũ ordinem naturalem. nihil enim tam ordini naturali est consentaneũ, quàm vt id quod in ordine inferiori est summum, in altiori ordine subsit alteri: vt patet in primo mobili, quod est supremum in ordine corporum, vnde reliqua motũ accipiunt: ipsum tamen iuxta Philosophos subest Intelligentiæ ipsum mouenti. Idem cernitur in ordinibus Angelorum. supremus enim Hierarchiæ inferioris subiectus est Hierarchiæ superiori. deinde quia ordo naturalis postulat, vt facultas quæ versatur circa finem altiorẽ, non solùm possit disponere de medijs proximis, & directè ad finem tendentibus: sed etiã de remotis, quæ solùm indirectè & extrinseca ordinatione ad finẽ illum iuuant. Quo fit, vt illa quæ versatur circa media in ordine ad finem inferiorẽ, sit subiecta alteri in ordine ad finem altiorem. quod exemplis multis ostendi potest. Sic enim artes mechanicæ omnes sunt subiectæ Prudentiæ & potestati Politicæ non directè, sed indirectè: quia potestas Politica nihil potest circa regulas & leges earum præscribere, nisi quatenus necesse est ad bonum commune Reipub. idem cernitur in Oeconomica, & in Militari respectu Politicæ. Itaque istæ facultates etsi in ordine ad proprium opus non sint subiectæ Politicæ, nec Politica possit hac ratione quidquam præscribere: tamen in ordine ad bonum publicũ ciuitatis quod Politicæ cõmissum est, sunt ei subiectæ,

Summum in ordine inferiori est subiectum alteri in ordine superiori.

quantùm necesse est, vt illi bono nō obsint, sed prosint. Vnde hæc subiectio indirecta non solùm reperitur in potestate ciuili respectu spiritalis, sed etiam in omnibus facultatibus iam commemoratis respectu politicæ.

OBIECTIO QVARTA,
Ex distinctione potestatis Ecclesiasticæ & Politicæ.

157. D*Væ istæ potestates*, inquit aduersarius cap. 2. *quibus mundus in officio continetur, Ecclesiastica scilicet & Politica, iure diuino sunt distincta & separatæ, vt vtraq; suis terminis cōclusa, in alterius fines inuadere suo iure nequeat, neutrique in alteram imperium sit*. Confirmat hoc 4. canonibus. can. Duo sunt. can. Cùm ad verum. dist. 96. cap. nouit. de Iudicijs. cap. per venerabilem, qui filij sint legit. Deinde ex S. Bernardo lib. 1. de consideratione ad Eugeniū cap. 6. & ex Driedone 2. de libert. Christiana cap. 6.

Postremò ex sententia Hosij ad Constantium Imperatorem, quam refert Athanasius epistola ad solitariam vitam agētes: *Tibi*, inquit Hosius, *Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, cōtradicit ordinationi diuinæ; ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator*. Et ex Nicolao 1. [b] epistola ad Michaelem Imperatorem: vbi dicit: Quod *Christus Dominus proprijs actibus & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit*. Atqui hæc discretio non subsisteret, *si altera alteri subordinaretur, aut subiecta esset. quia hinc necessariò sequeretur potestates illas neque dignitatibus neque officijs, sed tantùm a-*

Hosij sententia.

[b] Habetur Can. Cū ad verum dist. 96.

Nicolaus Papa.

ctibus esse discretas. atque ita sententia Nicolai Pontificis falsa esset. Nam dignitas, itemq; officium quod est in subordinato, non potest non esse in subordinante, cùm ab eo in subordinatum deriuetur.

Respond. Satis confusè hic Barclaius ratiocinatur miscens vera falsis. vtar ergo distinctione. Tria ponit in maiore, quorum duo priora vera sunt propriè loquẽdo, tertium falsum. Concedo igitur, *Vtramque potestatem suis terminis conclusam; & neutram in alterius fines suo iure posse inuadere*. Ecclesiastica enim habet suum scopum, seu obiectum formale, & sua media ad illum scopum ordinata. hi sunt termini, quibus ipsa est conclusa. Similiter Politica habet suum scopum seu obiectũ formale, & sua media ad hunc scopum ordinata, quibus ipsa tamquam cancellis clauditur. Nec potest Ecclesiastica inuadere fines potestatis Politicæ; quia non potest statuere de temporalibus Principi subiectis, prout merè temporalia sunt: hoc est in ordine ad finem politicum, siue quando bonum spiritale id non postulat. hoc enim ad Principem pertinet, & his terminis ipsius potestas continetur. Huic tamen non obstat, quin possit de temporalibus disponere in ordine ad finem spiritalem: quia sub ea ratione non pertinent ad Principis potestatem, sed extra eius fines sunt posita, & intra poprios Ecclesiasticæ potestatis fines conclusa. Temporalia enim prout sunt necessaria ad finem spiritalem, non censentur temporalia nisi materialiter: quia vt subsunt tali ordini formaliter sunt spiritalia. media enim speciem formalem accipiunt ex ordine ad finem cui deseruiunt.

Resp. ad maiorem.

Quomodo istæ potestates sint distinctæ.

Quod autẽ tertio loco addit: *vt neutri in alteram sit imperium*: id nego propriè verum esse, imò manifestè falsum esse contendo, vel ipsius Barclaij testimonio. Docet enim cap. 14. vt suprà num. 124. ostensum est, 158.

 sum-

summum Pontificem posse imperare Regi, vt formam gubernationis politicæ, quæ bono spirituali officit, commutet, eumque ad id pœnis spiritalibus grauissimis compellere. An hoc non est ius & imperium habere in potestatem temporalem?

Resp. ad canones.

Quod attinet ad canones à Barclaio citatos, tantùm abest vt id insinuẽt quod ipse vult, vt apertè contrarium doceant; vt mirum sit qua fide, quóue iudicio eos adduxerit. Canone Duo sunt. ita dicitur: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tantò grauius est pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationẽ.* Quibus verbis insinuat Reges esse Pontificibus subiectos. nam si Pontifices rationem Deo pro Regibus sunt reddituri; ergo Regum salus & vita est illis commissa gubernanda: & reges sunt illorum subditi ac oues, in quas proinde illis sit ius ac imperium: alludit enim ad locum Apostoli ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Idem confirmant verba, quæ proximè in illo canone subnectuntur. *Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuã redigi posse voluntatem.* Imò totus iste canon docet Reges esse Pontifici subiectos, & posse ab illo excommunicari.

Can. duo sunt.

Can. cùm ad verũ.

Can. Cùm ad verum. solùm dicitur, istas potestates esse distinctas *proprijs actibus & dignitatibus:* an idcirco nullum alteri in alteram ius aut imperium? Cap. nouit. de iudicijs. ex professo probat summum Pontificem esse Regum iudicem; tantùm abest vt insinuet nullum illi ius in potestatem sæcularem competere. Cap. Per venerabilem. vt summùm probat Pontificem non posse disponere de politicis, vt merè politica sunt, siue quando bonum spiritale id non postulat. agitur enim ibi de legitima-

Cap. nouit.

Cap. per venerabilem.

gitimatione ad hereditariam successionem. Rex tamen Galliæ videtur in summo Pontifice agnouisse hanc potestatem, quando filium suum illegitimum ab illo curauit legitimari. Nihilominus Pontifex illa noluit vti circa filium Principis cuiusdam subditi Regi, ne ius Regis lædere videretur. hæc omnia in illo capite.

S. Bernardus loco illo ab Authore citato non dicit Summo Pontifici nullum ius esse in temporalia, sed illa esse indigna, quibus ipse ordinariè occupetur, cui cælestia commissa sunt. *Quidni*, inquit, *contemnant* (Põtifices) *iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cælestibus & angelos iudicabunt: ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra; quoniã propter illa, & non propter has accepistis claues regni cælorum. Quænam tibi maior videtur & dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia diuidẽdi? Sed non est comparatio. habent hæc infima & terrena iudices suos Reges & Principes terræ. Quid fines alios inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignũ vobis talibus insistere: quippe potioribus occupatis. Denique vbi necessitas exigit, audi quid sentiat non ego sed Apostolus. Si enim in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem vrgente: aliud vltrò incumbere istis tamquã magnis dignisque tali ac talium intentione rebus*. hæc ille. Qui locus apertè confirmat nostram sententiam, nimirum vrgente necessitate boni spiritalis summũ Pontificẽ de tẽporalibus posse iudicare, nec vlla eius Iurisdictioni eo casu subtrahi. Denique quid Bernardus de potestate Pontificis in Reges sentiat, suprà n. 76. satis declaratum est. Driedo apertè docet Principẽ à summo Pontifice posse ob hæresim &c. deponi, vt suprà nu. 79. ostendimus, tantùm abest, vt velit nullum illi ius aut Imperium in Principem competere.

Sententia S. Bernardi.

Testimonium Hosij nihil aliud probat nisi Sacerdoti quà Sacerdos est aut Pontifex, non conuenire politicam administrationem, neque illi ius esse in politicam gubernationem quà merè politica est, seu ad finem temporalem ordinata. Hoc enim ius pertinet ad Reges & Imperatores.

Hinc tamen nullo modo sequitur, quin certo euētu, nempe quando bonum spiritale id postulat, possit aliquid circa politica & temporalia statuere, vt ostensum est.

Ex his patet propositionem maiorem partim esse veram, partim falsam, & pleraque testimonia ab authore producta ipsi aduersari. Addo in ea committi petitionem principij, Authori familiarem tropum. Assumit enim illas duas potestates ita esse discretas, vt neutri sit ius in alteram. at hoc ipsum est de quo est controuersia.

Obiectio. Dicet fortè aliquis, Authorem cùm ait, *istas potestates ita esse discretas, vt alteri in alteram non sit imperium*, intelligendum esse de istis facultatibus consideratis solùm intra proprios terminos. Regia enim ita est discreta à Pontificia, & suprema in suo ordine, vt intra ipsius proprios terminos, id est in ordine ad finem merè politicum, Pontificia illi non possit imperare.

Respons. Respondeo 1. Si ita intelligit, verus quidem est sensus, sed locutio impropria, imò propriè falsa. non enim sequitur; Potestas spiritalis non habet vllum Ius in politicam in ordine ad finem politicum: ergo nullum habet in illam Ius, nullum imperium. Vt enim verè & propriè habeat Ius in illam, satis est vt habeat illud in ordine ad finem altiorem, nempe spiritualem. Negatio autem tollit totum, & ita propositionem efficit falsam.

2. Hunc sensum nullo modo seruire proposito Authoris, cùm intendat probare Pontificem nullo euentu,

nullo

nullo fine, quãtumuis bonum spiritale in periculo versetur, posse de temporalibus disponere. Ad hoc autem probandum nihil iuuat, quòd Pōtifex non possit statuere de illis ob finem politicum, cùm abundè possit ob spiritalem.

Veniamus nunc ad minorem, quæ talis est: *Atqui hæc discretio non subsisteret; si altera alteri subordinaretur, aut subiecta esset.* 159.

Primùm peto quæ *discretio?* Illáne de qua Pontifex Nicolaus, an illa de qua agitur in maiore? si enim loquatur de illa de qua Pontifex, vt omnino loqui videtur, quia solùm verba illius vrget: sic nego minorem. Nam cum subordinatione potestatũ optimè consistit earum discretio, non solùm quoad actus proprios, sed etiam quoad dignitates & officia: vt facilè multis exemplis declarari potest. Oeconomica enim subordinata est Politicæ, & omnes artes mechanicæ eidem Politicæ sunt subiectæ: & tamen plurimùm ab ea distinguuntur, non solùm actibus, sed etiam officijs & dignitatibus. Vbicumque enim sunt diuersa obiecta formalia, vel proprij fines diuersi, siue illi sint subordinati siue non; ibi quoque sufficiens est distinctio facultatum & potestatum quoad officia propria, proprias dignitates, & proprios actus. Vnde etiã in artibus & facultatibus, in quibus est directa & intrinseca subordinatio, ac proinde minor distinctio; videmus sufficientem discretionẽ quoad dignitatem & officium, & opus proprium: nimirũ quia inter eas est distinctio ratione obiecti formalis & proprij finis: vt inter Architecturam, & artes illi subseruientes: inter Geometriam, & multas artes mechanicas: inter Geometriam & Astronomiam: inter Opticam & Pictoriam; inter Medicam & Chirurgicam: inter Physicam & Medicam &c. quòd si illæ in quibus est subordinatio intrinseca & directa, sufficientem habent distin-

Respondetur ad minorem.

Discretio officiorũ & dignitatum optimè cõsistit cum subordinatione.

ctio-

ctionem quoad officia, proprias dignitates & functiones; quantò magis illæ inter quas solùm est subordinatio indirecta & extrinseca.

Si autem sit sermo de ea discretione de qua loquitur in maiori; ea cum duplex sit, etiam cum distinctione respondendum. Si enim loquatur de priore, nimirum de ea discretione facultatum qua singulæ sunt conclusæ suis finibus &c. sic falsum est hanc discretionem non consistere cum subordinatione, vt iam satis demonstratum est. Si autem loquatur de posteriore, nimirum de ea discretione, qua fiat vt alteri in alteram non sit imperium: sic verum quidem est, & per se notum, hanc discretionem nō consistere cum subordinatione (vbi enim altera alteri potest imperare, ibi necessariò altera alteri est subiecta ac subordinata) sed falsum est talem discretionem inter potestatem Politicam & Spiritalem reperiri. neque hoc erat assumendum tamquam principium, sed probandum, cùm de eo sit controuersia, vt ostensum est.

Ex quibus patet quàm imbecille & friuolum sit argumentum. nam præterquam quòd falsa veris misceantur, est in eo petitio principij, vel æquiuocatio; adeoque vel nihil concludit vel nimium concludit, nec minùs ipsius authoris quàm nostram sententiam oppugnat.

160. Quod autem ad confirmationem minoris addit: *Dignitatem & officium quod est in subordinato, non posse non esse in subordinante, cùm ab eo in subordinatum deriuetur*, fallum est quoad vtramque partem, & patet exemplis suprà adductis. Oeconomica enim & artes mechanicæ sunt subordinatæ Politicæ; tamen dignitas earum, & officium non est in politica, neque à Politica in ipsas deriuatur. Vnde sicut Politica non habet ius præscribendi Oeconomicæ, aut artibus mechanicis, vel immiscendi se

Officium subordinati nō est in subordinante.

ſe earum functionibus in ordine ad ipſarũ proprium finem, ſed ſolùm in ordine ad bonum commune Reipub. ita poteſtas ſpiritalis non poteſt præſcribere ciuili, nec immiſcere ſe illius negotijs, niſi in ordine ad bonum ſpiritale. Itaque officium & dignitas poteſtatis ciuilis non continetur in ſpiritali, etſi illi in ordine ad finem ſpiritalem ſit ſubordinata. Si enim in illa cõtineretur, illa poſſet omnia quæ Politica poteſt, idque in ordine ad finem politicum, & quando bonum ſpiritale id minimè poſtularet. Vnde vlteriùs patet dignitatem & officium politicæ poteſtatis non deriuari à ſpiritali, neque vllam intrinſecã ab ea dependentiã habere; cùm ſine illa exiſtere poſſit.

Addo, ne quidem in facultatibus, quæ directã, intrinſecam & eſſentialem ſubordinationem habent, id inueniri; vt officiũ ſubordinatæ exiſtat in ſubordinãte. quia ſubordinans per ſe non poteſt præſtare opus facultatis ſubiectæ; vt patet in Optica & Pictoria, Phyſica & Medica, Geometria & Aſtronomia. etſi enim vis & dignitas inferioris magnam partem deriuetur à ſuperiore, cùm eius concluſionibus tamquam principijs vtatur: tamẽ officijs & proprijs functionibus plurimùm diſtinguuntur. Multò ergo minùs in ijs quæ ſolùm extrinſecã & indirectam ſubordinationem habent, id locum habebit, vt dignitas & officium ſubordinatæ exiſtat in ſubordinante, & ab ea deriuetur.

Fateor tamen quadam ratione dici poſſe dignitatem & officium ſubordinatæ interdũ reperiri in ſubordinante. quia etſi poteſtas ſubordinata ſecundum propriam rationem formalem non ſit in ſubordinante: eſt tamen altiori quodam modo in illa; nimirum in ordine ad altiorem finem; ita vt ſuperior poſſit ſtatuere & facere quod facit inferior, quando id ratio finis altioris poſtulat. Verùm id nullo modo fauet ſententiæ aduerſæ, vt ſæpius oſtenſum eſt.

Hæc paulò fusiùs propter eos qui ista Philosophica parùm penetrant, quæ si Barclaius probè intellexisset, non tam pueriliter, nec tam sæpe hallucinaretur in hac quæstione; nec tam confusè & inconstanter disputaret. Omitto quæ ille contra pium & eruditum virum Bozium disputat, quia illam sententiam modò non tuemur. Immeritò tamen illum sic exagitat, cùm ipsemet tam parùm solidè procedat.

QVINTA OBIECTIO,
Ex eo quòd Ecclesia olim non habuit ius in Laicos.

161. P*Apam* (inquit author cap. 3.) *temporali potestate in Reges & Principes dominari perspicuè falsum esse, vel ex eo cōstat, quòd absurdum & iniquum sit dicere, Principes Ethnicos duriore & deteriore conditione ab Ecclesia esse receptos, quàm singulos quosque de multitudine: vel Papam habere nūc maiorem potestatem in Principes politicos Christianos, quàm olim D. Petrus & ceteri Apostoli in quemlibet priuatum hominem Ecclesiæ filium: At hi nullum Ius aut potestatem temporalem habuerunt tunc tēporis in Christianos laicos: ergo nec Papa in Principes sæculares potestatem vllam temporalem nunc habet*. Assumptiones multis argumentis probat, quæ nos infrà ordine referemus.

Potestas Papæ in temporalia est spiritalis.

Vt ad hæc omnia respondeamus, notandum est, nos non dicere *Papam temperali potestate in Reges & Principes dominari*. fatemur enim hoc propriè falsum esse: quia tota potestas ipsius merè spiritalis est & supernaturalis; vtpote ex motiuo supernaturali & spiritali se ad vsum applicans, & in finem supernaturalem tendens. Itaque si quis hanc potestatem quatenus ad spiritalia se extendit, vocet *temporalem*, impropriè loquitur: cùm ex fine, seu obiecto formali sumatur species & denominatio. Verùm Barclaio passim ita loqui placet, ad inuidiam sententiæ con-

conciliandam, quò etiam pertinet verbum *dominari*. non enim Papa propriè dominatur Principibus, sed suauiter eos monet & dirigit, vt pater filios primarios & honoratissimos.

Nostra igitur sententia est, Papam præesse etiam Regibus & Principibus potestate spirituali & sacra, qua possit etiam de ipsorum, & aliorum Christianorum bonis temporalibus statuere, quando bonum spiritale id postulat; non aliter, nec aliàs. & hoc est quod iste author oppugnare intendit, etsi absurda verborum specie proponat. Qua in re imitatur hæreticos, qui sententias Catholicorum absurdissimè & falsissimè proponunt: v. g. Papistas docere, esse adoranda ligna, lapides, truncos: ligna & lapides facere miracula: panem esse Deum &c. Qui bona fide disputat, proprijs maximè verbis sententiam aduersarij proponit, vt status quæstionis ab omnibus facile percipi possit.

Quod ad obiectionem authoris attinet, vt respondeam in forma; concedo vtramque propositionem (duas enim in maiore ponit tamquam duos formaturus syllogismos, quamuis priore deserta solùm assumat sub altera) sed nego assumptionem, seu minorem. Planè enim falsum est, S. Petrum nullam habuisse authoritatē in temporalia laicorum, quando bonum spiritale id exigebat. certum enim est Apostolos & Prælatos Ecclesiæ semper habuisse potestatem excommunicandi, ac proinde priuandi conuictu politico: & statuendi de eleemosynis largiendis, de subsidio vitæ ministris Ecclesiæ præbendo, de oblationibus faciendis, alijsque sumptibus ad cultum diuinum necessarijs. extant enim de his antiquissimi canones. Deinde non est dubitandum quin etiam mulctas pecuniarias potuerint irrogare. quibus enim res maximæ concessæ erant, cur minima & accommodatissima ad hominum emendationem

Respondetur in forma.

Apostoli habuerūt potestatē disponēdi de temporalibus.

Episcopi Iudices in tempo-ralibus. negata censeantur? Denique ex Patribus constat Episcopos primis illis sæculis fuisse iudices ordinarios Christianorum in ciuilibus; vt patet ex Synesio epist. 57. vbi propter hanc grauissimam occupationem petit à Synodo liberari Episcopatu. & ex S. August. tum epist. 147. tum in psal. 118. concione. 24. & lib. de opere Monachorum cap. 29. Idem lib. 6. confessionum cap. 3. refert quantopere ea in re fuerit occupatus Ambrosius. neque solùm temporibus Christianis, sed etiam antea, vt constat ex vita S. Gregorij Thaumaturgi, descripta à Gregorio Nysseno. id enim ex Apostolica traditione initium habuisse apertè docet S. August. lib. de opere Monachorũ cap. 29. & concione illa 24. in psal. 118. minorẽ tamẽ seu assumptionẽ multis probationibus author confirmare nititur, quas distinctè & ordine referemus.

162. Multæ probationes minoris. 1. Probat. 1. Probatio, *Certo*, inquit, *certius est tẽpore Apostolorũ Ecclesiasticã potestatẽ fuisse separatã à politica, & hanc tantã apud Ethnicos Principes extra Ecclesiã fuisse; adeo vt ipsi Apostoli in potestate temporali Ethnicorũ fuerint. Quod &* [a] *Pighius &* [b] *Bellarmin⁹, aliꝗue Theologi insignes fatentur.*

a Lib. 5. c. 7. Eccles. hierarch. b Lib. 2. de Rom. Põt. c. 29. Respons. Resp. Admitto fuisse separatam à politica. Politicæ enim solùm est disponere de rebus humanis in ordine ad finem temporalem; quod non pertinuit vmquam ad Pontifices. Hinc tamen nulla probabilitate sequitur, ipsos non posse de illis statuere ad finem spiritalem. hoc enim non est opus politicum & profanum, sed religiosum & sacrum. Quod additur de Apostolis: concedo illos fuisse in potestate Principum Ethnicorũ de facto; nego de iure, saltem eo modo vt licitè Principes possent eos iudicare. etsi enim possint dici eis subditi secundum quid, quà ciues, hoc est, considerata præcisè illa politica conditione, quà erant partes Reipublicæ: tamen absolutè ratione dignitatis sacræ ita erant exempti, vel exẽptio illis sic erat debita, vt absque sacrilegio nõ pos-

An Apostoli Ethnicis Principib⁹ fuerint subditi.

sent

ſent ad eorũ iudicia pertrahi. qua de re plura infrà ob. 14. cùm de exemptione. Addo, etiamſi illi fuiſſent in poteſtate Principũ Ethnicorum in ordine ad finẽ politicum: inde tamen non ſequi illos non habuiſſe poteſtatẽ in eoſdem, & in omnes Chriſtianos laicos in ordine ad finem ſpiritalem, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 10. a. 10.

2. Probatio. *Chriſtus*, inquit, *venit non ſoluere legem ſed adimplere, nec naturæ & gentium iura tollere, aut quemquam temporali rerum ſuarum dominio excludere: ergo ſicut ante Chriſti aduentum Reges politica poteſtate ſubditis praerant: ita & poſt.* 2. Prob.

Reſpondeo. Totum admitti poſſe: tamen claritatis cauſa diſtinguo conſequens. Qui poſt aduentum Chriſti erant vel manebãt ſubditi Principum, ſicut fuerant ante aduentum; ijs Principes ita præerant poſtea, ſicut antea. At Apoſtoli non manſerunt ita ſubditi: quia per Chriſtũ conſtituti ſunt ipſi Principes orbis terrarum in rebus longè maioribus, vt Dauid Pſ. 44. prophetauerat. quam dignitatẽ ſi Principes ſæculares clarè cognouiſſent, ipſos potiùs tamquam Deos quoſdam, & ſalutis humanæ ſecundũ Deũ authores, ſicut fecit magnus Cõſtantinus, venerati fuiſſent; omniaq; ſua illis libenter ſubieciſſent. Neq; propter hoc propriè dici poteſt, Principes dominio rerũ ſuarũ excluſos. quia amittere aliquot ſubditos, non eſt propriè amittere dominium: alioquin tot millibus quotidie morientibus, Princeps quotidie dominium amitteret. Dominiũ enim Principis non conſiſtit determinatè in iure ſeu poteſtate erga has numero perſonas; ſed indeterminatè erga laicos regionem ipſius incolentes. Vnde etiamſi omnes quotannis mutarentur, idem tamẽ maneret Principatus, idem dominium. Similiter cùm aliquis è ſtatu laico tranſit in clerum, non magis amittit Princeps dominium, quàm ſi ille ex terra transferretur in cælum. Subtrahitur quidem aliquid ma-

Reſponſ.

Principes non fuiſſe dominio exutos.

teriæ Iurisdictionis, sed id potiùs in lucro ponendũ Principi quàm damno; vt infrà magis declarabitur. Nimis angusti est animi, qui istud dominij amissionem reputat.

Paradoxa tria.

Porrò in antecedente tria insinuat valde mirabilia. 1. est, quòd Christus si exemisset Petrũ & reliquos Apostolos à Principum sæcularium Iurisdictione, soluisset non impleisset legem veterem. 2. quòd sustulisset Ius naturæ. 3. quòd Ius gentium. Quæ certè non egent magna refutatione.

Luce enim meridiana clarius est, nulli iuri nec nouo, nec veteri, nec naturæ, nec gentium, nec ciuili repugnare, quòd supremus dominus aliquos subditos inferioris domini in suam familiam transferat, & simul à Iurisdictione inferioris eximat. Fide etiam certum est Christum fuisse omnium Principum Dominum, & supremum Imperatorem, non quidem titulo aliquo humano, vt successione hereditaria, vel electione populorum: sed ratione vnionis hypostaticæ, quia filius Dei, *quem Pater* [d] *constituit heredem vniuersorum:* [e] *cui omnia Pater dedit in manus:* & [f] *cui data est omnis potestas in cælo & in terra*. In ò duplex dominiũ in omnem creaturã ei cópetebat. alterum diuinum, ratione diuinitatis, commune illi cum Patre & Spiritu sancto. alterum hypostaticum, vt sic dicam, ratione vnionis hypostaticæ, ipsi propriũ, vtpote immediatè humanitati inexistẽs; de quo intelligendæ scripturæ citatæ. Quibus positis non facile erit Barclaio explicare suam propositionem. aliud est, inferiorem non teneri obedire suo legitimo Superiori, totam suam Iurisdictionem in illum absolutè retinenti; aliud inferiorẽ eximi à Iurisdictione, & transferri in altiorem gradum. illud est cõtra ius naturæ; hoc minimè. Verùm Barclaius pro suo acumine ista non distinguit.

d ad Hebræos. 1. e Ioan. 13. f Matth. 28.

163. 3. Probatio. *Petrus*, inquit, *& cæteri Apostoli antequã*

nequam Christum sequerentur temporali Ethnicorum Principum Iurisdictioni subijciebantur: nec Dominus vllibi disertè & nominatim ipsos ab illa naturalis & gentium Iuris obligatione liberauit: ergo manserunt sub eodem iugo post Apostolatum. 3. Probat.

Resp. negando conseq. Non enim erat opus excipere illos nominatim, & disertis verbis: sed satis erat eos instituere Principes sacrorum in toto orbe. vt enim supremus Imperator eximat aliquem à Iurisdictione inferioris Principis ipsi subditi, non est opus vt nominatim & disertè dicat, Ego te eximo &c. sed satis est vt ipsu faciat Principem, vel suum Vicarium. hinc enim ex natura rei sequitur exceptio. Neque idcirco (vt iste hic rursus oggerit) qui ita eximitur, liberatur à iuris naturæ & gentium obligatione, vt satis ostensum est; imò & per se notum. Sæpe tamen author istud repetit, & plurimum in eo præsidij ponit, putans rationem esse insolubilem. Respons.

Quod addit exemptionem illam fuisse tunc inutilem, & idcirco Christum eam non cõcessisse, valde infirmum est. Primò quia supponit hanc exemptionem à nobis poni per accidens, coniunctam dignitati Apostolicæ, nimirum ex liberali concessione Christi, cùm ex natura rei statuamus illam ex ea dignitate consequi, & intrinsecè esse connexam. 2. Quia etiamsi tunc vtilis non fuisset, posterioribus tamen temporibus poterat Ecclesiæ plurimùm esse opportuna. 3. Quia etiam tùm multiplicem vsum ista potestas habuit in Christianorum gubernatione, vt paulò antè ostensum est num. 161.

4. Probatio. Apostoli docuerunt, Christianis subiectionem & obedientiam esse Principibus exhibendam: ergo & ipsi eam exhibuerunt; alioquin potuisset illis exprobrari, aliud eos fecisse, aliud docuisse. 4. Prob.

Re-

Respons. Respondeo 1. hoc argumentum parum habere virium, cùm & Christus & ipse Deus idem docuerit, & summus Pontifex idem doceat; qui tamen non tenetur idcirco Principibus parere. Neque illud ipsis probro dari potest, cùm alia subditorum, alia Prælatorum sit ratio. solùm enim inde sequitur Apostolos suis superioribus, si quos habuerũt debuisse parere. 2. Concedo Apostolos exhibuisse Principibus obedientiã, non ex obligatione perfectæ & directæ subiectionis, sed ad aliorũ ædificationẽ, & ne Ethnicos, quibus eorum dignitas erat ignota acerbarẽt, & ansam darent acriùs & specie quadam iustitiæ aduersus religionem nostram sæuiendi. Simili modo Dominus tributum soluit, cùm tamen nullo iure esset ad hoc obstrictus, vt ipse apertè insinuat, Matt. 17. cùm ait: *Ergo liberi sunt filij* &c. addo fuisse subiectos quoad vim directiuam legum communium; quia iure gentium quisque tenetur se accommodare moribus & legibus iustis Reipub. in qua viuit.

5. Probatio. *Paulus appellauit ad Cæsarem: & iussit*

164. *Christianos omnes subiectos esse tẽporali potestati Ethnicorũ,*

5. Probat. *non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ad Rom. 13. ergo Apostoli Principibus suberant.*

Resp. Appellatio non est certum signum subiectionis. possumus enim appellare ad eũ qui tyrannicè Principatum inuasit, si nobis ab inferiore magistratu fiat iniuria. Deinde potiùs ostendit iudicem à quo appellatur, quàm ipsum appellantem esse subiectum iudici ad quem fit prouocatio. 3. Causa illa quæ aduersus Paulum agitabatur, erat merè spiritalis, nimirũ de lege diuina, & Messia; vt patet Act. 25. Itaque non potuit appellare ad Cæsarem tamquam ad proprium iudicem: sed appellauit ad Cæsarem tamquam superiorem Festi, à quo ipsi impendebat exitium, cùm contra omne ius & fas fraudulenter esset tradendus sicarijs Iudæorũ, Act. 23. & 25.

Ad lo-

Ad locum Apostoli Rom. 13. Resp. illum dupliciter exponi posse. 1. Apostolũ generatim loqui de omnibus legitimis superioribus; nimirum quemlibet debere esse subiectum suo superiori. non enim ait: *Omnis anima Regibus subiecta sit*; sed *potestatibus superioribus* ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις: quæ vox generalis est, nec minùs conuenit potestati spiritali quàm ciuili. Deinde quia ratio Apostoli generalis est, imò magis propriè aptatur potestati spiritali, quàm ciuili. spiritalis enim magis directè & immediatè est à Deo instituta, ordinata, & collata homini quàm ciuilis; & magis Deo resistit qui illi quàm qui huic repugnat: & qui illa præditus est, magis propriè est minister Dei, quàm Princeps politicus, vt luculentè tradit S. Ignatius epist. ad Smirnenses, ad locum Apostoli respiciens. Eumdẽ locum generatim intellexit S. Bernardus epist. 183. ad Conradum Imperatorem. *Legi, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quã tamen sententiã cupio vos, & omnimodis moneo custodire, in exhibenda reuerentia summæ & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis ab vniuerso vultis seruari Imperio*. Denique doctrina Apostoli hoc modo magis est vniuersalis, & vt ita dicam formalis. Vnde patet hanc expositionem non esse meram cauillationem viris doctis indignam, vt solitis auxesibus ait Barclaius. Ratio qua ipse id probat falsa est; nimirum non fuisse tunc temporis aliam quàm politicam potestatem hominibus cognitam. hoc enim refutat abundè S. Ignatius loco citato, & ipse Apostolus ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris*, &c. Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Christianis enim notissima erat potestas Ecclesiastica, & illius hierarchica dispositio, graduumque distinctio: de quibus Ignatius suprà, & Dionysius lib. de Ecclesia-

Ad Rom. 13. Omnis anima, &c.

ſtica hierarchia. Nec obſtant illa verba Apoſtoli: *Non ſine cauſa gladium portat*. quia etſi antè generatim loqueretur, potuit mox deſcendere ad ciuilem, eamque commendare, vt oſtenderet Chriſtianam religionem non contemnere & euertere illam poteſtatem, vt Ethnici calumniabantur, ſed honorare & ſtabilire.

Altera expoſitio eſt de ſola poteſtate ciuili: quam expoſitionem quia author tantum in ea præſidij ſuæ ſententiæ collocatum putat, ponamus modò eſſe legitimã. nihil enim inde ſequitur aliud quàm neminem ratione Chriſtianæ religionis eſſe exemptũ à Iuriſdictione Principis, quin teneatur legibus eius iuſtis parere, & poſſit ab eo puniri. Hoc enim ſatis erat tum ad Chriſtianos officij ſui commonendos, tum ad Ethnicorũ falſam criminationem depellendam. Itaque vtrùm ratione Apoſtolatus aliquis ſit exemptus ſaltem quoad vim coactiuam legum, vel an alia ratione Eccleſia aliquem poſſit eximere, Apoſtolus hic non diſputat.

Nec obſtat quòd dicat; *Omnis anima:* vbi nemo excipitur. quia huiuſmodi locutiones prudenter intelligendæ ſunt, iuxta mentem authoris quæ ſemper ſpectanda. Nemo excipitur præcisè ratione religionis; cui non obſtat quin alio titulo excipi poſſit. Nulla ferè eſt propoſitio vniuerſalis, quin patiatur multas exceptiones. Denique etiamſi Apoſtoli, quà ciues, ita fuiſſent poteſtati politicæ per ſe ſpectatæ ſubiecti, vt in conſcientia tenerentur iuſtas leges politicas ſeruare: inde tamen non ſequitur quin ex altera parte, quatenus Principes ſpirituales potuerint eſſe exempti, ita vt abſque ſacrilegio non poſſent puniri.

Potuerũt ſe eximere à Principis Iuriſdictione.

Item non ſequitur, quin propter iniurias quas Principes Ethnici Eccleſiæ irrogabãt, poſſent ſeipſos & clerum, & ceteros Chriſtianos illorum Iuriſdictione eximere; ita vt in conſcientia ſemoto ſcandalo non tenerentur

rentur illis obedire : vt præter alios expreßè docet S. Thomas 2.2.q.10.a.10.

Denique non sequitur quin ipsi in omnes Christianos plenam Iurisdictionem habuerint in ordine ad finem spiritalem. etsi enim subiecti essent Principi Ethnico in temporalibus respectu finis politici : poterant tamen simul esse subiecti Apostolis quoad eamdem materiam respectu finis altioris. hæc enim nullo modo pugnant, vt sæpius ostensum est. Christiani subiecti Apostolis in temporalibus in ordine ad finem spiritalem.

Testimonium S. Augustini quod author adducit ex lib. quarumdam exposit. in epist. ad Rom. nihil aliud probat quàm ratione Christianismi, per quem in libertatem vocati sumus, non liberari nos à subiectione politica. quod libenter fatemur. Non tamen negat, quin alia ratione quisquam ab ea liberari possit.

6. Probatio. *Si ergo nullam temporalem potestatem habuerunt tunc Apostoli in priuatos homines regeneratos, & filios Ecclesiæ factos : qui fieri potest vt successores Apostolorum eam potestatem in Principes ad Ecclesiam venientes nacti sunt?* Et paulò pòst. *Quid indignius & iniquius dici potest, quàm eos* (Principes) *fidem Christi profitentes duriore iugo pressum iri, quàm singulos de multitudine?* 165. 6. Probatio.

Resp. Hic assumi tamquam conclusum ex ijs quæ proximè antecedunt, Apostolos nullam habuisse potestatem in vllo euentu in res temporales Christianorum : cùm id minimè conclusum sit. quia solùm conatus est probare Apostolos fuisse subiectos Principibus Ethnicis, vt patet ex quinta probatione. Itaque vel non bona fide hic disputat, vel non aduertit quid antè concluserit. Negamus ergo quod hic tamquam probatum assumitur. habuerunt enim Apostoli, cùm id posceret bonum spiritale, non minorem potestatem in priuatorum res tēporales, quàm modò habeant Ecclesiarum Prælati. Refutatur

Vnde etiam negamus Principes ad Ecclesiam accedentes, duriore iugo ab ea premi quàm priuatos. est enim eadem priuatorum & Principum ratio, proportione seruata.

Addo, valde mirum videri à viro prudente, qui se Catholicum profitetur, toties in hoc libello ingeminari, ponderari, & amplificari, infelicē Regum ad Ecclesiam venientium fore sortem, ac durū iugum, si summo Pontifici, certo euentu poscente bono spiritali, vt Catholici Doctores ponunt, in temporalia illorum aliquid iuris concedatur. quis enim Catholicus aut aliquo religionis sensu præditus dicat duram esse conditionem, quòd non possim impunè religionem vastare, & infinitas animas mecum orco demergere? Quis putet graue iugum quòd sit aliquis in orbe, qui talia tentantem & molientem, post benignas monitiones, post preces & obsecrationes; denique post minas, post spiritales omnes pœnas, possit tamdem vrgere pœna temporali, & priuare potestate ac dignitate temporali, qua tam scelerate in tantam boni spiritalis, quod infinitè melius est, perniciem abutor? Scilicet non est mihi graue iugum quòd grauissimis pœnis spiritalibus, & cælestium bonorū priuatione possit me Papa à malo reuocare: sed, quòd per ablationem temporalium rerum quibus abutor in exitium religionis, & infinitarum animarum, possit id facere; id demum est graue onus, & iugum intolerabile. Quis adeo vecors est, qui hunc sensum non videat esse Atheisticum, vt qui spiritalibus longè præponit tēporalia?

Non esse durū aut molestū.

166. Subijcit deinde responsionem quorumdam Doctorum, quam mox conatur refellere. *Nec iuuat*, inquit, *aduersariorum causam, dicere Apostolos ideo non habuisse temporalē potestatem in sui sæculi Principes, quia nondum facti erant Christiani, secundū illud: Quid enim mihi de ijs*

Discrimē inter Principes Ethnicos & Christianos.

de ijs qui ſunt foris iudicare? Papam verò nunc illam poteſtatem habere, quia facti ſunt Chriſtiani & filij Eccleſiæ, cuius ipſe eſt ſupremus Princeps: & rectum naturæ ac rationis ordinem poſtulare, vt filius patri, non pater filio ſubijciatur. 1. Corinth. 5.

Ad quod reſpondens Barclaius. *Hæc*, inquit, *adeo nihili ratio eſt, vt mirum ſit locum ei aliquẽ à viris doctis datum eſſe.* Ita primùm more ſuo ἐξουθενίζει rationes aduerſas, etſi fortiſſimas. Deinde cur ſit adeo nihili, cauſam adfert. *Nam*, inquit, *illa ſubiectio ſpiritalis per quam Principes facti ſunt filij Papæ, penitus diſtincta eſt à ſubiectione temporali, ita vt altera alteram non ſequatur:* idq; declarat exemplo Conſulis, qui ſe dat alicui ciui opulento in adoptionem. Reſponſ. Barcl.

Sed tantùm abeſt vt Barclaius oſtendat illam rationem eſſe nihili, vt ipſe in ſua ratione vel petat principium, vt plerumque facit, vel nihil dicat. Nam per *ſubiectionem temporalem* vel intelligit ſubiectionẽ in temporalibus etiam reſpectu finis & boni ſpiritalis, & hoc modo petit principium, cùm ait hanc ſubiectionem eſſe diſtinctam & ſeparatam à ſubiectione ſpiritali. hoc enim eſt quod vertitur in quæſtionem, etſi ſub aliis terminis. Nos enim aſſerimus illam ſubiectionem formaliter eſſe ſpiritualem, quia in ordine ad finem ſpiritualem, & neceſſariò ſequi ex ſubiectione in ſpiritualibus: adeo vt hoc ipſo quo quis eſt ſubiectus alicui perfectè in ſpiritualibus, ſit etiam ſubiectus in temporalibus, quatenus bonum ſpirituale poſtulat. Refutatur

Si verò per *ſubiectionem temporalem* intelligat eam, qua quis ſubijcitur vt regatur in ordine ad finem temporalem, quæ ſola propriè ſubiectio temporalis vocatur; ſic verum eſt, eam eſſe diſtinctam à ſubiectione ſpirituali. Sed quid hinc ſequitur quod vel in ſpeciem illi rationi Doctorum aduerſetur? omnes enim fatentur hac ſubiectione Principes non eſſe ſummo Pontifici ſubiectos:

an ideo ſubiecti non erunt, vt regantur in ordine ad finem ſpiritualem? Omitto quod ipſe Barclaius alibi ſæpè talem ſubiectionem in temporalibus quoad obligationem parendi in Principibus fateatur: etſi dicat eos propterea non pœnis tēporalibus, ſed ſolis ſpiritalibus poſſe puniri, apertè ἀσύστατα connectens.

Exemplum de Conſule nihil ad rem facit. Conſul enim dum tradit ſe in adoptionem v. g. Caij, non ſubijcit ſe Caio in ordine ad finem altiorem, ſed ad finem inferiorem; nimirum ad bonum œconomicum, quod eſt vnius familiæ: hoc enim eſt finis adoptionis & inſertionis in familiam. at finis Conſulatui propoſitus eſt bonū publicum, quod longè eminentius eſt quàm bonū domeſticum. Vnde Conſul, quà Cōſul, poteſt ſtatuere de bono domeſtico ciuium, quatenus opus eſt ad ſuum finē. Itaque mirum non eſt, ſi Conſul Caio faſces Conſulares non ſubmittat, ſuam poteſtatem & dignitatem minimè ſubijciat: cùm ea quæ ad bonum commune pertinent, non debeant diſponi ad commodum alicuius priuatæ familiæ. hoc enim tyrannicum eſt. At verò quando Rex fit Chriſtianus, & adoptatur in filium ſpiritalem Eccleſiæ, ſubbijcitur ei in ordine ad finem longè altiorem, nimirum ad ſalutem æternam: ac proinde in omnibus, quæ ad hanc ſunt neceſſaria, ſiue ea temporalia ſint, ſiue ſpiritualia. Itaque neceſſe eſt, vt ei ſubijciat ſuum regimen temporale, quatenus neceſſarium eſt, vt illud religioni non ſit noxium, nec legi diuinæ diſſentaneum, vt ipſe ſalutem conſequi poſſit. Principes Ethnici non ita ſunt Eccleſiæ ſubiecti. quia etſi populum ſuum contra legem diuinam regant, & ipſi palàm contra illam agant, non poſſunt tamen ab Eccleſia ad æquitatem compelli: quia ſe illi nōdum ſubmiſerunt, nondum in ius Eccleſiæ per baptiſmum (qui eſt ſolemnis totius religionis Chriſtianæ profeſſio) conceſſere.

Rex ſubijcit ſe in ordine ad finem altiorem.

Non

Non tamen ideo sunt feliciores, aut magis liberi, cùm sint mancipia diaboli, serui peccati & suarum passionum, filij tenebrarum & gehennæ.

7. Probatio. Veteres nullam huius potestatis mentionem fecere, quamuis à Principibus etiam Christianis Ecclesia interdum grauiter vexaretur. *Nemo*, inquit, *inter antiquos Pontifices extitit, qui se Imperatoribus iure diuino superiorem in temporalibus, vel verbo, vel scripto vmquam significarit: quin potiùs vt quisque doctrina & sanctitate magis excelluit, ita Imperatorem submissiùs obseruans, eius subditum & seruum se esse professus est. Sic Gregorius ad* [g] *Mauricium: Ego autē indignus Pietatis vestræ famulus, inquit. Et paulò pòst. Ad hoc enim potestas super omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data est. En vt sanctissimus hic Pontifex testatur Imperatori potestatem cælitus datam super ipsum Papam, super omnes inquit homines: super Papam ergo, si homo est.* 167. 7. Probatio. g. lib. 2. epist. 61. indict. 11.

Resp. non fuisse opus vt expressè & disertè mentionem facerent potestatis priuandi noxij Principis iure tēporali: tum quia non fuit commoditas vtendi sua potestate, tum quia satis eam indicarūt, quando docuerunt eos esse subditos Prælatis Ecclesiæ, sicut oues suis pastoribus; & sicut caro subiecta est spiritui; vt patet ex Gregorio Nazianzeno, & Ambrosio suprà num. 154. Gelasio epist. 10. ad Anastasium Augustum, Symmacho in apologetico aduersus Anastasium Imperatorem, & alijs quos suprà in priore parte huius disput. probat. 4. & 5. adduximus. Inde enim manifestè sequitur, posse eos statuere de temporalibus, quatenus opus est vt cōsentaneè legi diuinæ gubernentur &c. Resp.

Adde, quòd Pontifices plusquam 400. annis vsi fuerunt hac potestate nemine repugnante, nemine de ea dubitante, nimirum ab anno 750. vsque ad tempora Gregorij 7. quando aliquot simoniaci & concubinarij

se opponere cœperunt, qui tamen non tam negarunt in genere legitimo Pontifici hanc potestatem, quàm improbarunt in facto particulari eius vsum; vt suprà num 97. ostensum est.

Itaque quod primo loco assumitur falsum est, si de re ipsa loquamur, & verborum captiones sequi nolimus. Similiter falsum est quod adiungitur: *neminem inter antiquos* &c. etsi enim non adderent illa verba *in temporalibus*, tamen quia docebant Romanum Pontificem esse omnium Christianorum pastorem; & etiam pro ipsis Regibus rationem Deo redditurum, & similia: eo ipso satis declarabant se posse Regibus in temporali administratione, quatenus ad salutem & religionis incolumitatem opus est, imperare. Falsum etiam est quod 3. loco dicit. pauci enim Pontifices se Imperatoris subditos & seruos professi sunt. Nam passim vocant eos sicut alios Reges Christianos, suos filios. Sic Simplicius Papa circa annum Domini 470. epist. 3. ad Zenonem Augustum. *Clementissime & Gloriosissime fili Imperator Auguste*. Gelasius circa annum Domini 495. ad Anastasium Augustũ. *Nosti etenim fili Clementissime, quòd licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis*. Anastasius Papa circa annum Domini 497. ad Anastasium Imperatorem sic scribit. *Gloriosissimo & Clementissimo filio Anastasio Augusto*. Hormisda circa annum 514. epist. 22. ad Iustinum Imperatorem, vocat illum *filium Gloriosissimum*. Denique ita passim alij & ante S. Gregorium & pòst. Si Imperator est *filius Pontificis*, quomodo ergo illius Dominus est, & Pontifex eius humilis seruus, & indignus famulus? Sanè si tanta est eminentia Imperatoris supra Pontificem, vt absolutè Pontifex sit dicendus famulus & seruus indignus Imperatoris; magna ei fit iniuria quòd vocetur

Papa Imperatorē vocat filium.

filius

filius. quis enim velit à suo famulo vocari filius?

Nec obstat quòd S. Gregorius epist. 62. lib. 2. Mauricium vocarit *Dominum suum serenissimum, & se indignum Pietatis ipsius famulū:* quia loquitur ibi vt priuatus, non vt Episcopus. *Ego*, inquit, *indignus Pietatis vestræ famulus, in hac suggestione, neque vt Episcopus, neque vt seruus iure Reipub. sed iure priuato loquor*. Potest enim quilibet semota animo sua dignitate, considerare seipsum secundum proprium statum, quem ex se habet; spectata interim dignitate alterius, quam habet ille à Deo: & hoc modo se illi submittere & postponere. Ad hoc enim virtus humilitatis inclinat, quæ facit vt in nobis cōsideremus proprios defectus quos habemus ex nobis; in proximis perfectionem & excellentiam quam habent à Deo; vt hac ratione non efferamur in superbiam, sed agnoscentes quid ex nobis sumus, & quid proximus ex Deo, nos illi hac ratione submittamus. hoc enim redundat in honorem Dei, quod eius dona in alijs veneremur. Hoc modo S. Gregorius in se suam considerans miseriam, & statum priuatum; in Mauricio dignitatem Imperatoriam, se indignum ipsius famulum, & ipsum serenissimum Dominum appellat. Idem perspicuum est ex ijs quæ paulò inferiùs ait: *Ego verò hæc Dominis meis loquens, quid sum nisi puluis & vermis?*

168. Quomodo Greg. magnus vocat Imp. dominum.

Nunc cuius iudicij est ex huiusmodi loquendi formula colligere veram subiectionem, & parendi in conscientia necessitatem, præsertim cùm quis etiam cum externo Principe, cui nullo modo subiectus est, sic agere possit? non enim appellatio *Domini* semper designat verum Ius imperandi, sed sæpe est titulus honoris, dignitatis, & cuiusdam eminentiæ. Similiter appellatio *famuli* & *serui*, non semper designat veram subiectionem, & obediendi nexum, sed quamdam honorariam & liberam submissionem. quod ipsum apertè indicat

Gregorius explicans qua ratione vocet Mauricium dominum, cùm ait ipsum fuisse suum dominum etiam priusquam erat Imperator: nimirum quia cùm Gregorius obiret Constantinopoli apud Imperatorem munus Apocrisiarij, seu Nuntij Apostolici, colebat Mauricium tãquã virum Aulæ primarium. Denique quid mirũ, si scribens ad Imperatorem vocet se eius famulũ, qui se omnium Christianorum & seruorum Dei vocat seruum? Vtitur autem tanta submissione, vt Imperatorẽ inducat ad reuocandam legem iniquam, qua vetuerat militem, aut publico officio fungentem, effici monachum; quod quia videbat fore valde difficile ob illius superbiam, & animum præfractum, omnibus modis illum delinire conatur. superbi enim non nisi laude & submissione flectuntur. Ex quibus patet nullum esse periculum mendacij in verbis Gregorij, vt frustra contendit aduersarius, etiamsi ipse absolutè non esset Mauricio subiectus. aliud enim est falsum loqui: aliud seipsum secundum suas imperfectiones spectatum alteri submittere.

Ad illa verba Gregorij: *Ad hoc enim potestas super omnes homines* &c. Resp. Ridiculè ea sic premi à Barcl. quasi Gregorius tam vniuersè ea velit intelligi, vt nemo prorsus sit excipiẽdus, cùm vix quarta vel sexta pars hominũ Mauricio subiecta fuerit. loquitur ergo non de omnibus absolutè, sed de omnibus Imperio Romano subiectis, estq; distributio accõmoda; sicut cũ scriptura ait:
Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem* &c. solùm vult dicere omnem potestatem quam habet Imperator in omnes suos subditos ideo datam esse cælitus, vt qui bona appetunt, per eam adiuuentur, non impediantur &c.

Denique vrget extrema verba epistolæ, vbi Gregorius ita concludit. *Ego quidem iussioni subiectus eamdem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per suggestio-*

ctionis meæ paginã sereniſſimis Dominis nuntiaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui: qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi, minimè tacui. Quibus verbis putat Gregorium expreſsè ſuam ſubiectionẽ declaraſſe. Verùm fallitur plurimùm, quia certum eſt quòd Gregorius non tenebatur iniquam & Euangelio repugnantem legem ab Imperatore in materia ſpiritali conditam promulgare; aut ad alios promulgãdam mittere. Illud ergo *iuſſioni ſubiectus*, intellige non iure, ſed facto; ſicut cùm alicui iniquum præceptũ imponitur à Tyranno, ille iuſſioni & præcepto ſubiectus eſt, quia reipſa illi imponitur etſi iure non obligetur: *Vtrobiq;* inquit, *quæ debui exolui*. Sed aliud erat debitum quo debebat Imperatori parere, legem eius curando promulgari; aliud quo debebat Imperatorem de iniquitate legis monere. illud erat per vim & tyrannidem iubentis; hoc verò ex lege charitatis, & officij paſtoralis. Itaque illa obedientia quam Imperatori præbuit mittendo legem vt promulgaretur, talis erat, qualis Tyranno iniquè cogenti præſtari ſolet. quod ipſe Gregorius in pſal. 5. Pœnitentialem ad illum verſiculum *Tota die exprobrabant mihi*, ſatis indicat: vbi Mauricium cenſet non eſſe habendum inter Reges, quòd Eccleſiã, quam dominam agnoſcere deberet, in ſeruitutem redigere ſtudeat. *Nulla*, inquit, *ratio ſinit, vt inter Reges habeatur, qui deſtruit potiùs quàm regat imperiũ, & quotcumque poteſt habere ſuæ peruerſitatis ſocios, à conſortio Chriſti efficit alienos. qui turpiſſimi lucri cupiditate illectus ſponſam Chriſti captiuam cupit abducere, & paſſionis dominicæ ſacramentum auſu temerario contendit euacuare. Eccleſiam quippe, quam ſui ſanguinis pretio redemptam Saluator noſter voluit eſſe liberam: hanc ille poteſtatis Regiæ iura tranſcendens, facere conatur ancillam. Quantò meliùs foret ſibi dominã ſuam eſſe agnoſcere, eiq; religioſorum Principum exemplo deuotionis obſequium exhibere: nec contra*

Sententia Greg. de malo Imperatore Catholico.

Deum fastum extendere dominationis, à quo sua dominium accepit potestatis. ipse est enim qui ait: Per me Reges regnāt. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino ingratus beneficio, & contra Deum fastuosè terminos, quos posuerunt patres nostri, contempto diuino timore transgreditur, & contra Catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur. In tantùm autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in dominam gentium terrenæ Ius potestatis vsurpet. Et in versiculum, *Initio tu Domine* &c. eodem psal. *Sunt etiam portæ inferi quædam potestates huius mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste* (Mauricius) *qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? numquid non omnes portæ inferi?* Quibus verbis satis ostendit quale fuerit illud obedientiæ debitum, & subiectio iussionis, & quid in Mauricium, quem nefas ducit Regem appellare, aut in Regum numero censere, statui potuisset, si opportunitas suppeditasset.

169. Hæc cùm ita sint non erat quòd aduersarius ex istis verbis veram colligeret subiectionem, & ita exclamaret, *O diuinum Antistitem, & sententiam nullis non sequentiū sæculorum Pontificibus inculcandam! sed proh numen! quò benigna illa & humilis cōfessio à nostris sæculis exulauit, cui paulatim succreuit hæc minax & fastuosa aduersus Reges & Imperatores oratio: Nos in supremo iustitiæ throno collocati, supremam in omnes Reges & Principes vniuersæ terræ, cunctosque populos, gentes & nationes non humana sed diuina institutione nobis traditam potestatem obtinentes, Declaramus &c.*

Ex Bulla Pij V. aduersus Reginam Angliæ.

Verè diuinum Antistitem! non quia confessus est aut suo facto ostendit Pontificem Imperatori esse subiectum, & debere etiam iniqua præcipienti obtemperare, vt hic insinuat aduersarius: sed quia sapientissimè cum duro Imperatore egit, vt iniqua lex reuocaretur. Hu-

millima

millima quidem vſus eſt oratione, reipſa tamen legem penitus correxit, & non niſi à ſe correctam promulgari curauit: vt apertè colligitur ex epiſt. 11. lib. 7. qua in re oſtendit ſe eſſe Imperatore ſuperiorem, & exemplum ſecuturis Pontificibus dedit quomodo in ſimili euentu ſe gerere debeant. Itaque nulla fuit hic benigna & humilis confeſſio ſubiectionis de iure, vt iſte imaginatur, ſed de facto tantùm.

Neque huic repugnat illa Pij V. ſententia quam aduerſarius adfert: quia qui ex ſe eſt puſillus, infirmus, puluis & cinis, & animi demiſſione omnium ſeruorum Dei ſeruus & famulus, is ſimul ex Deo poteſt eſſe magnus, potens, cæleſti virtute præditus, omnium Paſtor & Iudex. Et qui vno tempore, cùm ei videtur expediens, ſe alteri ſubmittit vt priuatus; is alio tempore re ita poſtulante poteſt ſe illi præferre vt iudex, & oſtendere authoritatem ſibi diuinitus conceſſam: vt ſuo exemplo docuit Apoſtolus 1. ad Corinth. 4. 21. 2. ad Cor. 10. 6. & cap. 13. 3. & ipſe Gregorius locis plurimis. Quantumuis enim eſſet humillimus, tamen nemo ferè dignitatem Sedis Apoſtolicæ magis quàm ipſe defendit, ſua authoritate ſuauiter & fortiter vtens: vt ex ijs, quæ num. 25. dicta ſunt conſtat. Quare immeritò Barclaius Pium V. faſtus & minacitatis incuſat, qui omnium iudicio ſanctitate, & in primis humilitate conſpicuus fuit. An non debebat in ſententia de re grauiſſima explicare ſuam authoritatē qua ſententiam illam dictabat. nimirum quanta ea eſſet, à quo eam haberet, & ad quos ſe extenderet. Id enim omnibus Iudicibus conſuetum eſt; quia totum robur ſententiæ legitima authoritate tamquam fundamento nititur. Itaque ſemper initio ſententiæ ſplendidis verbis authoritas Iudicis eſt proponenda. Quod ſi illa Pij verba nimis magnifica videntur, multò certè magnificentiora ſunt (vt multa alia o-

Defenditur Pius V.

 mittam

mittam) illa quibus Dominus eamdem potestatem explicuit Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quidquid ligaueris super terram, erit ligatū & in cælo: & quidquid solueris super terram, erit solutum & in cælo.*

Sed, inquit, verba illa falsa & inania esse ex eo patet; quòd Papa in Principes & populos infideles potestatem nullam habeat. Verùm ille verba captat, sensum intactum relinquens. agitur enim de Regibus & populis Christi nomen per totum orbem profitentibus, vt etiam Angli tanto terrarum & maris tractu Roma diuulsi, intelligerent se Pontifici Romano subiectos.

Addo etiam in Principes & populos Ethnicos habere potestatem in certo euentu: nimirum si Christianam religionem oppugnent, vt suprà ex S. Thoma, & alijs demonstratum.

170. Omitto quæ hic author in ambitionē, & cæcam, vt ipse loquitur, Pontificum cupiditatem, & palpones eorū accerrimè declamat, quia ad conuitia pertinent. Satis opinor toto hoc cap. 3. declarat, quod aliàs monuimus, se Pontificē perfectè subijcere Principi sæculari; ita vt Princeps sit absolutè & cōpletè eius Dominus, & verus superior sicut est superior Laicorū: & ipse in omnibus verus Principis subditus ac seruus, sicut minimus quilibet laicus. Principem verò non subijci Pontifici nisi secundum quid; adeo vt ratione istius subiectionis Pontifex non possit verè dici superior Principis, nec Princeps eius subditus. Arguit enim Pontifices posteriorum sæculorum ambitionis, quod se profiteantur Regum superiores, cùm Pontifices priorum sæculorum professi sint se esse famulos, seruos, ac subditos Imperatorum. Itaque iuxta hunc authorem falsa & ambitiosa est hæc propositio. *Papa est superior Imperatoris, & Imperator est subditus.*

Detegitur magis sententia aduersarij.

tus Papa: ista autem est vera & iusta confessio: *Imperator est Dominus & superior Papa: & Papa est eius subditus, non minùs quam minimus quilibet è laicis*. quæ doctrina non solùm veritati repugnat, vt ostensum est, sed etiã ipsi authori. 1. Quia alibi docet quòd Papa possit imperare Principi sæculari, & pœnis spiritalibus illũ cogere vt mutet formã gubernationis politicæ, quæ bono spiritali est impedimẽto. quod si ita est, quomodo non absolutè dicendus est superior Principis? 2. Quia docet Papam & Imperatorem seu Principem sæcularem se habere in Ecclesia, sicut in regno se habent Cõnestabilis & Cancellarius: atqui neuter horum subest alteri; ergo nec Papa Imperatori. Verùm pauca iste disputator argumenta conficit, quæ non æquè contra ipsum ac contra nos valeant. Cap. 18.

Postremo loco adducit quædam ex Gaguino & Platina quibus perstringitur Bonifacius 8. verùm nos hic de iure non de factis omnibus disputamus. Optimè defendit Bonifacium Ciacconus, & ostendit virum fuisse summi animi & prudentiæ, & iure fecisse quæ fecit.

Quod ad Gaguinum attinet, non mirum si causæ sui Principis faueat: quamuis non tam iudicio quàm animi morbo se impulsum indicat, cùm ita scribit. *Itaque ea est hodie illorum* (Pontificum) *sublimitas & altitudo, vt parui habitis Regibus, licere illos omnia glorientur*. Similem passionem prodit Platina in Bonifacio 8. cùm scribit, *eum pro arbitrio animi dare & auferre regna conatũ fuisse*. Quis vmquam Pontificum gloriatus est sibi omnia licere, aut conatus est dare & auferre regna pro arbitrio: cùm nihil vmquam hac in re tentarent, nisi alijs omnibus remedijs præmissis, & Principe in malo persistente? His addit author testimonium S. Bernardi lib. 3. de considerat. vbi ait: *An non limina Apostolorum iam plùs ambitio quàm deuotio terit?* Verùm nihil ad rem facit. Lib. 10. historiæ Franc. in vita Caroli 7.

cit. loquitur enim non de ambitione Pontificum, ſed eorum qui ad curiam Romanam pro conſequendis honoribus accurrunt.

171. Refutãtur ſictitiæ anſæ vſurpatæ poteſtatis. Poſt hæc cap. 4. recenſet varias cauſas, ex quibus dicit Pontifices accepiſſe anſam ſibi hanc poteſtatẽ vſurpandi; quarum 1. ait eſſe ingentem honorẽ, qui illis ab omnibus exhibebatur. 2. præiudicatam de ſanctitate illius Sedis opinionem. 3. præoccupatũ vulgi iudicium, qui Papam nec dicto, nec facto putabant poſſe errare. 4. palponum Papæ ſcriptiones adulationis plenas. 5. gladium excommunicationis maximum ſpiritalis imperij propugnaculum.

Verùm in his 1. falſum ſupponit, nimirum hanc poteſtatem non eſſe officio Pontificatus iure diuino & naturali annexam (vt ex ſententia omnium Doctorum ſuprà oſtendimus) ſed ſenſim tyrannico more varijs occaſionibus ſe offerentibus vſurpatã, quomodo interdum potentes ciues vel magnates tyrannidẽ inuadere ſolent. Deinde ſupponit omnes Epiſcopos, Religioſos & Doctores, qui ab 8. vel 9. ſæculis extiterunt, fuiſſe vel palpones Pontificum, qui hanc tyrannicam vſurpationem contra ſuam conſcientiam laudauerint: vel adeo ſtupidos & cæcos, vt tam apertam iniquitatẽ non viderint: vel adeo ignauos, vt ſi fortè viderunt, non fuerint tamẽ auſi Pontifices ea de re monere. Populũ etiam Catholicũ & Nobilitatem cæca ſuperſtitione circa ſanctitatem & authoritatem Pontificis adeo fuiſſe detentam, vt putarent Papam nec dicto nec facto errare poſſe. Itaque facit omnes vecordes, ſtultos & cæcos, vt ipſe ſolus videatur cordatus, oculatus, ſapiens.

Denique videtur author non alia de cauſa iſtas cauſas hic cõmemorare & perſequi voluiſſe, quàm vt haberet ampliorem campum indulgendi animo in conuitia; & ſolutis repagulis argumentorum, intra quæ non datur

ctur iſta libertas, pleno impetu in ſummos Pontifices incurrendi. nullum enim hic nouũ argumentum adfertur, nihil probatur, aut ratione ſtabilitur, quod noſtræ ſententiæ aduerſetur. Quæ verò ex Hoſio & Auguſtino hic rurſus adducit ſuprà n. 98. & 157. à nobis abundè explicata. excuſſimus duabus obiectionibus præcedentibus, quæ Barclaius cap. 2. 3. & 4. adfert, quatenus ea noſtræ ſententiæ poſſunt videri officere. nam etſi illa potiſſimùm adferat, vt ſententiam Canoniſtarum oppugnet; vult tamen eadem non minùs contra noſtrã valere, quàm reapſe ab illa Canoniſtarum negat diſtingui.

SEXTA OBIECTIO,
Ex eo quòd Regnum detur à Deo.

Regna, inquit, *& Imperia dantur à Deo, vt multi ſanctiſſimi Pontifices teſtantur. qua ratione B. Gregorius in vna ad* [a] *Mauricium Imperatorem epiſtola his verbis orditur: Pijſſimus atque à Deo conſtitutus Dominus noſter. & ipſa ſcriptura teſtatur Reges & Imperatores à Deo poteſtatem accipere, cuius ſunt in eo Vicarij.* Quo poſito vtitur hoc dilẽmate: *Aut poteſt ſummus Pontifex aliquo modo, hoc eſt directè vel indirectè, auferre Regibus & Imperatoribus regna atque imperia, alijſque conferre, aut non poteſt. Si poteſt, ergo eſt aliquo modo maior Deo quia quod Deus dedit, ipſe aufert. minor enim vel par non poteſt auferre, quod à maiore vel æquali conceſſũ eſt. Ac ne Vicarius quidem eius qui conceſſit, ſine expreſſo Domini mandato: ne nobis reponant Papam tamquam Chriſti Vicarium id facere, cùm ipſe nullum ea de re mandatum, neque expreſſum neque tacitum accepiſſe inueniatur. Si non poteſt, ergo falſum eſt quòd dicunt eum habere ſummam poteſtatem indirectè diſponendi de omnibus rebus temporalibus Chriſtianorum; & deponen-*

172.

a Lib. 4. epiſt. 31.

 ponen-

ponendi de ſolio Reges & Imperatores, alioſque in eorum locum ſufficiendi. ita cap. 5.

Reſp. Reſp. Eadem ratione probare poſſet author Iudicem ſæcularẽ non poſſe malefico auferre vitã, aut ſi poteſt, eſſe Deo maiorem qui vitam dedit: patrem non poſſe ſpoliari patria poteſtate in filium: maritum non poſſe priuari poteſtate maritali in vxorem, quia Deus hanc poteſtatẽ dedit. quæ cùm abſurda ſint, perſpicuum eſt argumentum eſſe nullius momenti. Etſi enim Regia poteſtas eſſet immediatè à Deo, ſicut vita, Iuriſdictio paterna, & maritalis immediatè à Deo eſt: nihilominus tamen quia non eſt quid inſeparabile ſicut character ſacerdotij, auferri poſſet à ſummo Pontifice, vel in iuſtã pœnam, vel ad neceſſariam religionis defenſionem, ſicut vita auferri poteſt. Nec idcirco oportet Pontificem eſſe Deo maiorem: ſicut Iudex cùm in pœnam delicti priuat aliquem vita, aut patria poteſtate, non eſt Deo maior. Vnde probatio illa, *Minor enim, vel par, non poteſt auferre quod à maiori vel pari conceſſum eſt*, nõ ſolùm eſt falſa, ſed etiam ab omni ratione aliena, & contra vſum quotidianum. deceſſor enim non poteſt ligare manus ſuo ſucceſſori, quin iuſta cauſa occurrente poſſit reuocare priuilegia & Iuriſdictionem quam ille conceſſit: quia parem habet authoritatem. Neque ſolùm par, ſed ſæpe etiã inferior poteſt adimere quod ſuperior conceſſit: nimirum cùm ad bonum publicum ita iudicatur neceſſarium. Sic Vicarius Regis longè abſentis priuat interdum Præfectos Vrbium & Prouinciarum ſuis præfecturis quas à Rege acceperunt, cùm ſua authoritate contra officium Regi debitum, & Reipub. bonum abutuntur. Pari modo ſi Princeps ſua authoritate & potentia, quam à Deo accepit, abutatur contra Deum, & ſalutem populi ſibi commiſſi; poterit Vicarius Christi illum priuare.

Sed

Sed, inquit, *Vicarius Chriſti nullum ea de re mandatum expreſſum aut tacitum accepit*. Imò verò generale mandatum expreſſum accepit. hoc ipſo enim quo iuſſus eſt omnia boni Paſtoris munia obire, ſatis ei mandatum lupos & pernicioſas oues coercere, & viribus nocendi quantùm poſſet ſpoliare. non enim opus eſt omnia in particulari exprimere. Simili modo, hoc ipſo quo quis conſtituitur Vicarius Regis in remotiſſimo regno, vnde Rex facilè conſuli non poteſt; datur ei poteſtas faciẽdi omnia, quæ Rex ipſe ſi præſens eſſet, ad ſalutem regni facturus eſſet, etiamſi ſingula in particulari non exprimantur.

Fallitur author cùm ſuum argumentum confirmari putat ex eo quòd ſimili forma Cardinalis Bellarminus vſus videatur aduerſus Canoniſtas l. 5. de ſummo Pontif. c. 3. Quia etſi forma ſit aliquo modo ſimilis, materia tamen eſt valde diſſimilis. ibi enim agitur de ademptione directa, & pro arbitrio; hic de indirecta, & in caſu neceſſitatis. Si Papa pro arbitrio nulla neceſſitate compellente Principibus ſua ſceptra poſſet adimere, videretur eſſe maior Deo, qui Principibus poteſtatem politicam dedit, vt ipſimet ea vterẽtur. Sicut ſi quis diceret ſe pro arbitrio poſſe homines vita ſpoliare, ſe faceret Deo maiorem, qui id nemini conceſſit. Hinc tamen non ſequitur eum ſe facere Deo maiorem, qui ex iuſta cauſa ſceptrum Principi, vel vitam homini aufert.

Verùm quia ſæpe tum in ſcripturis, tum à ſanctis 173.
Patribus dicitur regna à Deo dari, Reges à Deo conſtitui, breuiter explicandum eſt, quomodo iſta ſint intelligenda. Quidam enim politici propter huiuſmodi loquendi formulas, volunt Reges habere ſuam authoritatem non à populo, ſed immediatè à Deo: ſicut Theologi docent authoritatem ſummi Pontificis non eſſe ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto:

quod confirmat ex Apostolo ad Rom. 13. vbi dicitur, *Omnis potestas à Deo esse:* & Reges dicuntur *ministri Dei*.

Vtrùm potestas Regia sit immediatè à Deo sicut Pontificia.

Verùm hæc sententia rudis ingenij nouum est figmẽtum, nulla ratione subnixum. quod multis argumẽtis probari potest. 1. Si Iurisdictio Regia esset immediatè constituta à Deo, sicut Pontificia, 1. deberet esse vnica sicut Pontificia, & omnes homines vni Regi subesse deberent; sicut omnes Christiani vni summo Pontifici. 2. Iura & priuilegia Regia essent vbique eadem; nec vlla præscriptione possent tolli aut minui: quia quod iure diuino competit, non potest tolli præscriptione. 3. Omnes gentes iure diuino tenerentur habere Regem, nec possent vti alia gubernandi forma. quod enim Deus instituit, non potest sine scelere omitti. 4. Non posset amitti per clades bellicas, aut sententiã Comitiorum regni; sicut nec Pontificia amitti potest. At omnia contrario modo se habent. potestas enim Regia maximè, est multiplex & varia, tum iure & priuilegijs, tum locorum limitibus, & assiduè subest mutationi, faciléque amittitur. Quis dicat Deum immediatè tantam varietatem Iurisdictionis regalis instituisse? aut id quod Deus per se instituit, ita esse variabile, & posse acceptari vel repudiari pro hominum arbitrio? Videmus enim Romanam Rempub. 1. vsam fuisse gubernatione Regia; deinde expulsis Regibus induxisse Consules: postea Decem-viros; rursus post breue tempus Consules, sub quibus perseuerauit vsque ad Iulium Cæsarem, qui per tyrannidem oppressa Repub. vindicauit sibi potestatem Regiam. Similes mutationes in plerisque alijs regnis sæpius extitere.

Iurisdictio Episcoporum immedia-

Dices, Episcoporum Iurisdictio est valde variabilis. potest enim esse maior vel minor, latiùs vel angustiùs patens; & tamen est instituta à Deo. Resp. hoc ipsum exemplum confirmat nostram sententiam. ex eo enim

quòd

quòd Iurisdictio Episcopalis tam variè potest communicari, mutari, extendi, amitti; apertè colligimus eam non conferri immediatè à Deo, sed à summo Pontifice. Nec obstat quod Act. 20. dicantur Episcopi poni à Spiritu sancto. quia potestas ordinis, per quam propriè sunt Episcopi, & ratione cuius debita est illis aliqua Iurisdictio, immediatè à Spiritu sancto datur. Potestas Iurisdictionis datur etiam à Spiritu sancto, sed mediatè, nimirum per summum Pontificem. quod enim authoritate à Spiritu sancto accepta fit, à Spiritu sancto fieri dicitur. Vnde definitiones & statuta Conciliorum dicuntur esse decreta Spiritus sancti; iuxta illud Act. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.*

tè à summo Pontifice.

2. Si Regia Iurisdictio esset immediatè à Deo sicut Pontificia, Deus aliquem primum instituisset Regem, à quo hæc potestas in alios dimanaret, sicut instituit primum Pontificem S. Petrum, à quo omnis Iurisdictio spiritalis per totam Ecclesiam in hunc vsque diem profluxit. At non ita factum est. nam primus qui Regiam potestatem post diluuium habuit, videtur fuisse Nemroth, qui per tyrannidem Imperium Assyriorum sibi vindicauit. idem credibile de plerisque aliarum gentiũ primis Regibus. Si enim 4. illæ celeberrimæ Monarchiæ per vim & tyrannidem constitutæ fuere, vt docet Driedo lib. 1. de libert. Christiana cap. 15. vnde sub nomine & specie quatuor bestiarum à Daniele describũtur; idem de plerisque alijs regnis meritò præsumi potest: successu tamen temporum euaserunt hæc in iusta regna, populo sponte in huiusmodi Imperium consentiente.

Danielis. 6. & 7.

3. Deus non solet per se immediatè præstare, quod per causas inferiores effici potest. At potestas regia abundè conferri potest per causas inferiores, nimirũ per populi consensum. frustra ergo ad Deũ recurritur. Maior per se manifesta est. Minor, nimirũ cõsensum populi

174. Deus per se non solet præstare, cùm causæ cre-

atæ ſup- petunt.

ſufficere, patet 1. Quia hic cõſenſus ſufficit, vt ex tyrãnide fiat verus Principatus. ſic enim in pleriſque regnis

Conſenſum populi ſufficere.

poteſtas Regia cœpit, vt dictum eſt. 2. In omnibus regnis electiuis poteſtas Regia confertur conſenſu populi. quia confertur electione ordinum, qui totum regnum repræſentant, in quorum conſenſu totius populi ac regni conſenſus continetur. In hereditarijs, etſi heres per natiuitatem habeat ius ad rem, non tamen habet ius in re & completum dominium, niſi certo modo à regno acceptetur; vt ex variorum regnorum coronandi formis conſtat. fieri enim poteſt, vt heres non ſit idoneus, imò perniciosus; & ita ſuppetat iuſta ratio illius excludendi, iuxta præceptum Domini Deuter. 13. & 17. 3. In omni Repub. perfecta per ſe ſpectata, quatenus conſti-

Ius defenſionis ſui eſt naturale Reipub.

tuit vnum corpus politicum, iure naturæ eſt poteſtas regẽdi & defendẽdi ſui, & omnia ſua membra, ſicut cuilibet homini priuilegio naturæ competit ius regendi & tuendi vitam ſuam, & membrorum incolumitatem. At Reſpub. cùm longè latéque ſit diffuſa, & quiſque ſuis priuatis negotijs intentus, nõ poteſt per ſe incũbere huic regimini, & publico totius corporis commodo. Vnde neceſſe eſt vt hanc curam alicui committat, vni vel plu-

Duobus modis cõmittitur Iuriſdictio.

ribus: quod duobus modis fieri poteſt. 1. Transferendo in aliquem Ius ſuum, & ſe totam illi ſubijciendo. 2. Non priuando ſe ſuo Iure, nec alteri ſe ſubijciendo, ſed ſolùm committendo ſuas vices tamquã Vicario. Si priore modo fiat, erit Principatus Regius, vel Ariſtocraticus. ſi enim Reſpub. vnum aliquem deligat in quem ſuã poteſtatẽ transferat, & cui ſe ſubijciat, erit poteſtas Regia & principatus Regius. ſi plures deligat, erit Ariſtocratia. Quod ſi Reſpub. nolens ſe alicui ſubijcere, ſed ſuam iuriſdictionem retinere, conſtituat vnum vel plures tamquam Vicarios vel Commiſſarios, per quos totum corpus Reipub. gubernetur; erit Imperium popu-

lare

ſare, quod Ariſtoteles cõmuni nomine ad ſpeciẽ arctato πολιτείαν vocat. Atque ita emergunt tres formæ gubernãdi, Regia, Ariſtocratica, Politica; quæ deinde varijs modis inter ſe miſceri poſſunt. quò enim plura reſeruantur populo vel ordinibus regni, eò plus eſt Politiæ vel Ariſtocratiæ; minus verò poteſtatis Regiæ. quò verò pauciora reſeruantur, & plura permittuntur arbitrio vnius, eò plus eſt poteſtatis Regiæ; minus verò politicæ &c. Hoc modo omnes Philoſophi & Theologi cum Ariſtotele lib. 1. polit. cap. 5. originem harum formarum explicant. Ex quibus patet Regiam poteſtatem ortum habere ab ea poteſtate, quæ iure naturæ omni Reipub. completæ, priuſquam ſe alteri ſubijciat, competit.

4. Idem confirmatur ex iure ciuili. Inſtitut. de iure naturali gent. &c. vbi Iuſtinianus ſic ait: *Sed & quod Principi placuit, legis habere vigorem cum lege Regia quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum, imperium ſuum & poteſtatem concesſerit*. tota ergo poteſtas Principis à poteſtate & imperio populi dimanat. Idem inſinuatur ff. de origine iuris lib. 2. §. Nouiſſimè. *Cõſtituto Principe datum eſt ei Ius* (à populo) *vt quod conſtituiſſet ratum eſſet*.

5. His conſentit tota Theologorum & Philoſophorum ſchola. Vnde Nauarrus in cap. Nouit. de iudicijs notab. 3. num. 85. poteſtatem laicam ex communi DD. ſentẽtia ſic definit: *Poteſtas laica eſt poteſtas naturaliter à Deo immediatè data mortalium communitati, ad ſe gubernandum in rebus naturalibus, vt benè ſeatéque viuant, ſecundum rationem naturalem.* Itaque plenitudo laicæ poteſtatis primò & immediatè cõuenit ipſi communitati; ac proinde Principi non conuenit niſi mediatè, & conceſſu communitatis. Loquor de ea communitate quæ iuſto bello non eſt ſubacta, ſed ſponte ſua in Principem

Poteſtas laica quid.

pem consensit. quæ enim iure subacta est, spoliatur inuita suâ Iurisdictione, quam habebat, eamque sibi iure victor assumit. Sicut enim ista Respub. potest spoliari bonis externis in pœnam iniuriarum quas alteri Reipub. intulit: ita etiam potest spoliari Iurisdictione, quã ipsa ad sui, & suorum ciuium regimen habebat, eaque cedet victori. Quo euentu Iurisdictio à communitate transit ad Principem absque illius consensu in iustam vindictam. Imò fieri potest, vt iniuria sit adeo grauis, vt non solùm ipsa Respub. sua Iurisdictione, & regendi sui potestate; sed etiam singula eius membra sua libertate priuari possint, & subijci seruituti.

175. Cõsensus Reipub. non est illimitatus.

Cùm autem nulla intercessit iniuria, ob quam vi possit subijci, requiritur eius liber consensus. sicut enim inuita non potest spoliari bonis: ita nec Iurisdictione. Hic autem consensus non præstatur absque termino & certa circumscriptione: quia Respub. non intendit illi interminatam præbere potestatem, neque se in omni casu penitus priuare: id enim esset contra ius naturæ, nisi Princeps talis esset, qui à recto declinare non posset; vt docet Almainus lib. de potestate Ecclesiæ cap. 1. Nauar. suprà num. 119. & alij. Itaque præscribit certas leges & limites, intra quos se continere debeat: & eatenus illi suam potestatem concedit: adeo vt intra illos limites ille sit supra totam Rempub. eamque possit obligare & compellere: extra illos nullam habeat potestatẽ, nulla ei debita sit obedientia; quod præter ceteros docet Bernardus Girard Historicus Franciæ pag. 5. vbi inducit Charamondum ita ad populum perorantem. *Dabimus ei bonos Consiliarios, & ipsius potestatem bonis legibus ita circũscribemus, vt non posit facere quæ volet. quod si tantum sibi sumat, vt conditiones quas ei statuemus transiliat, erit in nostra potestate illum throno pellere: quia sicut illi regnum damus, ita possumus auferre, nisi se vt oportet*

bet gesserit. Populus prior est Regibus, cùm ipse Reges fecerit; & iam olim eos abrogare potuit. Idem docet in Pipino pag. 134. ex sententia summi Pontificis Pipinum coronantis.

Hinc videmus Principes dum recipiuntur, multa Reipub. iuramenta præstare, quibus se obstringunt ad eas conditiones seruandas: & Respub. vicissim Principi fidelitatem & obedientiam iuramento interposito spondet. Itaque est vltro citróque obligatio, sicut in alijs contractibus. nam reuera inter Principem & Rempub. contractus quidam tacitè vel expressè intercedit.

His addunt DD. Rempub. numquã ita à se abdicare suam iurisdictionẽ quin eam in habitu retineat, etsi actu & vsu eius careat. *Vnde si incideret casus* (inquit Nauar. suprà n. 120) *quo populorũ gubernationi non prouideretur per eos, quibus electione, hereditate, vel aliàs concessus est vsus Iurisdictionis; poterunt ipsi ea vti, vt clarè docuit Baldus in titulo de allodijs, & in cap. 1. col. 2. secundæ lectionis eodem tit. Imò nullam communitatem posse se ita abdicare hac iurisdictione, vt nullo casu eam resumere posit: quia lege naturali est ipsi insita. Si enim nulla singularis persona potest renuntiare Iuri se defendendi iuxta gloss. Sing. l. pactum inter heredem ff. de pactis: multò minus Resp. poterit renuntiare prædictæ iurisdictioni datæ lege naturæ ad sui defensionẽ & publicam: quia vtraque concessa est lege naturali: & magis est vtilis ac necessaria defensio publica quàm priuata.* Ita Nauarrus suprà nu. 119. qui id etiam confirmat ex l. final. ff. de constit. Princip. & instit. de Iure naturali gent. & ciuili, §. Sed & quod. vbi dicitur; *Populus Romanus Imperatori suã Iurisdictionẽ concessisse, non transtulisse*, vt obseruauit Accursius: quia re vera non omnino transtulit, cùm sibi in habitu eam seruarit; sed vsum concessit. Potest tamẽ dici eam transtulisse, quod ad vsum & exercitium attinet: quo modo intelligenda quæ

Retinet habitu.

Non potest omnino abdicari.

paulò antè de Iurisdictionis translatione diximus. Idem planè docet Iacobus Almainus lib. de potestate Eccles. c. 1. *Nulla*, inquit, *communitas perfecta hanc potestatem Iurisdictionis à se abdicare potest: sicut nec singularis homo potestatem quam habet ad se conseruandum: imò nec ea priuari potest nisi à Deo*. Probat ex glossa in cap. Ostendit, 23. q. 3. Idem insinuat Sotus lib. 4. de iustit. q. 4. a. 1. cùm ait: *Hanc Iurisdictionem competere Reipub. iure naturæ: & quamuis illam transferat in Principem: tamen si Princeps degeneret in tyrannidem, posse Rempub. eum hac potestate priuare*. Et Franciscus Victoria relect. de potest. ciuili num. 10. vbi dicit: *Respub. nullo modo potest priuari potestate tuendi & administrandi aduersus iniurias & suorum & externorũ*. Idem tradit Nicolaus Cusanus (cuius testimonio aduersarij libenter vtuntur) lib. 3. Concordiæ Cathol. cap. 4. vbi inter cetera sic ait: *Hoc est commune omnium peritorum dictum, potestatem condendi leges populum Romanum ab Imperatore tollere posse, quoniam ab ipsis potestatem habet. Sic legimus populum Romanum longo tempore à Regibus rectum, superbiam Regum non ferentem, annua Imperia, binosque Consules fecisse*: Bernardus Girard suprà.

Denique omnes DD. Reipub. perfectæ hanc potestatem regendi & defendendi sui, iure naturæ conuenire statuunt. vnde sequitur Rempub. non posse ita priuari, quin aliquo modo, nimirũ in habitu, eã retineat, & eius vsum in aliquo euentu resumere possit. Quod etiã populus Israel 1. Reg. 14. suo facto declarauit, cùm sua authoritate sententiam Saulis latam contra Ionathan reuocauit. Et 3. Reg. 12. cùm 10. tribus à Roboam ob eius tyrannidem recesserunt, & alium sibi Principem statuerunt. Idem innumeris exemplis tum Reipub. Romanæ sub Regibus & Imperatoribus, tum aliarum Rerumpub. ostendi posset.

Sed

Sed occurrit Author Præfationis pag. 23. *Hoc est* 176.
fasces regios submittere populo, eique occasionem præbere se- 1. Obiect.
ditionum. Minimè gentium. quamdiu enim Rex se tenet intra suos limites, non solùm singulis, sed etiam omnibus & toto regno est superior. quòd si istos limites excesserit, iam non ampliùs est superior; nimirum quoad ea in quibus excedit, sed subditis facit iniuriam. Non tamen idcirco statim priuari potest, aut populus in illum insurgere, sed congruis modis est cōmonendus. Quòd si multis remedijs tentatis malum non videatur remediabile; tum demum populo fas est deliberare quid de eo sit statuendum. Vnde Almainus suprà: *Tota*, inquit, *communitas potestatem habet super Principem ab ea constitutum, quæ eum, si non in ædificationem, sed in destructionem politiæ regat, deponere potest: aliàs non esset in ea sufficiens potestas se conseruandi. Et ista potestate Gallorum communitas quondam vsa Regem suum deposuit, non tam pro criminibus, quàm quòd tāto regimini inutilis esset &c. Hac eadem potestate vsi filij Israel recesserunt à Roboā, qui Salomonis erat naturalis successor, eligentes in Regem super se Ieroboam*, 3. Reg. 12. Neque id propriè est seditio, sed iusta defensio ad sui conseruationem necessaria, qua nulla res priuari potest, vt ostensum est. Accedit, quod ius naturæ dictet in cōtractibus reciprocis, si altera pars fidem violet, alteram non teneri. Hoc tamen euentu apud Christianos non facilè aliquid tentandum summo Pontifice inconsulto, ne fortè ex huiusmodi cōmotione Religio detrimentum capiat.

2. Obijciunt, quòd Reges in veteri testamento im- 2. Obiect.
mediatè à Deo cōstituti fuerint: vt Moyses, Saul, Dauid, Ieroboam, Iehu, à quibus ad alios hæc potestas successione deriuata: ergo similiter in nouo testamento hæc potestas est immediatè à Deo.

Resp. 1. negando conseq. Non enim quòd in pau-

cis tunc factum, extendi debet ad omnes. 2. Verius videri istos non à Deo proximè, sed à populo potestatẽ suam accepisse, excepto Moyse; etsi Abulensis q. 10. in cap. 9. lib. 1. Reg. contrarium sentiat, putetque per ipsam vnctionẽ titulum fuisse collatũ. sed nostrã sententiam tradit Card. Bellar. in recognit. lib. 3. de laicis, & de tribus Regibus probat. Moysen excipimus, quia missus fuit cum extraordinaria potestate vt Propheta, & instrumentum peculiare Dei, ad populum à seruitute liberandum, & educendum in terrã Promissionis. & hanc suam missionẽ abundè maximis signis & portentis probauit. Ratio cur de ceteris ita sentiamus est, quia vbi suppetunt causæ creatæ per quas aliquid confici potest, Deus numquam illud per se immediatè facit, sed vtitur illis causis, easque applicari procurat. Atqui ad conferendam Regiam potestatem illis personis suppetebat causa creata, nimirũ authoritas populi, qui ad hoc poterat conuocari. Itaque vnctio illa non fuit collatio Iurisdictionis Regiæ, sed deputatio dũtaxat ad hanc Iurisdictionem: cui deputationi simul coniuncta erat diuina prouidẽtia, qua ad exitum perduceretur; nimirum qua res ita disponerentur, & populorum animi flecterentur, vt illum sponte eligerent, seque illi subijcerent.

Vtrũ vnctio tribuebat Regiam Iurisdictionẽ in veteri testamẽto.

177. Nec obstat quòd 1. Reg. 8. maiores natu Israel petant à Samuele constitui sibi Regem: quia non petunt vt ipse Regi Iurisdictionem tribuat, sed vt personam spiritu prophetico designet, seu à Deo designari roget, cui ipsi Regiam iurisdictionẽ tutò committere, & se subijcere possint. Nam vt Deuter. 17. dicitur, ad populum pertinet sibi Regem constituere; nimirum quod ad Iurisdictionis collationem attinet: personam tamen à Deo designari cupiunt, ne in electione errent, & vt aptissimus præficiatur. Confirmatur. quia si per vnctionem illam primam collatus fuisset titulus, non fuisset postea

opus

opus electione, aut consensu populi, vt Rex fieret (sicut non fuit opus electione vt Moyses Dux fieret populi) sed solùm declarandum fuisset populo illum à Deo esse constitutum. Atqui opus fuit electione, vt patet in Saüle, qui sorte electus est, Deo sortes dirigente, & animos populi in illum inclinante. Imò cùm multi post sortes in personam non consentirent, Samuel paulò pòst congregauit rursus populum in Galgala, vt innouarent ibi regnum, id est confirmarẽt illi Regiam authoritatem. *Itaque perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino*: vt habetur 1. Reg. 11. Populus igitur Saülem, quem Dominus ad regnum vnctione deputarat, & sorte declararat, Regẽ fecit: ac proinde Deus non fecit illum Regem nisi mediante populi consensu, quẽ tamen ipse sua prouidentia procurauit.

Idem patet in Dauide & in Ieroboam. Dauid enim etsi inunctus esset à Samuele, tamen quamdiu vixit Saül semper illum suum Dominum agnouit, & se vt subditum gessit, & nefas esse duxit in illum insurgere, etsi grauem ab eo persecutionem pateretur. Illo verò mortuo, non statim regnum sibi vindicauit; sed solùm postquam à populo solemniter in Regem vnctus fuit. Vnde 2. Reg. 2. dicitur: *Venerunt viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda*. Et 2. Reg. 5. post 7. annos vngitur in Regem super Israel.

Ieroboam autem Deus promittit regnum Israel per Ahiam Silonitem. *Dabo*, inquit, *tibi decem tribus*, 3. Reg. 11. Confert autem per electionem populi cap. 12. *Cùm audisset omnis Israel, quòd reuersus esset Ieroboam, miserunt & vocauerunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum Regem super omnem Israel.*

De Iehu est maior difficultas: quia missus videtur cum potestate extraordinaria, tamquam vltor diuinæ iniuriæ ad interficiendum suum Principem, & delen-

dam totam familiam Achab. Nihilominus ille non gessit se pro Rege, nisi postquam à Ducibus exercitus fuit in Regem acceptatus; qui id potuerunt facere, partim propter idololatriam Regis & Reginæ, iuxta præceptũ Deuter. 13. & 17. partim propter Prophetæ authoritatem.

178. Displicuit Deo quòd Regẽ peterent.

Denique Deo vehementer displicuit, quòd Iudæi Regem peterẽt 1. Reg. 12. quia meliùs illis erat per Iudices consilio Sacerdotũ gubernari: vt ostendit Abulensis in illum locũ. maior enim sic erat à Dei nutu & voluntate dependentia. Si Deo displicuit, quomodo ipse immediatè hanc potestatem in illis instituit? Si Deo displicuisset Rempub. Christianam regi in spiritalibus per summum Pontificem, numquam illam potestatem instituisset. Itaque permissiuè se habuit in Regis institutione, solumque personam designauit.

Ex his perspicuum est, Reges non accipere suam potestatem immediatè à Deo, cùm etiã illi, quos Deus peculiari modo Reges fecisse dicitur, non nisi mediante consensu populi illam acceperint. Accedit, quòd phrasi scripturæ etiam ea dicantur à Deo dari vel fieri, quæ peculiari diuinæ prouidentiæ permissu fiunt: etiamsi Deus directè ad hoc non cooperetur, nec cupiat tale quid fieri, quo modo Iob 30. dicitur: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. & Esaiæ 3. *Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis*. Simili modo intelligendi Patres, cùm de Tyrannis loquentes, dicunt eos à Deo constitutos.

Minister Dei.

Dicitur Princeps *Minister Dei*, quia Deo subest, & authoritate à Deo accepta (mediante consensu populi) ipsi seruit, curãdo vt ipsius leges naturæ Ius continẽtes à populo seruentur. Minùs propriè dicitur *Vicarius Dei:* quia propriè gerit vices regni, à quo immediatè suã authoritatem accepit. quia enim regnum per se gubernare non potest, ipse vice Regni fungitur. Non dicitur

Vicarius Dei.

propriè

propriè *Minister populi:* quia etsi authoritatem à populo acceperit, est tamen toto populo maior actu, quamdiu intra suos limites consistit: quia populus suam in illum authoritatem transtulit, seque illi subiecit; etsi populus habitu, vt sic dicam, maior maneat.

Ille locus Apostoli ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo* &c. nihil probat peculiare de potestate regia: quia loquitur de omni iusta potestate. Vnde non minùs potestas Optimatum & Reipub. ministrorum est à Deo, quàm Regum; etsi Regum sit excellentior. Omnis enim potestas politica immediatè à Deo dimanat in Rempub. ita vt Respub. iure diuino naturali omnem hanc potestatem habeat. A Repub. autem deriuatur in vnum vel plures modo suprà explicato: & consequenter hi habent à Deo suam potestatem, sed mediatè; quo modo etiam omnis lex iusta dicitur esse à Deo, & omnia opera naturalia creaturarum dicuntur opera Dei.

OBIECTIO SEPTIMA,
Ex defectu Iuris, & probationis.

SI *verum est*, inquit Barclaius cap. 5. *Papam habere potestatem indirectè disponendi de temporalibus omnium Christianorum; aut eam habet iure diuino, aut iure humano. Si iure diuino, deberet id constare ex Scripturis, aut certè ex Apostolorum traditione. Ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pōtifici claues regni cælorum: de clauibus regni terrarum nulla mentio fit: traditionem Apostolorum nullam aduersarij proferunt* &c. 179.

Resp. Papam habere hanc potestatem iure diuino, idque satis constare ex Scripturis, vt suprà num. 63. & sequentibus, & num. 144. ostensum est. Continetur hæc potestas etiam in *clauibus regni cælorum*, siue per illas claues intelligamus supremam potestatem regendi Ecclesiam

clesiam, & ad regnum cælorum disponendi: siue potestatem amouendi impedimenta salutis. qua de re plura loco notato.

Quæ deinde author subijcit de posse *directè* & *indirectè*, & quando aliquid directè prohibitum fieri, id nec indirectè fieri posse; ad nihil aliud valent, quàm ad eius ignorantiam conuincendam, vt qui statum quæstionis intelligere non videatur. Qua de re satis multa suprà n. 155.

OCTAVA OBIECTIO,
Ex eo quòd veteres huius potestatis non meminerint, nec ea sint vsi.

180. *NEque vsus, neque exemplum, neque mentio vlla talis Pōtificiæ potestatis annis circiter mille in Ecclesia fuit: cùm multi interea Principes Christiani impiè, crudeliter, & magno Ecclesiæ detrimento Regnis & Imperijs abuterentur. ex quo duorum alterum consequi necesse est; aut illorum tēporum Pontifices officio suo defuisse: aut sequentium temporum Pontifices maiore cum potestate Ecclesiæ præsedisse, & etiamnum præsidere*. Ita Barclaius cap. 6.

Resp. 1. falsum esse nullum fuisse vsum, nullum exemplum in Ecclesia mille annis. Nam suprà n. 85. & sequentibus quinque vel sex exempla attulimus ante annum millesimum gesta. 2. Falsum esse nullam fuisse olim in Ecclesia huius rei per mille annos mentionem. id enim tum exempla allata, tum testimonia Patrum nu. 74. & 75. descripta confutant. 3. Quòd Ecclesia aduersus Iulianum apostatam, Constantium & Valentem Arianos, Anastasiũ Eutichianum; Heracliũ Monothelitā nihil tale tentauerit, huius rei causa fuit, non quòd iure ad hoc destituta fuerit, vt vult aduersarius, sed quòd non iudicauerit opportunum exequi. 1. Quia

Impe-

Imperatores illi latissimè dominabantur, nec quidquam contra eos decerni poterat, quin totus penè orbis Christianus bello implicaretur. 2. Quia ipsi summi Pontifices, & primarij quique Præsules erant in illorũ potestate, cùm Italia tota Imperatoribus pareret. 3. Quia plerique duces & magistratus Imperatoribus erant addicti. Vnde etiamsi plebs maxima ex parte fuisset Catholica, non poterat tamen quidquã per eam securè tentari. Pauci enim qui magistratus & præfecturas gerunt, maximam hominum multitudinem facilè coercent: vt quotidiana experientia docet. Etsi enim quibusdam locis decuplo plures sint Catholici quàm hæretici: tamẽ quia hæretici præfecturas & arma tenent, nemo se illis audet opponere. 4. Tempore Constantis, Iuliani, & Valentis, innumeri erant Ariani, Ethnici, & Iudæi, qui omnes Imperatori se iunxissent. Idem dico de temporibus Anastasij & Heraclij. Deinde facile fuisset Imperatori accersere in auxiliũ Persas, Armenos, Pannonas, Gothos, Wandalos, Hunnos, Alanos, aliosque barbaros vicinos; sicut fecit Bonifacius in Africa, & Narses in Italia. 5. Non solet Ecclesia rem tantam aggredi, nisi post longam deliberationem cum Principibus & Prælatis variarum gentium, & plerumque non nisi coacto Concilio Episcoporum. Talis autem deliberatio securè iniri non poterat, ob multitudinem Episcoporum Arianorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ hostium. 6. Non erant alij Principes Christiani supremi magnæ potentiæ, qui se Imperatori pro Ecclesia possent opponere.

Cur Ecclesia non sit vsa sua potestate aduersus Impp. hæreticos.

Denique nomen Imperatoris apud sæculares erat summæ authoritatis, & tamquam Numen à multis suspiciebatur. Vnde dicebatur *Imperator omnia posse: omnia esse Imperatoris*, vt patet ex Ambros. epist. 33. ad Marcellinam sororem. Ecclesiæ autem dignitas & potestas

plerisque nō ita erat perspecta, nec facilè poterat omnibus patefieri. At inquies, Pontifex potuisset occultè submittere percussorem, qui tyrannum è medio tolleret. Sed hic modus alienus est ab Ecclesiæ moribus, & indignus Pontificia grauitate. Non decet Principem Sacrorum occultè grassari, sed palàm sua iudicia exequi. vnde non legimus eum vmquam hoc modo contra Tyrannos vsum. Ex his patet periculosissimum fuisse Ecclesiam hoc suo Iure in illos Imperatores vti. Posterioribus verò temporibus, quando Ecclesia hac potestate clarè vti cœpit, angustiores erant Imperij termini; & multi erant alij Principes Christiani potentissimi, qui causam Ecclesiæ tuerentur. Non enim decet, vt summus Pontifex aut Prælati per se bellum gerant.

181. Barclaius totis ingenij neruis contendit Ecclesiā facilè potuisse Imperatores illos in ordinem redigere, & acriter in Franciscum Romulum inuehitur, qui contrarium in suo libello scripserat. Sed verba captat, nec bona fide cum illo agere videtur. non enim dicit Romulus Episcopos nunc non debere esse paratos ad martyriū, vt illi imponitur; sed solùm vult dicere, olim ita fuisse oppressam Ecclesiam Romanam ab Imperatoribus, vt summus Pontifex cum Episcopis potiùs deberent cogitare de subeundo martyrio, quàm de illis coercendis. At postea fuisse liberatam hac oppressione, & ita res dispositas, vt cum spe fructus videretur sua potestate vsura. Itaque vana est illa longa in Romulum & Episcopos declamatio. Deinde non dicit Romulus, posterioribus sæculis Principes potuisse coerceri sine detrimento populorum: sed solùm vult illud detrimentum non fuisse adeo magnum, quin fructu sperato facilè compensaretur.

Argumenta quæ deinde adfert cap. 7. vt probet Ecclesiā facilè potuisse, & sine populi detrimēto coercere

re Imperatores, nullius sunt momenti: nec egent vlla responsione, si considerentur rationes quas attulimus. Mirum profectò Nouatorum ingenium: ea quæ hactenus omnibus visa falsa assumunt tamquam certò & perspicuè vera, vt refutent ea, quæ hactenus visa manifestè vera & indubitata. Quis vmquam dubitauit quin populus Christianus posset resistere suo Principi volenti religionem euertere, & eius loco inducere idololatriam, vel atheismum? At iste negat fieri posse: & statuit Ecclesiam ac populum Christianũ debere permittere, vt Princeps totam Christi religionem cum infinitarum animarum æterno exitio deleat, nec posse illi resistere armis, etiamsi facillimè, & sine vlla strage id fieri posset. Ad quod παραδοξότατον placitũ probandum, assumit id quod hactenus ab omnibus negatũ; nimirum Ecclesiam facile potuisse olim coercere persecutores religionem vastantes; tamen noluisse, quòd indicaret resistere hoc casu suo Principi, esse fœdam & iniquam rebellionem.

Quod ad Iulianum attinet. fuit ipse creatus per exercitum; sed sua hypocrisi tum exercitum, tum Ecclesiam decepit, simulans se Christianum, donec se firmasset, Præfecturis maximis in homines impios collatis. Neque facilè erat exercitui tunc persuadere, vt eum deponeret; quia plerique erant vel hæretici, vel gentiles, vel rudes rerum Christianarum, præsertim earum quæ ad potestatem Ecclesiasticam pertinent: nomen autem Imperatorium apud omnes erat in summa veneratione. Tamdem tamen cùm vix triennium regnasset, interfectus est incerto quidem percussore; tamen multorum opinione ab aliquo milite Christiano: *quod fortasse verum erat*, vt ait Sozomenus lib. 6. cap. 2. 182. De Iuliano.

De Valentiniano. esto, Valentinianus aliquo modo in potestate Ambrosij tunc fuerit; ipsius non erat illum deponere, sed summi Pontificis. Deinde non ita De Valẽtiniano.

 erat

erat in illius potestate, vt pro arbitrio suo absque ingenti cæde posset de illo statuere. etsi enim plerique milites fauerent Ambrosij fidei, & nollent Imperatorem ad Ecclesiam Arianam comitari; non tamen idcirco parati erant illum deponere. Præterea eo tempore maior pars Senatus, & potentum Romanorum adhuc erat Ethnica, vt patet ex oratione Ambrosij de obitu Valentiniani. Denique cùm Imperator esset iuuenis, optima erat spes eius conuersionis. Hæc sufficiant aduersus rhetoricas authoris amplificationes.

Testimonium Gregorij Nazianzeni ostendit Iuliani potentiam (quam etiam initio orat. 1. insinuat) non defectum Iuris in Christianis ad illum coercendum, vt ridiculè author colligit.

His adde, si obiectio ista octaua aliquam vim haberet, non minùs probaret defectum potestatis excommunicandi, quàm Imperio abdicandi. quia supradictos Imperatores Ecclesia non excommunicauit. Constat tamen, & fatetur Barclaius Ecclesiam hanc potestatem habere. Sicut ergo Ecclesia ob iustas causas non putauit hac potestate sibi in illos vtendum: ita dicere possumus eam causas habuisse, cur nollet eorum depositionem attentare.

NONA OBIECTIO,
Ex testimonijs Patrum.

183. BArclaius cap. 8. adducit aliquot Patrum sententias, quarum pleræque producuntur in libello Regio, & in quæst. Blacuelli. Primus sit Tertullianus, *qui in apologet. de Imperatoribus loquens: Sentiunt*, inquit, *Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quo secundi, post quem primi, ante omnes Deos, & super omnes homines*. Et alibi. *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi*

ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consecutū, solo Deo minorem. sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est. Hæc ille, non ex sua sed communi Christianorum omnium persona, velut certam & indubitatam totius Ecclesiæ doctrinam profitetur.

2. Sit S. Ambrosius qui *de Dauide adulteriū homicidio cumulante scribens: Rex vtique erat*, inquit; *nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperij potestate.* Apolog. Dauid.

3. B. Gregorius Archiepiscopus Turonensis, qui Francorum Regem Chilpericum sacerdotes Dei vexātem his verbis alloquitur. *Si quis de nobis, O Rex, iustitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris audis: si autem nolueris, quis te damnabit, nisi is qui se pronuntiauit esse Iustitiam?* Lib. 5. hist. c. 7. Aimoinus l. 3. c. 26

4. Sit *Gregorius magnus Gregorij Turonensis ferè coetaneus, qui cùm Pontifex maximus esset, Imperatoris se famulum & subditum esse fassus est: ipsiq́; Imperatori potestatem cælitus datam in omnes homines humaniter humiliterq́; agnouit, vti paulò antè retulimus.*

5. *Præclarus antistes Otto Frisingensis: Soli Reges*, inquit, *vtpote constituti supra leges, diuino examini reseruati, sæculi legibus non cohibētur: vnde est illud tam Regis quàm Prophetæ: Tibi soli peccaui. Et infrà. Regibus quia nullum supra se habent quem metuāt, eò erit horribilius incidere in manus Dei viuentis, quò ipsi ceteris possunt peccare liberius.* Epist. ad Fredericū Ahenobarbum.

His testimonijs recensitis addit author: *Si contrariæ opinionis assertores tot antiquorum Patrum testimonia: imò si vel vnum aliquod proferre possunt, quo disertè scriptū sit, Ecclesiam, vel eius caput summum Pontificem habere temporalem vllam potestatem in Reges, & posse eos temporalibus*

 pœnis

pœnis quoquo modo directè vel indirectè coercere, aut regno, regnóue parte mulctare, non equidem recusabo, quò minùs lis tota secundum ipsos sine prouocatione iudicetur.

Resp. Ita ex culicibus creari elephantos. quasi verò illa testimonia Catholicis antè non sint visa aut intellecta, cùm ferè omnia non solùm testimonia, sed etiam rationum argumenta, quæ iste producit, ex Catholicorum & præsertim Card. Bellar. scriptis sint sublecta: & quæ hic aduersus directum dominium, & directam potestatem profert; iste aduersus indirectam detorquet. Testimonia illa nihil habent difficultatis. sunt enim intelligenda accommodatè, & cum certis limitationibus.

Resp. ad testim. Patrum. Ad 1. Imperator dicitur *primus post Deum, minor solo Deo*, facta cōparatione inter potestates sæculares, vt suprà n. 154. ostēsum: alioquin absolutè est falsum. cælestes enim spiritus longè sunt illo maiores; & dignitas Pontificia absolutè maior est dignitate Imperatoria: vt ipse Barclaius alibi non semel fatetur. Si dicas Imperatoriam esse maiorem *in temporalibus*; hæc ipsa restrictio est particula minuens. esse enim maius in regimine rerum infimarum, non est absolutè, sed secundum quid esse maius: quo modo in regimine nauis, maior est nauarchus quàm Rex. At Pontificia potestas est absolutè maior; quia regit spiritalia, & consequenter etiam ad temporalia se extendit, quatenus spiritalibus deseruiunt. Deinde opus est alia limitatione, nimirum *quatenus ille intra suos limites se continet*. Si enim excedat, iam non est solo Deo, sed etiam suo regno minor; vt suprà num. 175. & 176. ostensum. Declarauit id suo iudicio Senatus Romanus, quando iudicauit Neronem hostem patriæ, & puniendum more maiorum: nimirum, *vt detractis vestibus nudi ceruix inseratur furcæ, & corpus cædatur virgis ad necem*. Omitto alia exem-

Princeps quomodo solo Deo minor.

Cap. 14. & 34.

Sueton. in Nerone cap. 49.

exempla innumera. Denique cùm dicitur, *omnia à Deo consecutus*, & *super omnes homines habere potestatem*, non de omnibus absolutè intellige (vix enim tertia pars orbis illi suberat) sed de omnibus Romano Imperio subiectis.

Ad 2. Ista verba Ambrosij intelligenda sunt de legibus quoad pœnam corporalem, qualis erat adulterij & homicidij, à qua pœna ordinariè tuti sunt Reges potestate Imperij: quia non possunt ob vnum vel alterum factum iniquum in ius vocari & puniri sicut priuati. item de legibus pœnalibus quibus agitur solùm de punitione criminis commissi; non autem quando punitio illa habet rationē necessariæ defensionis. non enim Princeps est liber ab ea pœna quæ in necessariam defensionem boni publici irrogatur; qualis est depositio, cùm alia ratione ad sanitatem reuocari nequit.

Ad 3. Non vult Gregorius dicere Regem iure posse plectere sacerdotes; sed suppetere illi vires quibus reipsa & de facto illos puniebat. Similiter non vult dicere sacerdotibus nullo euentu ius in Regem competere, cùm posset ab eis excommunicationis sententia feriri; sed Regē potentia sæculari stipatum non posse cogi, vt pœnā subeat, & sententiæ deferat, si nolit. Itaque vtrumque de facto non de iure intelligendum.

Ad 4. suprà n. 168. copiosè responsum est.

Ad 5. *Reges sunt supra leges politicas, nec legibus sæculi cohibētur*. quod intellige de legibus illorum proprijs non de legibus Regni, si limites suos excesserint: multò minùs de legibus Ecclesiæ. Non habent vllum supra se quem metuant: quia nulli sæculari potestati, quæ ordinariè illos coerceat, subsunt. Absolutè tamen subsunt potestati Ecclesiæ, sicut oues potestati sui pastoris, cuius sententiam meritò debent metuere, cùm excommunicatio pœna sit grauissima. Verùm quia etiam ad hanc

Sunt supra leges.

pœ-

pœnâ non venitur nisi post multas monitiones se præbeant contumaces, idcirco liberiùs ceteris peccare possunt.

184. Ex his patet quàm friuolum sit, huiusmodi testimonia, & in primis illud, Imperatorem esse solo Deo minorem (quod sæpissime ingeritur) tantopere premere & inculcare; cùm vel nihil probent, vel nimium probent. Si enim vrgeantur nuda verba, nimium probant: nimirum non posse eos ob vllam causam excommunicari; regna non posse se illis in vllo euentu opponere: eos non teneri parere summo Pontifici: cùm tamen fateatur author, Reges in rebus maximis subesse Pontificibus, & debere etiam in politica administratione illis parere, ne bono spiritali officiat. Si autem mens Patrum spectetur, & debitè limitationes intelligantur, nihil probant, nisi quod omnes libentur fatemur.

Nos verò suprà plurima Patrum & Doctorum testimonia apertissima adduximus, quibus ostendimus Principes ita subesse summo Pontifici, vt in aliquo euentu de eorum temporalibus possit statuere. Post hæc multa adducit author vt probet Henricum quartũ non potuisse sine grauibus incommodis coerceri; quæ omnia à nobis suprà n. 98. copiosè sunt discussa. Capite 11. repetuntur breuiter ea quæ aliquot capitibus diffusè dixerat, admixtis sparsim aculeatis in summos Pontifices & Episcopos inuectiuis, absque tamen vllo nouo argumẽto.

Cap. 12. pergit in ijsdem, sæpè repetens, *Reges solo Deo esse minores; solum Deum habere Iudicem; nullis humanis legibus subijci* &c. hoc enim loco tamquã in acropoli quadam inexpugnabili se continet. Sed hæc arx iam sæpius expugnata est & disiecta.

Addit ex iure veteri: *Princeps legibus solutus est* .l. Princeps. ff. de legibus: quod, inquit, de legibus pœnalibus

libus præcipuè Græci intelligunt: ἤγουν ὅτι ἁμαρτάνῃ ἐ κολάζεται, videlicet si delinquat, non punitur. Verùm ad hoc responsum est; esse solutum legibus proprijs, non autem legibus Regni, & pactorũ cum Regno initorum: vt docet Bartolus in l. digna vox. C. de legibus. multò minùs solutus est legibus diuinis & Ecclesiæ.

Sed inquit, ipsi Pontifices testantur *Reges in tẽporalibus non habere superiorem*. Ita est; sed ijdem Pontifices docent in aliquo euentu posse Reges suis temporalibus priuari. Valde stolidus est qui existimat tot Pontifices & omnes Iuris interpretes, qui vtrumq; tradunt, sibi contradicere, suamq́ue doctrinã per imprudentiam & ἀπροσεξίαν euertere. Nemo vsque ad hoc tẽpus aliquam in huiusmodi repugnantiã somniauit. Nec mirum, cùm vtrumque propriè sit verum. Dicuntur enim Principes non habere in temporalibus (hoc est temporalium gubernatione) superiorem: nimirum quamdiu intra suos limites se continent, & ea ritè secundum leges Regni administrant: alioquin si extra septa & cancellos statutos proruperint, si pactis & iuramentis, quibus Regno se obstrinxere calcatis, omnia pro libidine gesserint, nec vllis monitis possint reuocari, iam incipiunt habere superiorem etiam in temporalibus, ipsum nimirum Regnum; vt suprà ostensum est, & vsus omnium Regnorum declarat. Rursus si sua administratione Iura Ecclesiæ violent, bonum spiritale seu Religionis euertant, subditos suos ad hæreses compellant, & secum ad inferos rapiant; iam Ecclesia quæ est ipsorum superior in spiritalibus (id est in omnibus ijs quæ ad diuinæ legis obseruationem & salutem pertinent) ex iure quod habet in spiritalibus, potest illos à sua administratione amouere, idq́ue vel in pœnam criminis, vel in defensionem boni spiritalis. Quamdiu Princeps tẽporalia ita administrat, vt bonum spiritale non lædat, Ecclesia non potest illius

Cap per Venerab. qui filij sint legitimi.

Non habent Superiorem in temporalibus.

se gubernationi miscere; & ita ipse est supremus & absolutus in temporalibus, non agnoscens superiorem.

Quomodo Ecclesia dicatur Superior in spiritalibus.

Dices, Ecclesia solùm est superior Principis in spiritualibus; quomodo ergo potest disponere de rebus eorum temporalibus? Hoc est quod isti toties vrgent homonymo se tegentes. Sed cùm dicitur Ecclesia superior in spiritalibus; per *spiritalia* non intelligitur tantū administratio sacramentorum, & verbi diuini prædicatio (ad quæ duo Politici libenter totam Ecclesiæ potestatem restringerent) sed quidquid ad bonum spiritale conseruandum & promouendum est necessarium. Sicut enim Rex eo ipso quo dicitur superior in temporalibus, intelligitur habere potestatem statuendi de omnibus quæ sunt necessaria ad bonum Reipub. temporale, publicam nempe tranquillitatem, quæ est finis & scopus ipsius potestatis & regiminis: ita summus Pontifex hoc ipso quo dicitur superior in spiritalibus, intelligitur habere potestatem statuendi de omnibus quæ censentur necessaria ad bonum spiritale, cultum, inquam, diuinum, & salutem animarum, quæ est scopus & finis huius potestatis & regiminis. Itaque priuatio Regni etsi in se sit res temporalis seu politica: tamen vt est medium necessarium ad conseruationem religionis, censetur quid non politicum, sed spiritale; & cadit sub Pontificiam potestatem. medium enim accipit speciem ex fine.

DECIMA OBIECTIO,
Ex periculo abusus.

185. RVrsus c. 12. nos ex nostris principijs oppugnat hoc modo. *Summus Pōtifex potest alicui regnū auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutē. Atqui iudicare & decernere an sit necessarium, pertinet ad eumdem*

dem Pontificem, de cuius iudicio æquúmne sit an iniquum, nemo potest iudicare. Can. Patet. Can. Aliorum 9. q. 3. Ergo vbi libitum ei erit, poterit quemlibet regno priuare, & illud alteri conferre. Propositio est ipsamet sententia aduersariorũ: assumptio verò inter omnes Catholicos est extra omnẽ controuersiam. nemo enim nisi hæreticus negabit curam animarum ad Petri successorem & Christi Vicarium pertinere. Conclusio deniqne ex præmissis necessario sequitur.

Respondeo 1. Si hoc argumentum quidquam valeret, multò magis probaret omnes Reges ex rebus humanis exterminandos, & populare regimen vbique inducendum. Longè enim maius periculum est infinitis innocentibus, qui se tueri non possunt, ex iniqua Regum oppressione; quàm paucis Regibus, qui plerumque sua potentia aduersus vim tuti sunt ab iniqua oppressione Pontificum. Possunt enim Reges disponere de fortunis omnium subditorum, quatenus est necesse ad bonum communẽ Reipub. Bartolus in l. Omnes. 8. n. 2. C. Si contra ius &c. & passim DD. Atqui iudicare de hac necessitate ad ipsum Regem pertinet; de cuius iudicio nemo subditorum potest iudicare: ergo pro arbitrio poterit subditos spoliare, vectigalia & tributa augere &c. Item potest varijs criminibus statuere bonorum confiscationem: deinde opulentioribus accusatores excitare, eosque per calumniam opprimere. Huius rei in Imperio Romano, alijsque regnis plurima se offerunt exempla, quæ historiæ suppeditant. An quia possunt Reges hac potestate abuti & interdum abutuntur, idcirco hæc potestas illis deneganda, aut eorum dignitas abroganda? Minimè gentium. multò ergo minùs summo Pontifici illa potestas deneganda, quæ tantopere est necessaria ad boni spiritalis conseruationem, cùm periculum abusus sit valde exiguum. Imò hactenus non potuit adferri vllum exemplum cuius iustitia non possit facillimè

Refutatur

defendi : cùm infinita ſint exempla abuſus poteſtatis Regiæ. Itaque ridiculè periculum abuſus vrgetur ab aduerſario.

Duplex iudicium neceſſarium.

Vt autem directè reſpondeam, nego concluſionē ſequi ex præmiſſis. vt enim rectè inferatur illum pro libito poſſe Reges regno priuare, aſſumi debebat illū pro libito poſſe de toto hoc negotio iudicare; quæ aſſumptio manifeſtè falſa eſt. De duobus enim iudicandū eſt: nimirum de ipſo crimine, an talem pœnam mereatur: & de pœna, an expediat bono Eccleſiæ eam hoc ſtatu rerum irrogari. de neutro pro arbitrio iudicare poteſt. Nam quod ad crimen attinet, res debet eſſe manifeſta; nimirum non ſolùm crimen commiſſum eſſe à Principe, ſed etiam eſſe dignum tali pœna, & obſtinatè in eo perſiſti, contemptis omnibus Eccleſiæ monitis & cenſuris. Non enim Eccleſia ad ſententiam abrogationis venire conſueuit, niſi poſt cenſuras ille in contumacia perſtet. Meritò autem dignum videri queat tali pœna, accedēte peruicacia, quod inter Principes eſſet iuſta cauſa inferendi belli, & regni alterius occupādi. Vt ſi legati contumelioſè tractentur, & in vincula conijciantur: ſi trāſitus auxiliaribus copijs recuſetur &c. Cur enim quod inter Principes eſſet iuſta cauſa indicendi belli, vaſtandi & occupandi regni, non ſit etiam iuſta cauſa ſummo Pontifici inferendæ excommunicationis, & perſeuerante iniuria, priuandi ea poteſtate qua in Eccleſiæ iniuriam abutitur?

De crimine.

Ex quibus patet quàm iniquè author in Bonifacium 8. & Iulium 2. inuehatur, quaſi ſolo odio priuato fecerint in hoc genere quod fecerunt; cùm cauſæ huiuſmodi ſuppeterent, ob quas meritò bellum inferri, & regnū à Principe ſæculari ſimili iniuria affecto, occupari potuiſſet. Qua de re videndus Ciacconus in Bonifacio 8. & Iulio 2. Non diſputo de modo quo proceſſum fuit; ſed

ſed de iure quod ſuberat, ſuppoſitis ijs quæ à bonis authoribus memoriæ ſunt prodita.

Iniurioſius eſt quod ait Gregorium 7. Innocentiū 3. & Innocentiū 4. ſolo odio priuato incenſos & infenſos iſta feciſſe. Maligni ingenij eſt odijs priuatis & iniuſtis tribuere ea, quorum cauſæ iuſtæ publicè ſuppetunt.

Quod verò ad pœnam attinet, vtrū expediat Eccleſiæ eam nūc inferri, res eſt longè difficillima. Vnde tantùm abeſt, vt ea de re pro ſuo arbitrio iudicare poſſit, vt teneatur diligentiſſimè eam diſcutere, adhibito Cardinalium & aliorum grauiſſimorum ac prudentiſſimorum ex varijs nationibus virorum conſilio, & Principem ſæpius monere, rogare per ſe & per alios vt reſipiſcat, oſtendere rei iniquitatem, & ſecutura incommoda &c. vt hactenus in Eccleſia factum. Non enim ex vnius aut paucorum iudicio, nec repentè ad iſta proceditur, ſed ſumma deliberatione, & plerumque adhibita Synodo, nec vmquam ob cauſam de cuius qualitate poſſit eſſe dubium; ſed tantùm quando eſt manifeſtè iniqua, & bono publico vel directè vel exemplo noxia, vt dictū eſt. Non enim ſūmo Pontifici cum fungis aut pecudibus eſt negotium; ſed cum Principibus, quibus viri doctiſſimi & Prælati magnæ authoritatis non deſunt, qui cauſam ſui Principis, niſi manifeſtè iniqua ſit tueātur. Denique debet ſummus Pontifex ita prudēter in hoc negotio ſe gerere, vt Eccleſiæ vniuerſali ſatiſfaciat: alioquin negotium non habebit ſucceſſum. His adde, Principi ſemper integrum eſſe recedere à contumacia; quo facto eximet ſe periculo.

Ex quibus conſtat vana eſſe quæ ille ex indirecta po- 186.
teſtate colligit: nimirum ſi Pontifici hæc poteſtas concedatur, fore vt regna precariò à Regibus poſſideantur, & ad nutum Papæ auferri poſſint: vt ſtatus Principum Chriſtianorū in lubrico verſetur; vt omnia regna ſint

instar beneficiorũ, quæ manualia dicũtur. Hæc & similia nullum colorem habent. Apud hæreticos potiùs in lubrico consistunt Reges, & precariò regnant: nimirũ quamdiu placet Ministris, qui sub specie Verbi Dei plebem quò volunt, circumagunt. apud politicos, dum occasio se offerat alicui potenti tyrannidis inuadendæ. Cessat enim apud istos magnum illud animorum retinaculũ *Dei timor*, quo maximè Catholici ne iniquè suis Principibus se opponant, cohibentur. Ante istas hæreses cùm omnes essent Catholici, & Romano parerent Pontifici, quanta securitate Principes regnabant? quãta passim per orbem Christianũ tranquillitas? At hæresibus istis ex orco, tamquam furijs in orbem immissis, commota sunt omnia, pax sublata, tumultu & seditione pleræque Prouinciæ impletæ; & cædibus, incendijs, expilationibus vastatæ vel afflictæ: Principes multi suis dominijs exuti. denique omnia illis lubrica & infida.

Sub finem cap. 12. repetit argumentum, quod cap. 5. persecutus fuerat de iure & titulo, quo hæc potestas Pontifici conueniat. ad quod responsum est suprà num. 179. vbi ostendimus iure diuino competere. Solùm notandũ acumen viri, qui vt Regiam potestatẽ demonstret à Deo cõmendari & probari, inter cetera adfert hæc loca Scripturæ: *Reges gentium dominantur eorum: Cor Regis in manu Dei: Dabo illis Regem in furore meo*. Verùm simili modo probari posset tyrannidem à Deo commendari & probari: quia ista etiam de tyrannis dici possunt. Gratis concedimus Regum authoritatem probari testimonijs Scripturæ, & esse à Deo; non tamen hinc sequitur eam esse iuris diuini aut immediatè conferri à Deo, sicut potestas Pontificia, vt suprà num. 172. & sequent. abundè est demonstratum.

VNDE-

Vndecima obiectio, Ex eo quòd in Iure naturali non poßit fieri dispensatio.

Summus Pontifex nihil præcipere vel dispensare potest cōtra Ius naturale & diuinum. Atqui subiectio & obedientia Principibus & superioribus debita cst de iure naturali & diuino. ergo summus Pontifex contra eam nihil potest præcipere vel dispensare: & per consequens non potest præcipere subditis ne Principi suo temporali obediant, in eo in quo Princeps est superior: & si de facto præceperit, licebit subditis ei tamquam extra territorium Ius dicenti impunè non parere. Vtrumque propositum est certo certius: ex quibus conclusio necessaria consecutione inducitur. Ita Barclaius cap. 30. addens: *Qui huius argumenti vim eneruauerit, is magnam mecum gratiam inibit. Ego mehercle, vt ingenij mei tenuitatem ingenuè fatear, non satis perspicio qua ratione elidi poßit.* 187.

Resp. Si seriò ista scribit aduersarius, meritò potest ingenij sui tenuitatē confiteri, vt qui in re facillima non possit exitum inuenire. Sanè si aliquid valeret, multò magis probaret filium non posse vmquā eximi ab obedientia patris; nec vxorę ab obedientia mariti: quia magis est naturalis obligatio erga patrem & maritum quàm erga Principem, cùm Principi sua potestas sit immediatè à Repub. patri & marito à Deo, & ab ipsa rerum natura. Itaque minor est distinguenda, si enim intelligatur de superioribus formaliter consideratis, nimirum vt habent potestatem & ius imperandi minimè impeditum, sic vera est, & eodem sensu concedimus totum quod infertur. Pontifex enim non potest aliquem eximere ab obligatione parendi suo Principi retinenti in illum Ius plenum & efficax, ac minimè impeditum. nam hoc est con-

Refutatur

Quomodo iure diuino debita Principi obedientia.

contra Ius diuinum naturale. Vnde per totam æternitatem non dabitur casus quo contrarium sit licitum. Verùm nunc probandum est aduersario Principē qui religionem persequitur, à summo Pontifice excommunicatur, & Imperio per sententiam deijcitur, retinere suum ius plenum in subditos, ac minimè impeditum. quod quamdiu non facit, principium petit, & in circuitu ambulat. Nos certè ex communi DD. sententia, ac plurimis rationibus facilè probamus non retinere. Idem confirmat communis sensus omnium gentium. nulla enim gens putat se teneri contractu parte altera nolente conditiones contractus seruare. inter Principē autem & populū est reciprocus contractus, quo populus se illi subijcit ea lege, vt ipse cōditiones præscriptas seruet. Si ergo seruare postea noluerit, potestas ipsius redditur inefficax ad populū nolentem obligandū. Si autem minor intelligatur de superioribus materialiter consideratis, sic falsa est & minor & conclusio. non enim iure diuino aut naturali, sed merè humano debetur huic vel isti homini qui Princeps est, obedientia: quia principatus iure humano illi competit; qui eodem iure varijs modis restringi, suspendi, impediri, & auferri potest; vt suprà num. 173. declaratum. Si ergo ipsius authoritas suspensa seu impedita fuerit (quod fit per publicam excommunicationem) etiamsi retineat potestatem Regiam veluti in habitu & actu primo; tamen subditus non tenetur ei parere; quia imperium non est efficax & obligatorium cùm potestas suspensa est ab vsu. Idem multò magis accidit quando excommunicatio est publicè denuntiata; vt docet Caiet. 2.2.q.12.a.2. & alij DD. & maximè quando ille per sententiam abdicatus. Tunc enim tollitur dominium, & aufertur titulus Regius, etsi possessio per vim retineatur. In his omnibus hactenus consensere omnes Theologi & Canonistæ.

Sed

Sed instat aduersarius Ius superioris non posse minui, impediri vel tolli, nisi ab eo qui illius superioris est superior in eadem specie potestatis ac superioritatis, siue in ijsdem rebus, in quibus debetur obedientia. Sic Rex potest Præfecto militiæ imperium abrogare, & præcipere ne exercitus ei obediat. Similiter Præfectus potest ex causa præcipere ne Tribuno, & Tribunus ne Centurioni, & Centurio ne Decurioni miles pareat. at obedientia subditorum erga Principem consistit in rebus temporalibus, in quibus ipsimet Pontifices fatentur neminem esse Principe superiorem. 188. An debeat esse superior in eadem specie superioritatis.

Resp. Hic assumi sub alijs verbis id de quo est controuersia: itaque est petitio principij. hoc enim non erat sumendum sed probandum. Nullam autem probationem adfert. Contrarium suprà ratione 6. num. 119. & sequent. fusè probatum est. Si enim potestas ea, quæ est eiusdem ordinis, potest inferioris iurisdictionem limitare vel tollere quando ipsius fini officit; cur id non possit (& quidem potiori iure) potestas superioris ordinis, quando inferior potestas fini superioris est impedimento? Quò enim finis est præstantior, eò magis defendi & fulciri debet; & quò potestas est sublimior, eò ad plura & maiora se extendit. Petit principium.

Dices, Pontifex illam Iurisdictionem non dedit, quomodo ergo potest auferre? Resp. Etiam Rex vitam, fortunas, & famam subditis non dedit, & tamen si illis abutantur in damnum tranquillitatis publicæ, potest ea auferre; eò quòd absque tali potestate non posset Rempub. tranquillam præstare. Cur non similiter Pontifex poterit auferre iurisdictionem temporalē quam ipse non dedit, si quis ea in perniciem boni spiritalis, quod infinitè melius est, abutatur? Vnde etiamsi quis immediatè à Deo Rex esset constitutus; tamen si ille sua potestate abutatur, non solùm à summo Pontifice, sed etiam à

[illegible]

ſpicuum & per ſe clarum Ius diuinum eſt quod præcipis. Interpretatio tua facit vt Ius naturale ac diuinũ ſit ludibrio, & penitus contemnatur. Iubet Deus vt Principibus & poteſtatibus obediamus: cùm ergo præcipis ne Principi noſtro legitimo obediamus, præcepto tuo parere non poſſumus; quia hoc non eſt mandatum Dei interpretari, ſed penitus antiquare & abrogare. non potes facere de peccato non peccatum &c. Vides ſupercilium hæreticum quod omnes Eccleſiæ Doctores, qui iam ſaltem à 500. annis floruere (nam à tempore Gregorij 7. fatentur aduerſarij noſtram ſententiam viguiſſe) cum ſummis Pontificibus & Prælatis, facit adeo ſtupidos & cæcos, vt per ſe clarum ac manifeſtum Ius diuinum & naturale de obedientia Principibus deferenda, non intellexerint; adeo ſtolidos, vt contrarium tenuerint. Omnes itaque Doctores errant circa ius diuinum per ſe clarum & manifeſtum: ſed paucæ quædam animæ venales vident hanc lucem, & Ius diuinum rectè intelligunt. Ex hac impudenti ἀλογίᾳ quiuis prudens facilè æſtimet quo loco author ſit habendus. fieri nequit vt Catholicus ita de Eccleſia ſcribat.

Dum in his verſor, narratur mihi à viris fide dignis, libellũ Barclaij in Anglia poſt mortem ipſius à Miniſtris reformatæ religionis fuiſſe reformatum, & Londini non Muſſiponti (vt in fronte præfert, adiuncta etiã nominis Ieſu imagine, vt nemo fraudem ſuſpicetur) impreſſum. Itaque mirum nõ eſſe, ſi ſpiritus reformatæ religionis in eo ſpiret & emineat. Ius eſt iſtis nouis reformatoribus huiuſmodi arte Catholicos decipere, & inducere ad Põtificiam poteſtatem abnegãdam: neque id fraudem turpem, ſed laudabilem induſtriam cenſent promouendæ ſuæ religionis. At ſi Catholici ſacerdotes in quæſtionem à Iudicibus hæreticis vocati, aliqua æquiuocatione, aut mentali reſtrictione vtantur, vt iniuſta tormenta euadãt, id graue eſt piaculum, fraus iniquiſſima & intolerabilis.

Liber Barclaij in Anglia reformatus ab hæreticis.

Repub. priuari posset, si aliter tranquillitas publica cõseruari non posset; vt expresse docet Almainus lib. de potestate Ecclesiæ cap. 1. & patet ex ijs, quæ suprà ad sextam obiectionem dicta sunt.

Denique exempla manifesta figmentum illud refellunt. Princeps enim non est superior filiorumfamilias, & vxoris, & famulorum in eadem specie potestatis ac superioritatis, in qua paterfamilias est illorum superior; nec in ijsdem rebus Principi ab illis debetur obedientia, in quibus patrifamilias, vt per se notum est. Et tamen Princeps ex causa potest patrifamilias suam Iurisdictionem minuere vel etiam adimere, eximendo familiam ab eius potestate. Idem cernitur in Iurisdictione magistri in discipulos, & omniũ artificum in suos famulos; quæ à potestate politica restringi vel tolli ex causa potest, etsi diuersæ admodum sit rationis & speciei.

Quomodo autem Rex non dicatur habere superiorem in temporalibus (quod hic rursus ab authore tamquam primum principium aliquoties producitur) suprà explicatum est. Similiter quæ hic rursus adfert de directè & indirectè, de directè & obliquè, de libertate Principum à vinculis delictorum & legibus; de summa, soluta, & impunita libertate summi Pontificis bonos & innocentes Principes opprimendi & exercendæ tyrannidis &c. suprà abundè discussa sunt. Sed hæc sæpius authori repetenda fuere, quia alijs rationibus solidis destituitur.

189. Responsionis forma superba. Ex quibus etiam patet quàm vana, superba, & in vniuersam Ecclesiam iniuriosa sit illa responsio, qua populum Christianum, & quemlibet è populo dicit posse vti erga Pontificem iubentem à Rege hæretico & Ecclesiæ Catholicæ hoste deficere. summa respõsionis est. *Pater sancte non es Rege nostro in temporalibus superior, & ideo non possumus te in hoc negotio audire; quia contra perspicu-*

ſpicuum & per ſe clarum Ius diuinum eſt quod præcipis. Interpretatio tua facit vt Ius naturale ac diuinũ ſit ludibrio, & penitus contemnatur. Iubet Deus vt Principibus & poteſtatibus obediamus: cùm ergo præcipis ne Principi noſtro legitimo obediamus, præcepto tuo parere non poſſumus; quia hoc non eſt mandatum Dei interpretari, ſed penitus antiquare & abrogare. non potes facere de peccato non peccatum &c. Vides ſupercilium hæreticum quod omnes Eccleſiæ Doctores, qui iam ſaltem à 500. annis floruere (nam à tempore Gregorij 7. fatentur aduerſarij noſtram ſententiam viguiſſe) cum ſummis Pontificibus & Prælatis, facit adeo ſtupidos & cæcos, vt per ſe clarum ac manifeſtum Ius diuinum & naturale de obedientia Principibus deferenda, non intellexerint; adeo ſtolidos, vt contrarium tenuerint. Omnes itaque Doctores errant circa ius diuinum per ſe clarum & manifeſtum: ſed paucæ quædam animæ venales vident hanc lucem, & Ius diuinum rectè intelligunt. Ex hac impudenti ἀλογίᾳ quiuis prudens facilè æſtimet quo loco author ſit habendus. fieri nequit vt Catholicus ita de Eccleſia ſcribat.

Dum in his verſor, narratur mihi à viris fide dignis, libellũ Barclaij in Anglia poſt mortem ipſius à Miniſtris reformatæ religionis fuiſſe reformatum, & Londini non Muſſiponti (vt in fronte præfert, adiuncta etiã nominis Ieſu imagine, vt nemo fraudem ſuſpicetur) impreſſum. Itaque mirum nõ eſſe, ſi ſpiritus reformatæ religionis in eo ſpiret & emineat. Ius eſt iſtis nouis reformatoribus huiuſmodi arte Catholicos decipere, & inducere ad Põtificiam poteſtatem abnegãdam: neque id fraudem turpem, ſed laudabilem induſtriam cenſent promouendæ ſuæ religionis. At ſi Catholici ſacerdotes in quæſtionem à Iudicibus hæreticis vocati, aliqua æquiuocatione, aut mentali reſtrictione vtantur, vt iniuſta tormenta euadãt, id graue eſt piaculum, fraus iniquiſſima & intolerabilis.

Liber Barclaij in Anglia reformatus ab hæreticis.

Repub. priuari posset, si aliter tranquillitas publica cõseruari non posset; vt expresse docet Almainus lib. de potestate Ecclesiæ cap. 1. & patet ex ijs, quæ suprà ad sextam obiectionem dicta sunt.

Denique exempla manifesta figmentum illud refellunt. Princeps enim non est superior filiorumfamilias, & vxoris, & famulorum in eadem specie potestatis ac superioritatis, in qua paterfamilias est illorum superior; nec in ijsdem rebus Principi ab illis debetur obedientia, in quibus patrifamilias, vt per se notum est. Et tamen Princeps ex causa potest patrifamilias suam Iurisdictionem minuere vel etiam adimere, eximendo familiam ab eius potestate. Idem cernitur in Iurisdictione magistri in discipulos, & omniũ artificum in suos famulos; quæ à potestate politica restringi vel tolli ex causa potest, etsi diuersæ admodum sit rationis & speciei.

Quomodo autem Rex non dicatur habere superiorem in temporalibus (quod hic rursus ab authore tamquam primum principium aliquoties producitur) suprà explicatum est. Similiter quæ hic rursus adfert de directè & indirectè, de directè & obliquè, de libertate Principum à vinculis delictorum & legibus; de summa, soluta, & impunita libertate summi Pontificis bonos & innocentes Principes opprimendi & exercendæ tyrannidis &c. suprà abundè discussa sunt. Sed hæc sæpius authori repetenda fuere, quia alijs rationibus solidis destituitur.

189. Responsionis forma superba.

Ex quibus etiam patet quàm vana, superba, & in vniuersam Ecclesiam iniuriosa sit illa responsio, qua populum Christianum, & quemlibet è populo dicit posse vti erga Pontificem iubentem à Rege hæretico & Ecclesiæ Catholicæ hoste deficere. summa respõsionis est. *Pater sancte non es Rege nostro in temporalibus superior, & ideo non possumus te in hoc negotio audire; quia contra perspicu-*

spicuum & per se clarum Ius diuinum est quod præcipis. Interpretatio tua facit vt Ius naturale ac diuinū sit ludibrio, & penitus contemnatur. Iubet Deus vt Principibus & potestatibus obediamus: cùm ergo præcipis ne Principi nostro legitimo obediamus, præcepto tuo parere non possumus; quia hoc non est mandatum Dei interpretari, sed penitus antiquare & abrogare. non potes facere de peccato non peccatum &c. Vides supercilium hæreticum quod omnes Ecclesiæ Doctores, qui iam saltem à 500. annis floruere (nam à tempore Gregorij 7. fatentur aduersarij nostram sententiam viguisse) cum summis Pontificibus & Prælatis, facit adeo stupidos & cæcos, vt per se clarum ac manifestum Ius diuinum & naturale de obedientia Principibus deferenda, non intellexerint; adeo stolidos, vt contrarium tenuerint. Omnes itaque Doctores errant circa ius diuinum per se clarum & manifestum: sed paucæ quædam animæ venales vident hanc lucem, & Ius diuinum rectè intelligunt. Ex hac impudenti ἀλογίᾳ quiuis prudens facilè æstimet quo loco author sit habendus. fieri nequit vt Catholicus ita de Ecclesia scribat.

Dum in his versor, narratur mihi à viris fide dignis, libellū Barclaij in Anglia post mortem ipsius à Ministris reformatæ religionis fuisse reformatum, & Londini non Mussiponti (vt in fronte præfert, adiuncta etiā nominis Iesu imagine, vt nemo fraudem suspicetur) impressum. Itaque mirum nō esse, si spiritus reformatæ religionis in eo spiret & emineat. Ius est istis nouis reformatoribus huiusmodi arte Catholicos decipere, & inducere ad Pōtificiam potestatem abnegādam: neque id fraudem turpem, sed laudabilem industriam censent promouendæ suæ religionis. At si Catholici sacerdotes in quæstionem à Iudicibus hæreticis vocati, aliqua æquiuocatione, aut mentali restrictione vtantur, vt iniusta tormenta euadāt, id graue est piaculum, fraus iniquissima & intolerabilis.

Liber Barclaij in Anglia reformatus ab hæreticis.

Repub. priuari possset, si aliter tranquillitas publica cõseruari non posset; vt expressè docet Almainus lib. de potestate Ecclesiæ cap. 1. & patet ex ijs, quæ suprà ad sextam obiectionem dicta sunt.

Denique exempla manifesta figmentum illud refellunt. Princeps enim non est superior filiorumfamilias, & vxoris, & famulorum in eadem specie potestatis ac superioritatis, in qua paterfamilias est illorum superior; nec in ijsdem rebus Principi ab illis debetur obedientia, in quibus patrifamilias, vt per se notum est. Et tamen Princeps ex causa potest patrifamilias suam Iurisdictionem minuere vel etiam adimere, eximendo familiam ab eius potestate. Idem cernitur in Iurisdictione magistri in discipulos, & omniũ artificum in suos famulos; quæ à potestate politica restringi vel tolli ex causa potest, etsi diuersæ admodum sit rationis & speciei.

Quomodo autem Rex non dicatur habere superiorem in temporalibus (quod hic rursus ab authore tamquam primum principium aliquoties producitur) suprà explicatum est. Similiter quæ hic rursus adfert de directè & indirectè, de directè & obliquè, de libertate Principum à vinculis delictorum & legibus; de summa, soluta, & impunita libertate summi Pontificis bonos & innocentes Principes opprimendi & exercendæ tyrannidis &c. suprà abundè discussa sunt. Sed hæc sæpius authori repetenda fuere, quia alijs rationibus solidis destituitur.

189. Responsionis forma superba.

Ex quibus etiam patet quàm vana, superba, & in vniuersam Ecclesiam iniuriosa sit illa responsio, qua populum Christianum, & quemlibet è populo dicit posse vti erga Pontificem iubentem à Rege hæretico & Ecclesiæ Catholicæ hoste deficere. summa respõsionis est. *Pater sancte non es Rege nostro in temporalibus superior, & ideo non possumus te in hoc negotio audire; quia contra perspicu-*

ſpicuum & per ſe clarum Ius diuinum eſt quod præcipis. Interpretatio tua facit vt Ius naturale ac diuinũ ſit ludibrio, & penitus contemnatur. Iubet Deus vt Principibus & poteſtatibus obediamus: cùm ergo præcipis ne Principi noſtro legitimo obediamus, præcepto tuo parere non poſſumus; quia hoc non eſt mandatum Dei interpretari, ſed penitus antiquare & abrogare. non potes facere de peccato non peccatum &c. Vides ſupercilium hæreticum quod omnes Eccleſiæ Doctores, qui iam ſaltem à 500. annis floruere (nam à tempore Gregorij 7. fatentur aduerſarij noſtram ſententiam viguiſſe) cum ſummis Pontificibus & Prælatis, facit adeo ſtupidos & cæcos, vt per ſe clarum ac manifeſtum Ius diuinum & naturale de obedientia Principibus deferenda, non intellexerint; adeo ſtolidos, vt contrarium tenuerint. Omnes itaque Doctores errant circa ius diuinum per ſe clarum & manifeſtum: ſed paucæ quædam animæ venales vident hanc lucem, & Ius diuinum rectè intelligunt. Ex hac impudenti ἀλογίᾳ quiuis prudens facilè æſtimet quo loco author ſit habendus. fieri nequit vt Catholicus ita de Eccleſia ſcribat.

Dum in his verſor, narratur mihi à viris fide dignis, libellũ Barclaij in Anglia poſt mortem ipſius à Miniſtris reformatæ religionis fuiſſe reformatum, & Londini non Muſſiponti (vt in fronte præfert, adiuncta etiã nominis Ieſu imagine, vt nemo fraudem ſuſpicetur) impreſſum. Itaque mirum nõ eſſe, ſi ſpiritus reformatæ religionis in eo ſpiret & emineat. Ius eſt iſtis nouis reformatoribus huiuſmodi arte Catholicos decipere, & inducere ad Põtificiam poteſtatem abnegãdam: neque id fraudem turpem, ſed laudabilem induſtriam cenſent promouendæ ſuæ religionis. At ſi Catholici ſacerdotes in quæſtionem à Iudicibus hæreticis vocati, aliqua æquiuocatione, aut mentali reſtrictione vtantur, vt iniuſta tormenta euadãt, id graue eſt piaculum, fraus iniquiſſima & intolerabilis.

Liber Barclaij in Anglia reformatus ab hæreticis.

Repub. priuari poſſet, ſi aliter tranquillitas publica cõſeruari non poſſet; vt expreſsè docet Almainus lib. de poteſtate Eccleſiæ cap. 1. & patet ex ijs, quæ ſuprà ad ſextam obiectionem dicta ſunt.

Denique exempla manifeſta figmentum illud refellunt. Princeps enim non eſt ſuperior filiorumfamilias, & vxoris, & famulorum in eadem ſpecie poteſtatis ac ſuperioritatis, in qua paterfamilias eſt illorum ſuperior; nec in ijſdem rebus Principi ab illis debetur obedientia, in quibus patrifamilias, vt per ſe notum eſt. Et tamen Princeps ex cauſa poteſt patrifamilias ſuam Iuriſdictionem minuere vel etiam adimere, eximendo familiam ab eius poteſtate. Idem cernitur in Iuriſdictione magiſtri in diſcipulos, & omniũ artificum in ſuos famulos; quæ à poteſtate politica reſtringi vel tolli ex cauſa poteſt, etſi diuerſæ admodum ſit rationis & ſpeciei.

Quomodo autem Rex non dicatur habere ſuperiorem in temporalibus (quod hic rurſus ab authore tamquam primum principium aliquoties producitur) ſuprà explicatum eſt. Similiter quæ hic rurſus adfert de directè & indirectè, de directè & obliquè, de libertate Principum à vinculis delictorum & legibus; de ſumma, ſoluta, & impunita libertate ſummi Pontificis bonos & innocentes Principes opprimendi & exercendæ tyrannidis &c. ſuprà abundè diſcuſſa ſunt. Sed hæc ſæpius authori repetenda fuere, quia alijs rationibus ſolidis deſtituitur.

189. Reſponſionis forma ſuperba.

Ex quibus etiam patet quàm vana, ſuperba, & in vniuerſam Eccleſiam iniurioſa ſit illa reſponſio, qua populum Chriſtianum, & quemlibet è populo dicit poſſe vti erga Pontificem iubentem à Rege hæretico & Eccleſiæ Catholicæ hoſte deficere. ſumma reſpõſionis eſt. *Pater ſancte non es Rege noſtro in temporalibus ſuperior, & ideo non poſſumus te in hoc negotio audire; quia contra perſpicu-*

ſpicuum & per ſe clarum Ius diuinum eſt quod præcipis. Interpretatio tua facit vt Ius naturale ac diuinũ ſit ludibrio, & penitus contemnatur. Iubet Deus vt Principibus & poteſtatibus obediamus: cùm ergo præcipis ne Principi noſtro legitimo obediamus, præcepto tuo parere non poſſumus; quia hoc non eſt mandatum Dei interpretari, ſed penitus antiquare & abrogare. non potes facere de peccato non peccatum &c. Vides ſupercilium hæreticum quod omnes Eccleſiæ Doctores, qui iam ſaltem à 500. annis floruere (nam à tempore Gregorij 7. fatentur aduerſarij noſtram ſententiam viguiſſe) cum ſummis Pontificibus & Prælatis, facit adeo ſtupidos & cæcos, vt per ſe clarum ac manifeſtum Ius diuinum & naturale de obedientia Principibus deferenda, non intellexerint; adeo ſtolidos, vt contrarium tenuerint. Omnes itaque Doctores errant circa ius diuinum per ſe clarum & manifeſtum: ſed paucæ quædam animæ venales vident hanc lucem, & Ius diuinum rectè intelligunt. Ex hac impudenti ἀλογίᾳ quiuis prudens facilè æſtimet quo loco author ſit habendus. fieri nequit vt Catholicus ita de Eccleſia ſcribat.

Dum in his verſor, narratur mihi à viris fide dignis, libellũ Barclaij in Anglia poſt mortem ipſius à Miniſtris reformatæ religionis fuiſſe reformatum, & Londini non Muſſiponti (vt in fronte præfert, adiuncta etiã nominis Ieſu imagine, vt nemo fraudem ſuſpicetur) impreſſum. Itaque mirum nõ eſſe, ſi ſpiritus reformatæ religionis in eo ſpiret & emineat. Ius eſt iſtis nouis reformatoribus huiuſmodi arte Catholicos decipere, & inducere ad Põtificiam poteſtatem abnegãdam: neque id fraudem turpem, ſed laudabilem induſtriam cenſent promouendæ ſuæ religionis. At ſi Catholici ſacerdotes in quæſtionem à Iudicibus hæreticis vocati, aliqua æquiuocatione, aut mentali reſtrictione vtantur, vt iniuſta tormenta euadãt, id graue eſt piaculum, fraus iniquiſſima & intolerabilis.

Liber Barclaij in Anglia reformatus ab hæreticis.

Dvodecima Obiectio, Ex eo quòd non possit soluere vinculum Iuramenti.

190. Obligatio seruandi Iuramenti Deoque reddendi, est Iuris naturalis & diuini. atqui Papa non potest dispensare in iure naturali vel diuino. ergo non potest subditos Principis à Iuramenti vinculo absoluere. Cõfirmatur. Non potest monacho licentiam indulgere, vt aut rerum proprietatem habeat, aut vxorem: vt suo rescripto testatur Innoc. 3. cap. Cùm ad monasterium, de statu monachorum. Ergo multò minùs potest dare licentiã populo non seruandi iusiurandũ, quo se Principi obstrinxit. plùs enim summus Pontifex de plenitudine potestatis videtur posse circa vinculum monachorum, quàm subditorum erga Principem: tum quia totus ordo monachalis, aliįque in Ecclesia (vt quidã volunt) ab humanis constitutionibus & iure positiuo profecti sunt. at submissio & obedientia Regibus, Principibus, & omnibus Præpositis ac Superioribus debita est iuris naturalis ac diuini, vtroque testamento confirmata: tum quia ex voto religionis soli Deo & Ecclesiæ, cuius Vicarium caput Papa est, obligatio acquiritur; ac proinde eius interpretationi vel dispensationi subiacere potest. At per iusiurandum pactis vel sponsionibus humanis adiectum, obligatio acquiritur homini: ac proinde in ipsius tantùm arbitrio est illam remittere. Qui ergo fieri potest, vt obligationem alicui Iure optimo quæsitam, iure, inquam, naturali diuino & humano, per iusiurandum omni ex parte licitum, licito contractui appositum, summus Pontifex inuito creditore auferat? Ita Barclaius cap. 26. & 27.

Resp. Si hoc argumentum valeret, nec Papa, nec

vllus

vllus superior posset in vllo Iuramento vel voto dispensare: quia omnis iuramenti & voti validi obligatio est iuris naturalis & diuini. Consequens est manifestè falsum, vtpote repugnans Scripturis, Conciliorũ & Pontificum decretis, communi DD. sententiæ, & praxi Ecclesiæ vniuersalis. videatur can. Authoritatẽ 15. q. 6. Nicolai primi. & extra. tit. de iureiurando. Syllogismus ita formandus erat. Papa non potest dispensare in iure diuino & naturali. atqui absoluere subditos Principis Ecclesiæ rebellis à iuramento, est dispensare in iure diuino & naturali. ergo Papa illud non potest facere. Verùm tunc probanda erat minor. hæc enim apertè est falsa. Cæsar enim quando proscribit aliquem Principem Imperialem rebellẽ Imperio, absoluit eius subditos à iuramenti vinculo, quo illi Principi tenebantur obstricti; non tamen idcirco dispensat in iure diuino aut naturali. Idem fit in omnibus promissionibus & pactis iuratis inter ciues duorum regnorum initis, si bellum fortè exoriatur. Tunc enim eximuntur à vinculo iuramẽti, ita vt non teneantur satisfacere creditoribus. Refutatur

Nec obstat quòd obligatio seruandi iuramenti sit iuris naturalis & diuini. per hoc enim nihil aliud significatur, quàm obligationem eam quæ ex iuramento prouenit, iure naturali & diuino, non humana aliqua constitutione ex eo prouenire. Hinc tamẽ nullo modo consequens est, hanc obligationẽ non posse tolli à subiecto cui inest. simili enim modo obligatio obediendi superiori, & obligatio seruandi promissa ac conuenta, est iuris naturalis & diuini: quia hæc obligatio naturali iure, non humana ordinatione ex promissis & pactis sequitur: & tamen multis modis à subiecto quod obligatur tolli potest. Etsi enim obligatio aliqua naturaliter sequatur ex aliquo actu, non tamẽ inde sequitur eam ita firmiter subiecto adhærescere, vt nulla ratione ab eo possit di- **Obligatio seruandi iuramenti est naturalis.**

uelli; vt aduersarij argumentum supponit.

191. Porrò 4. modis potest tolli per Pontificem obligatio iuramenti quo subditi suo Principi sunt obstricti. 1. Si Princeps insanabilis existens per sententiam priuetur sua Iurisdictione. 2. Si non priuetur quidem omnino Iurisdictione, sed suspendatur ab eius vsu, ita vt non possit suo præcepto obligare; quod fit per publicam excommunicationem. Ratio horum duorum modorum est, quia hoc ipso quo tollitur, vel suspenditur Iurisdictio superioris, subditi non ampliùs tenentur ei obedire, ac proinde cessat etiam vinculum iuramenti, quod solùm erat accessoriũ promissioni parẽdi, & tantùm obligabat supposita obligatione parendi. Iuramentum enim accessorium suscipit omnes tacitas conditiones & limitationes, quas habet promissio simplex, vel cõtractus, cui apponitur. Sicut ergo cùm subditus promissione simplici promittit superiori obedientiam, intelligẽda est tacita limitatio, quamdiu fueris meus superior, & Iurisdictionem legitimè non impeditã habueris &c. ita si huic promissioni accedat iuramentũ, eadem conditio intelligenda. 3. Si obligatio illa qua subditus obstrictus est Principi esset periculosa ipsius saluti. tunc enim obligatio illa potest tolli, eximendo illum à Principis Iurisdictione; etiamsi ille Princeps non sit Ecclesiæ subiectus, vtpote Ethnicus.

4. modis potest tolli obligatio Iuramenti fidelitatis.

Hoc modo Christiani Ethnico subiecti, possunt eximi authoritate Ecclesiæ ab illius obedientia, si eos à fide Christi auertere conetur, quamuis vim non inferat. quo casu maximè locum habet doctrina S. Thomæ 2.2. q. 10. a. 10. cùm ait: *Posse iustè per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ authoritatem Dei habentis ius dominij infidelium supra fideles tolli: quia meritò suæ infidelitatis merentur amittere potestatem supra fideles, qui transferuntur in filios Dei*. estque communis sententia DD. Sic

vxor

vxor poteſt eximi ab obedientia viri ſi ille eam ad malũ pertrahere velit, nec aliter eius importunitatem poſſit euadere. Ratio eſt, quia qui præeſt in ordine ad finem eminentiorem, poteſt eximere ſuum ſubditum ab omnibus obligationibus, quibus in ordine ad fines inferiores cuilibet tenetur obſtrictus, ſi permanẽtibus iſtis obligationibus periculum impenderet fini eminentiori. Sic ciuis à ſuo Principe poteſt liberari vinculis pactorũ & promiſſionum, quibus alteri Principi vel populo nexus eſt, ſi periculum inde tranquillitati temporali crearetur. at ſalus æterna eſt finis omnium eminentiſſimus & ſummi momenti, cuius reſpectu res omnes mortalium ſunt inſtar nihili. ergo ſummus Pontifex, cuius eſt hunc finem procurare, poteſt ſubditum ſuum eximere ab omni vinculo, quo cuilibet ſiue Principi, ſiue priuato obſtringitur, ſi ex illo vinculo periculum crearetur ſaluti. Imò ſubditi Chriſtiani per ſe abſque alia authoritate poſſunt ſe eximere ab obedientia talis Principis, & ſubdere alicui Principi Chriſtiano, ſi alia ratione periculum perverſionis non poſſent euadere. 4. Quando per obedientiam ſubditorum augentur vel conſeruãtur vires Principis, quibus impugnat Eccleſiam. tunc enim ſi alia ratio commoda non ſuppetat, poterit ſubditos ab illius obedientia eximere, eiſque præcipere ne illi pareant, aut tributa ſoluant, & vt eius imperio renũtient, etiãſi Princeps ille ſit Ethnicus. Ratio eſt, quia hæc exemptio pertinet ad neceſſariam ſui defenſionẽ. perinde enim ſe habet, ac ſi quis gladium furioſo eripiat, aut lupo dentes & vngues accidat. His euentis ceſſat tota vis iuramenti, quo ſubditi ſuo Principi ſunt obſtricti: quia ceſſat ſimplex obligatio parendi, cui iuramentum erat acceſſorium. Itaque non eſt maior difficultas in eximendo à vinculo iuramenti, quàm in eximendo à ſimplici obligatione parendi.

Nota.

Ad

192. Ad confirmationē. Longè faciliùs subditus eximitur à vinculo istius iuramenti, quàm monachus à vinculo voti castitatis & paupertatis: quia istud iuramentū cùm sit accessorium, pacto quod subditi cum Principe ineunt, suscipit omnes tacitas limitationes & conditiones, quæ iure vel consuetudine illi pacto insunt. sequitur enim Iuramentum naturam actus super quem cadit, vt Iurisperiti docent. Eæ autem conditiones multæ sunt & variæ, quarum vna si non seruetur, nutat obligatio tota. at voto paupertatis & castitatis nullæ huiusmodi conditiones subsunt: quo fit vt quamuis quidam D D. putent Papam non posse dispensare in voto castitatis religiosi professi: nemo tamen sit qui dubitet an possit dispensare in iuramento quo subditi sunt obstricti Principi: sed omnes tamquam rem indubitatam tradunt posse. Itaque non est necesse hic de illorum votorum exemptione disputare. tractarunt eam rem fusè multi viri doctissimi, quos si legisset vel intellexisset aduersarius, non tam insolenter Canonistis insultaret.

Discrimē inter Iuramentum fidelitatis, & votum castitatis.

Ad priorem probationem negatur assumptum. manifestè enim falsum est, totum ordinem monachorum & alios Ecclesiæ ordines ab humanis constitutionibus esse profectos. nec vmquam alicui Catholico id in mētem venit. Nam ex scripturis constat ordinem Episcoporum & Presbyterorum esse institutum à Christo: & consilia Euangelica quibus essentia ordinis monachalis continetur, à Christo esse commendata.

Ad posteriorem, non minùs Deo seruāda est fides promissorum quàm homini, sed multò magis; nec est locus dispensationi, nisi iusta causa subsit, quæ in voto illo castitatis & paupertatis rarissimè occurrit. at in obligationibus pactorum, quibus obstringimur homini plurimæ quotidie causæ se offerūt, ob quas possumus ab illis eximi, & obligatione liberari. Vnde falsum est eiu

solius

ſolius, cui obligatio acquiritur, arbitrio poſſe illam remitti ſeu extingui. poteſt enim remitti ab eius ſuperiore in iuſtam vindictam: poteſt & ob neceſſariam defenſionem, vt oſtenſum eſt.

Tamdem author aduertens rationum ſuarum infirmitatem, iſta ſubiungit. *Sed eſto, auferre ex cauſa poſſit, & promiſſorem Iuriſiurandi vinculo liberare; quid ei denique facto conſequens in noſtro hoc negotio videtur? liberum fore populum, dices, ab imperio & ſubiectione Principis, ſtatim atq; iuriſiurandi nexu ſolutus eſt? Itáne verò?* &c. Sũma eſt, cùm Iuramentum hoc ſit acceſſoriũ obligationi qua Principi obedientia promiſſa eſt; & acceſſiones poſſint tolli ſine interitu principalis obligationis: incolumem manere obligationem parendi, etiamſi vinculum Iuramenti ſit ſublatum.

Reſp. Iam oſtenſum eſt obligationem Iuramenti hic non tolli, niſi euerſa obligatione principali, cui eſt acceſſorium. Itaque fruſtra obijcitur poſſe tolli acceſſorium manente principali. Neque id poteſt hic locum habere. nulla enim eſt ratio tollendi vinculum Iuramenti à ſubditis, niſi vt abſolutè non teneãtur parere: ac proinde neceſſariò tollenda erat obligatio ipſa parendi. Illud autem quod dicit author, poteſt habere locum in pactis priuatis, quando Iuramentum per iniuriã extortum eſt. tunc enim manente obligatione principali orta ex pacto iuſto & libero, poteſt tolli obligatio acceſſoria pacto illi roborando per Iuramentum inducta.

An ſublato Iuramenti vinculo maneat obligatio principalis.

Omitto quæ rurſus author hic repetit de iure naturali obediendi ſuperiori, & huius iuris indiſpenſabilitate. ea enim omnia ſatis accuratè ſuprà ſunt diſcuſſa. Omitto etiam quæ contra Canoniſtas; quia eorum ſententiam modò non tuemur.

DECIMATERTIA OBIECTIO, *Ex ratione subiectionis populi.*

193. SVbiecti non possunt iure iudicare, punire, vel deponere Superiorem: quia iudicare, punire, deponere est actus superioritatis. ergo Pontifex non potest vti opera subditorum Principis ad eum deponendum; aut eis ad hoc Ius tribuere.

Resp. Antecedens dupliciter intelligi potest. 1. De subiectis formaliter, seu in sensu cōposito, hoc est, manentibus actu in subiectione absque iure se eximendi; & hoc modo verum est: sed nihil facit ad propositum. 2. De subiectis materialiter, seu in sensu diuiso, quo modo intelligitur ab aduersario, & seruit eius instituto. vult enim populum qui semel subiectus est alicui Principi semper eadem manere subiectum absque iure se eximendi, aut obedientiam denegandi, etiamsi Princeps in Rempub. omni genere crudelitatis grassetur, sicut fecit Caligula, Nero, vel Domitianus. Nam ex hoc principio probat Christianos non potuisse iure Neronem deponere: nec Ecclesiam potuisse ad hoc eorum opera vti, etiamsi facillimo negotio absque vlla turbatione rerum id fieri potuisset: vt ipse cap. 7. 8. 21. & alibi diffusè docet. Verùm hæc sententia non solùm est falsa, sed etiam in genus humanum iniuria: vtpote spolians omnem Rempub. iure defensionis aduersus tyrannidem Principis; quod tamen ius ita est insitum, vt nec ipsa Respub. illud à se abdicare possit, vt suprà n. 175. ostensum est. Deinde subijcit homines liberos non solùm vt mancipia, sed instar pecudum. si enim tyranno cædibus, incendijs, stupris, expilationibus grassante in Nobilitatem, & primarios quosque Reipub. ciues, sicut fecit Nero, Respub. non potest illum iudicare & depone-

Sententia absurda & in Rēpub. iniuria.

ponere, vt tanto se malo liberet, sed tenetur ei omnem honorem & obedientiam Principibus bonis debitam exhibere, adeo vt nullam obsequij particulam possit ei subtrahere, vt ipse aliquoties ait: quid amplius iuris habet Respub. in tyrannum, quàm grex ouium in lanionem? 3. Repugnat hæc sententia sensui communi omnium Rerumpub. & omniũ sæculorum consuetudini. quod etiam Senatus Romanus satis declarauit, quando Neronem non solùm deposuit, sed etiam morti ignominiosæ tamquam priuatum adiudicauit: vt suprà n. 183. dictum est. 4. Repugnat pactis conuentis, quæ inter Principem & populum intercedunt: qua de re suprà n. 137. Denique Princeps non erit propter commodum Reip. sed Respub. propter honorem & fastum Principis; maiorisque momenti res erit, saluam manere Principi iniquissimo suam dignitatem, quàm Rempub. manere incolumem.

Dices, Iudicare & deponere aliquẽ est actus superioritatis: quomodo ergo à subditis in superiorem fieri potest? Resp. Subditos tunc non manere actu subditos, sed acquirere ius superioritatis. Id autem 4. modis fieri potest, vt ex suprà dictis colligitur. 1. Si summus Pontifex ob iustam causam suspendat Principis iurisdictionem. 2. Si illum per sententiam iurisdictione priuet. Vtroque euentu subditi desinunt esse actu subditi. 3. Si eximat eos à iurisdictione Principis: quod eum posse facere, si causa iusta subsit, etiamsi Princeps sit Ethnicus, suprà n. 191. ostensum est. His euentis summus Põtifex populo dare potest authoritatem abrogandi Principem, & spoliandi possessione. Itaque non aget in illum populus vt inferior, sed vt superior; vtpote ex authoritate Ecclesiæ. 4. Si Princeps contemptis Regni legibus, quibus admissus est in Rempub. more Neronis sæuiat, nec vlla ratione possit ad moderationem reuocari; tunc

Iudicare est actus superioritatis.

enim Respub. definit esse actu subiecta, & habet Ius in illum agendi, & Iurisdictionem quam illi dedit reuocandi. Retinuerat enim potestatem in habitu, qua semper aliquo modo mansit superior, quæ potestas hoc euẽtu potest exire in actum, vt ex dictis suprà num. 175. constat. Idem confirmatur ex communi ratione contractuũ, in quibus pars læsa potest reuocare consensum, & ius quod in alterum contulit, si hic fidem prior fregerit, & leges contractus seruare nolit.

Dices, Paterfamilias non potest deponi à familia

194. Discrimen inter regnum & familiam.

quantumuis ille malè gubernet. similiter nec œconomus quem paterfamilias loco suo constituit. atqui Princeps se habet in regno sicut paterfamilias vel œconomus in domo: quia loco Dei præsidet, estque Dei Vicarius in regni administratione. ergo non potest vllo casu à regno deponi.

Resp. Negando minorem. est enim magnum discrimen. Paterfamilias enim non accipit authoritatem suam à familia, sed iure naturæ vel gentium illam ex se habet. Quod vt intelligatur, notandum ex Aristotele lib. 3. polit. c. 5. familiam constare tribus combinationibus, marito & vxore, patre & filijs, domino & seruis vel famulis. vnde in familia est triplex subiectio, & in patrefamilias triplex iurisdictio: nimirum in vxorem, in liberos, in seruos. Iurisdictio in vxorem non datur ab vxore, sed iure naturæ oritur in viro (vtpote naturaliter prudentiore) ex contractu maritali. Iurisdictio in liberos non confertur ab ipsis liberis, sed iure naturæ resultat ex procreatione. Iurisdictio in seruos non datur à seruis, sed iure gentium resultat ex contractu, vel captione in bello. Hinc fit, vt etiamsi quiuis de familia possit fugere, & non obedire patrifamilias, si ille sæuiat, vel in perniciem familiæ sua authoritate vtatur: nemo tamen, nec tota quidẽ familia possit illum sua Iurisdictione priuare,

uare, & eam in alium conferre. At verò Princeps non habet ſuam iuriſdictionem ex ſe (non enim ex ipſo regnum ducit originem, ſicut familia ex ſuo capite) ſed à regno mediante contractu quodam; quem contractum niſi ipſe paratus ſit ſeruare, regno ius eſt iuriſdictionem quam contulit reuocandi. Itaque Princeps ſe habet non vt paterfamilias, nec vt œconomus à patrefamilias conſtitutus; ſed vt gubernator authoritate familiæ conſtitutus, cui ſe ipſa gubernandam & defendendã certis conditionibus ſubmiſit. Meliùs illud in ſummum Pontificem quadrat. hic enim ſe habet in tota Eccleſia ſicut œconomus in familia. quia non accepit ſuam authoritatem ab Eccleſia, ſed à Chriſto totius Eccleſiæ parẽte & authore. Vnde propriè eſt Chriſti Vicarius Chriſti vices gerens, eiuſque authoritate fungens. quo fit vt ab Eccleſia deponi non poſſit, ſicut œconomus non poteſt deponi à familia. Vnus caſus excipitur, ſi contingat illum profiteri manifeſtam hæreſim. tunc enim ab Eccleſia repudiari & expelli poteſt, ſiue illius iuriſdictio ipſo facto euanuerit: ſiue per ſententiam Eccleſiæ crimẽ debeat declarari.

Decima qvarta obiectio, Ex ratione ſubiectionis Summi Pontificis & Cleri.

Nemo inferior & ſubiectus habet imperium in ſuum ſuperiorem & dominum, vt poſſit eum iudicare, in eo ipſo in quo eſt ei ſubiectus. Papa antequam fieret Princeps temporalis, erat Regibus & Imperatoribus, quantum ad temporalia, inferior & ſubiectus. ergo non habet in eos temporale imperium, vt poſſit illos in temporalibus iudicare. Propoſitio eſt extra omnem controuerſiam, cùm nemo niſi à ſuperiore iudicari poſſit. Aſſumptionem fatentur aduerſarij cùm affir- 195.

ment, & rationibus liquidò confirment, exemptionem Clericorum in rebus politicis tam quoad personas, quàm quoad bona iure humano introductam esse [d]. *Ab Imperatoribus ergo & Regibus habent Clerici quidquid exemptionis & libertatis est, qua nunc in rebus politicis toto orbe perfruūtur,* &c. Ita Barclaius c. 34. Addit idem, cap. 33. vt errorem scilicet, qui hactenus orbem tenuit, detegat, & Principes sui iuris cōmonefaciat: *Clericos per totum orbem quocumque ordine vel gradu sint, non esse adhuc vllo modo exemptos & liberatos à potestate temporali Principum sæcularium, in quorum regnis degunt: sed perinde ac ceteri ciues ijs subiectos esse in omnibus, quæ ad temporalem iurisdictionem pertinent: & Principes in eos ius vitæ & necis sicut in laicos habere.*

d Bellar. l. 1. de Clericis c. vlt.

Probat hoc firmissimo, vt ipse ait, fundamento. Quia priusquam Principes ad fidem conuerterentur, omnis laicorum ordo erat illis subiectus: ergo manserunt subiecti ipsis iam ad fidem conuersis. Nam lex Christi neminem iure dominioque suo priuat. quia non venit soluere legem sed adimplere. Nusquam autem Principes à sua iurisdictione Clericos exemere, sed solū concessere, ne apud magistratus sæculares, sed apud proprios Episcopos conuenìantur: hoc autem non est eximere à Principis iurisdictione. *Stultum igitur est*, inquit, *existimare Clericum in quacumque causa conuentum (modo non merè spiritalis sit) posse summi Principis consistorium declinare, aut eius cui ex certa scientia Princeps causæ cognitionem specialiter mandauit*. Hæc ille.

Ex hoc argumento satis apparet libellum istum egregiè à nouis religionis reformatoribus fuisse reformatum. quis enim nisi religionis reformatæ spiritus, omnes Doctores Catholicos, Pontifices, & Synodos tot sæculorum tamquam fungos æstimet, & stultitiæ damnet? Propriū hoc est illi spiritui, quo noui reformato-

res nostri sunt pleni. Verùm vt magis eluceat argumenti imbecillitas, & authorē non intelligere quid dicat: Resp. triplicitet. 1. Si hoc argumentum aliquid valeret, probaret summum Pontificem non posse præcipere Principi, vt mutet politicam gubernationem bono spiritali noxiam. Inferior enim non potest præcipere superiori in ijs in quibus est inferior. at Papa est inferior Principe in politica gubernatione. ergo in illa non potest ei præcipere. Atqui hoc repugnat Barclaio, qui c. 14. docet Pontificem posse præcipere & cogere Principē, vt politicam gubernationem bono spiritali officientē mutet. 2. Quamuis omnia concederentur quæ aduersarius assumit; nihil tamen contra potestatem Pontificiam, de qua agimus, rite concludi. etsi enim Pontifex esset Principi perfectè subiectus in ordine ad finem politicum, sicut quiuis laicus: tamen exigente bono spiritali posset circa politicam gubernationem illi præcipere, eumque iudicare; & si necesse sit, administratione mouere. Posita enim hac mutua subiectione & superioritate; sicut Pontifex subesset Principi in ordine ad finem politicum: ita vicissim Princeps subesset summo Pontifici in ordine ad finem spiritalem, qui multò est excellentior, cui omnia temporalia seruire debent. Itaque ad argumentum respondeo: Maiorem esse falsam si intelligatur de inferiore, qui vicissim est superior in ordine ad altiorem finem, sicut Pontifex respectu Principis. sicut enim potestas Principis extendit se ad omnia media quæ ordinantur ad temporalem tranquillitatem, ita vt de omnibus illis possit disponere quantum ad illum finem est necesse: ita potestas Pontificis extendit se ad omnia media, quæ ordinātur ad salutem animarum, siue temporalia ea sint, siue spiritalia; ac proinde potest statuere de temporalibus, quatenus ad salutem est necessarium.

Resp. 1.

Resp. 2.

Mutua subiectio & Prælatio.

Dices, Posse disponere de temporalibus præcipiendo,

do, non tamen puniendo. Ita Barclaius cap. 14. Sed ista minimè cohærent: vt suprà n. 120. ostensum est.

196. 3. Resp. 3. Resp. Negando minorem, si de propria & directa subiectione loquamur. etsi enim communes leges politicas, quarũ ratio æquè ad omnes pertinebat, summus Pontifex, dum sub Imperatoribus degebat, seruare deberet; id non tam erat ex vi directæ obligationis ipsius legis, quàm iuris gentium, quo quisque viuens in cõmunitate tenetur se illi pro sua conditione conformare. Itaque ab Imperatore iudicari non poterat: quod probatur 1. ex Synodo Romana sub Siluestro ante annos ferè 1300. in qua fuere Episcopi 280. vbi can. vltimo sic habetur: *Neque ab Augusto, neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo iudicabitur prima Sedes*. quẽ canonem citat Nicolaus 1. epist. ad Michaelem Imp.

Papam nõ posse ab Imperat. iudicari.

2. Ex confessione Constantini Imperatoris, de cuius facto ita scribit S. Gregorius lib. 4. epist. 75. ad Mauricium Imperatorem. *Ecclesiastica testatur historia, quia cùm piæ me. Constãtino Principi in scripto oblatæ accusationes fuissent contra Episcopos; libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episopos conuocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens: Vos dy estis à vero Deo constituti: ite & inter vos causas vestras discutite: quia dignum non est vt nos iudicemus deos*. Refert Ruffinus lib. 10. cap. 2. 3. Ex alia Synodo Romana sub Sixto 3. ante annos ferè 1200. hic enim Pontifex cùm à Basso Exconsule accusatus esset apud Valentinianum Augustum de sacrilego stupro sacræ Virgini illato, non ausus fuit Valentinianus illum iudicare, etiamsi eius communionẽ vitaret. Imò cùm Epiphanius presbyter in Synodo dixisset: *fiat probatio, vt Ecclesia non maculetur. Respondit Maximus Exconsul: non licet aduersus Pontificem dare sententiam*. Deinde subiecit Sixtus: *Quãquam in meo arbitrio sit iudicer an non iudicer, tamen*

meo

meo iudicio non abſcondatur veritas &c.

4. Ex Synodo Romana 4. ſub Symmacho ante annos 1125. Cùm enim Symmachus Papa accuſatus eſſet ab æmulis apud Theodoricum Regem qui tunc Italiam obtinebat: non auſus fuit Theodoricus illum iudicare, ſed conuocauit Synodum Epiſcoporum. Reſponderunt Epiſcopi: Symmachi qui impetebatur eſſe Synodum conuocare, non Regis: quibus Rex viciſſim reſpondit, ſe id petente Symmacho feciſſe; in arbitrio Synodi eſſe præſcribere quid in negotio Symmachi ſequendum ſit: nec aliud ad ſe præter reuerētiam de Eccleſiaſticis negotijs pertinere. Denique Synodus cenſuit primam Sedem non poſſe à quoquam iudicari, ſed cauſam totam Deo committendam; idque multis allegationibus Senatui, & alijs viris Illuſtribus probauit.

5. Ex Synodo Romana ſub Leone 3. ante annos 800. huic cùm grauia crimina per calumniam obiecta eſſent, & Carolus Magnus Romam de illis cogniturus veniſſet, *rogaretque Patrum de vita & moribus Pontificis ſententias*; *ab omnibus vna voce reſponſum eſt: Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum caput à nemine iudicari debere. Itaque omiſſa ob tam graue reſponſum quæſtione à Carolo, Leo Pontifex qui maximè hoc iudicium expetebat, conſcenſo ſuggeſtu ſe iureiurando purgauit*. Ita Platina ex Anaſtaſio Bibliothecario in Leone 3.

6. Ex Synodo octaua Oecumenica cap. 21. *Definimus*, inquit, *neminem prorſus mundi Potentium, quemquam eorum qui Patriarchalibus ſedibus præſunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare, ſed omni honore ac reuerentia dignos iudicare; præcipuè quidem Sanctiſſimum Papam ſenioris Romæ* &c. atqui condemnare & pœnis ſubijcere, eſt maximè inhonorare.

7. Ex Gelaſio epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem: Duo ſunt Imperator Auguſte &c. Vide ſuprà n. 158.

8. Ex Nicolao primo epist. ad Michaelem, vbi inter cetera ex professo probat Sedem Romanam à nemine iudicari posse, allata sententia Concilij Chalcedonensis & Synodi Sinuessanæ in causa Marcellini PP. Idem de quouis Episcopo loquens, ait: *Satis euidenter ostenditur à sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solui posse Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum: nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum est.* q. d. sicut Deus non potest iudicari ab hominibus: ita vos qui diuinæ dignitatis estis participes, & idcirco laicis longè eminentiores, non decet iudicari à nobis laicis.

9. Ex Innocentio 3. cap. Sollicitæ. de maioritate & obed. vbi ad Imperatorem scribens ostendit Episcopum propriè non subesse Imperatori, & soluit eius argumenta.

10. Ex Bonifacio 8. Extrau. Vnam Sanctã. de maioritate & obed. *Si deuiat terrena potestas, iudicabitur à potestate spirituali; si deuiat spiritalis minor, à suo superiore: si verò suprema, à solo Deo non ab homine poterit iudicari.* Quæ verba sumpta videntur ex Hugone de S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 2. cap. 4. *Spiritalis*, inquit, *potestas iudicat terrenam, ipsa verò à Deo primùm instituta est, & cùm deuiat, à solo Deo iudicari potest.*

Denique Ennodius in defensione 3. & 4. Synodi sub Symmacho: *Aliorum fortè hominum causas Deus voluit homines terminare: sed Sedis istius Præsulis suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit B. Petri successores cælo tantùm debere innocentiam.* Quæ defensio lecta est & approbata in Synodo 5. sub eodem Symmacho. Sed obijcit Barclaius exemplum veteris testamenti. In veteri testamento summus sacerdos fuit subiectus Regi in temporalibus, quamuis Rex illi subesset in spiritualibus: idem ergo censendum in nouo. Antecedens patet ex

facto

facto Salomonis 3. Reg. 2. qui deposuit Abiathar. Resp. Si hoc argumentũ aliquid probat, cõuincet non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus Pontificem Regi subesse. Nam Salomon puniuit Abiathar priuando illum summo sacerdotio, dignitate nimirum spirituali. poterit ergo similiter Rex vel Imperator summum Pontificem priuare Pontificatu. Atqui hoc neque Barclaius neq; Blacuellus admittit, sed vterque planè negat. Barclaius enim pag. 142. absurdum censet Principem tẽporalem posse deponere Papam, quantumuis regnum ab eo perturbetur. Idem docet Blacuellus pag. 154. Itaque hoc argumentum vel nihil probat, vel nimium probat. nihil probat, quia Salomon id fecit non Regali sed Prophetica authoritate, vt notauit Innocentius 3. cap. Sollicitæ. de maioritate & obedientia. Quod attinet ad aliquot Imperatores, quos recenset Author Præfationis pag. 27. qui Pontifices quosdam deposuerunt, non id fecerunt sua authoritate, sed authoritate Synodali. Qua de re videri potest Card. Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 29.

Nunc ostendendum nobis est, non solùm summum Pontificem, sed etiam reliquum ordinem Ecclesiasticũ re ipsa à laica Iurisdictione esse exemptum, idque à nullo Catholico negari posse.

Primò id probo ex Concilio Tridẽtino sess. 25 can. 20. vbi Conc. dicit: *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatẽ Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam esse*. Vnde monet Principes vt memores sui officij, non patiantur Ecclesiasticam libertatem vllo modo violari. si Principes ex officio tenentur non permittere hanc libertatem violari: ergo non pendet ab eorum arbitrio. Deinde, *decernit & præcipit sacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis* 197. Ordinem Ecclesiasticum esse exemptum.

Ecclesiastica, & contra eius violatores editas (quæ omnia etiam præsenti Decreto innouat) exactè ab omnibus obseruari debere. Ecce grauissimum totius Ecclesiæ, de libertate & immunitate personarum sacrarum, testimonium, & contra eius violatores Decretum.

2. Ex Concil. Lateran. sess. 9. sub Leone 10. vbi Pontifex, *approbãte sacro Concilio*, ita statuit: *Cùm à Iure tam diuino quã humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes & singulas Constitutiones fel. record. Bonifacij Papæ 8. etiã prædecessoris nostri, quæ incipit: Felicis. Et Clemẽt. V. quæ incipit: Si quis suadente. Nec non quascũque alias Apostolicas sanctiones in fauorẽ libertatis Ecclesiasticæ & contra eius violatores quomodolibet editas &c.* Deinde addit: *Et cùm in Lateranẽsi pariter ac alijs Concilijs generalibus sub excõmunicationis pœna prohibitũ fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones &c. decimas, collectas, & alia huiusmodi onera Clericis, Prælatis, & alijsque quibusque personis Ecclesiasticis imponãt, exigant &c. statuimus & ordinamus vt de cetero talia præsumentes vltra supradictas pœnas (quas innouamus) ad omnes actus legitimos inhabiles & intestabiles habeantur*.

3. Ex Concil. Constantiensi sess. 31. Vbi Concilium post narratum factum cuiusdam Principis contra Episcopum Astensem, subdit: *Nos igitur super præmissis priùs summaria informatione facta, attendentes quod subditi in suos Prælatos, & Laici in Clericos nullam habent iurisdictionem & potestatem* &c. *Committimus* &c.

4. Ex Concil. magno Lateranensi sub Innoc. 3. cap. 46. Vbi excommunicat laicos Ecclesijs vel Clericis collectas aut alia onera imponentes. Habetur c. Aduersus. de immunit. Eccles. Idem facit Concilium Lateranense sub Alexandro 3. vt habetur cap. Non minùs. eodem tit. Et Concil. Viennẽse sub Clemente V. vt habetur Clement. Præsenti. de censibus. Concilium Roma-

Romanum 1. ſub Siluestro 275. Epiſcoporum præſente Conſtantino Imperatore celebratum can. 4. *Silueſter Epiſcopus dixit: nulli omnino licere cauſam quamlibet in publico examinare, nec vllum Clericum ante Iudicem laicum ſtare. Et dixerunt Epiſcopi, placet*. Concilium Agathenſe can. 23. *Clericum nullus præſumat apud ſæcularem Iudicem, Epiſcopo non permittente, pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat; nec audeat criminale negotium à iudicio ſæculari proponere*. Idem in multis alijs Concilijs, & à multis ſummis Pontificibus ſtatutum fuit: vt patet ex decreto 11. q. 1

Itaque præter multa Concilia particularia & Pontificum Decreta, habemus ſex Concila Oecumenica, quæ apertè aſſerunt vel ſupponũt perſonas Eccleſiaſticas re ipſa Iuriſdictioni laicæ non eſſe propriè ſubiectas. Si enim ſubiectæ ſunt, vt vult aduerſarius; errat ergo Concilium Tridentinũ cùm aſſerit illos eſſe immunes, *& eorum immunitatem Dei ordinatione & ſanctionibus canonicis conſtitutam*. Errat Concil. Lateranenſe cùm ait: *Nec iure diuino, nec iure humano vllam poteſtatem laicis in Eccleſiaſticas perſonas attributam*. Errat Concil. Conſtãtienſe cùm dicit: *Laicos nullam in Clericos habere Iuriſdictionem*. Errant & reliqua Concilia, quæ eamdem doctrinam manifeſtè ſupponunt. Errant iſta Concilia in re ſummi momenti, & maximè ad mores pertinente. nam ex hoc fundamento docent Principes committere iniuriam & ſacrilegium, cùm Clericos ad ſua tribunalia pertrahunt & puniunt; aut vectigalium, vel aliarũ exactionũ onera illis imponunt: & Clericos non teneri in iſtis parere. quorum vtrumque error eſt, ſi Clerici non ſunt re ipſa exempti. atqui hæreticum eſt dicere, Concilium Oecumenicum in doctrina fidei aut morum errare poſſe. Deinde ſi non ſunt exempti, Eccleſia grauiſſimam iniuriam faceret, omnibus Principibus prohi-

Sex Concilia œcumenica eã apertè cõfirmant.

bendo, ne illos ad sua tribunalia pertrahant, ne eorum causis se immisceant, ne illorum crimina puniant, ne tributa, aliáue onera illis imponant. omnis enim Princeps habet Ius vt causas subditorum suorum cognoscat, & delinquentes puniat, & tributa aliaque subsidia sui status & publicæ administrationis exigat. Imò in hoc Iure tota ratio superioris in subditum consistit. Quare si Clerici sunt subditi Principis, etiam in illos Ius habet: ac proinde fit ei grauissima iniuria dum Concilium suis statutis & censuris impedit ne hoc iure in eos vti possit. at nemo nisi impius vel hæreticus hoc dixerit, & Concilijs Oecumenicis quæ certissimè in suis decretis à Spiritu Sancto reguntur, tam grauem calũniam imposuerit. Itaque necesse est dicere: Eos verè & propriè subditos non esse, sed exemptos.

198. Exemptio Clericorũ oritur ex iure diuino.

Ex ijsdem quoque Concilijs perspicuum est hanc immunitatem non esse liberam Principum concessionem sed necessariam, quam ipsi recusare vel impedire iure non poterant, & iure diuino facere vel permittere tenebantur: vnde nec posse ab illis reuocari. quod etiam apertè colligitur ex Constitut. Bonifacij 8. cap. Quãquam. de censibus. in 6. vbi inter cetera ait: *Cùm Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ ac res ipsarum non solùm iure humano, quin imò & diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes* &c. Vbi illud *iure diuino*, non significat exemptum S. Scripturæ, vt quidam volunt, quia sic non opponeretur iuri humano, & inepta esset illa epitasis, *quin imò & diuino*: sed significat verum Ius diuinum: vt patet ex Concil. Trident. & alijs antè citatis.

Petes, Vbi habetur illud Ius diuinum? Resp. in illis verbis in quibus Petrus constitutus est Pastor & Rector supremus totius ouilis Christi. Item illis, quibus Apostoli constituti sunt Principes Ecclesiarum, & Iudices ani-

animarum, Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorũ retinueritis, retenta sunt*. hoc ipso enim quo constituti sunt Superiores & Principes orbis terrarum in ordine ad finem supremum, non debebant ampliùs subesse iudicijs eorum qui præsunt solùm in ordine ad finẽ inferiorem. Quando enim duo fines sunt subordinati; is cui committitur finis superior, exẽptus esse debet à potestate eius, cui committitur finis inferior, cùm hunc dirigere debeat; vt suprà n. 119. & sequent. ostensum est. Confirm. Quia est contra rectum ordinem vt filius iudicet patrem, ouis pastorem, discipulus magistrum, Iudex rerum temporalium eum qui est ipsius Iudex in rebus spiritalibus & æternis. Sacerdotes enim sunt Patres, Pastores & Magistri laicorum: ab illis habent laici quòd sint Christiani; quòd Deo sint reconciliati, & à potestate Diaboli morteque æterna liberati: quòd effecti filij Dei & heredes regni cælestis: ab illis pabulo verbi diuini & sacramentorum pascuntur: illi loco Dei sedent iudices animarum, & à peccatis absoluunt, & pro Principibus & populo magnum illud sacrificium offerunt. Si res sacræ propter honorem eius cui sunt dedicatæ, cum reuerentia sunt tractandæ, nec possunt absque sacrilegio ad vsus profanos conuerti: quantò magis illi qui non solùm Deo sacrati sunt, sed etiam alios sanctificant? At quid potest esse indignius, & reuerentiæ ordinis sacri repugnantius, quàm Personam sacratam non exauthoratam per Ecclesiam, sisti ream coram Iudice sæculari, & pœnas legum instar laici subire?

Ex quibus patet hanc exemptionem iure diuino constare, esseque connexam dignitati status; siue dicatur completè ipso iure diuino perfecta, siuè inchoatè dumtaxat, vtpote hoc iure debita.

Dices, Quidam Theologi & Canonistæ negant 199.
hanc

hanc exemptionẽ esse propriè iuris diuini. Resp. Qui id negant, solùm volunt dicere, eam non esse completè factam per Ius diuinum. Nemo tamen est qui neget eam esse Iuris diuini in altero sensu à nobis explicato: nimirum quia Iure diuino est debita ad sacrilegium & religionis contemptum vitandum.

Canonistarum sententia.

Quod ad Canonistas attinet, omnes paucissimis exceptis expresè docent esse Iuris diuini, adeo vt hæc sit communis apud eos sententia, vt testatur Felinus in c. 2. de maiorit. & obed. concl. 1. Et Couarr. practic. qq. cap. 31. concl. 2.

Theologorum.

Inter Theologos, qui hanc quæstionem attigerunt, multi etiam expresè docent esse Iuris diuini: vt Ioan. Bacconus, in 4. q. 11. prol. a. 4. Iacobus Almainus tractat. de suprema potestate Ecclesiæ c. 8. Driedo lib. 1. de libertate Christiana cap. 9. Angelus V. Immunitas n. 33. v. 11. Siluester eodem tit. n. 16. & multi recentiores. Qui verò negant esse propriè Iuris diuini, solùm intendunt negare eam completè hoc iure factam: non quin eo iure sit debita. Nam expresè docẽt, etiamsi Principes noluissent hanc exemptionem concedere, potuisse tamen summũ Pontificem & Concilium generale sua authoritate illam facere, & omnes Ecclesiasticos laicæ potestati subducere. Ita docet Franciscus Victoria relect. 1. de potestate Ecclesiæ sect. 7. proposit. 5. & 7. Sotus in 4. d. 25. q. 2. a. 2. Ledesma in 4. p. 2. q. 20. a. 4. Bannes 2. 2. q. 67. a. 1. Couarr. practic. qq. c. 31. concl. 3. & 4. Itaque omnes

Non posse eam tolli.

Doctores & Theologi & Canonistæ in eo conueniunt, quòd Ecclesiastici à Iurisdictione potestatis laicæ sint exempti; & hanc exemptionem non posse per potestatem laicam tolli. Pari modo non posse eam tolli præscriptione aut contraria consuetudine, docent communiter Doctores cum Glossa in cap. Clerici, de iudicijs. Host,

Host. in cap. Cùm laicis. n. 11. de rebus Ecclesiasticis non alienandis. Felinus in cap. Causam. de præscript. Azor lib. 5. c. 12. &c. Quia contra id quod iure diuino est debitum aut constitutum nulla valet consuetudo, nulla temporum præscriptio: & omnis consuetudo contraria huic exemptioni, *est corruptela veriùs dicenda quàm consuetudo*, vt inquit Pontifex cap. Quamquam. de censibus. in 6. Denique omnis contraria consuetudo partim à Concilijs Oecumenicis est reuocata, partim reuocatur quotannis per Bullam Cœnæ Domini. Perspicuum ergo est nullam hic vsucapionem locum habere.

Ex his patet 1. falsam & hæreticam esse sententiam aduersarij; Clericorum ordinem re ipsa non esse neque in rebus, neque in personis à Iurisdictione laica exemptum. 2. Non esse statuendam illam reciprocam Iurisdictionem & subiectionem, quam ipse statuit: idq; tum ob causas suprà allatas; tum quia impediretur executio potestatis spiritalis. Quis enim ausit compellere suum superiorem, qui prætextu iustitiæ vicissim ad suum tribunal trahere, & varijs modis vexare potest? 3. Immunitatem istam partim iure diuino, partim sanctionibus Ecclesiasticis, partim Principum priuilegijs constare. Iure diuino; quia saltem eo iure est debita, tum vt sacrilegium & contemptus religionis vitetur; tum vt potestas spiritalis in vsu sit expedita. Sanctionibus Ecclesiasticis; quia per has est completè facta, præsertim quoad ordines inferiores, & bona temporalia. Principum priuilegijs; quia ad hoc valent, vt vexatio magistratuū compescatur, suoque iure Ecclesia frui sinatur. Itaque cùm aliqui DD. hanc exemptionem iure humano factam dicunt, non sola priuilegia Principum, sed maximè Decreta Ecclesiæ quibus hæc exemptio est completa, intelligunt. 200.

Ad Rationem aduersarij Resp. Ordinem Clerico-

rum præsertim Episcoporum & Sacerdotum non fuisse absolutè & perfectè subiectum Principibus Ethnicis, ita vt absque sacrilegio possent ab illis iudicari & puniri, vt suprà nu. 162. & sequentibus ostensum est; vbi copiosè ad totum istud argumentum est responsum.

Objicit præterea. Clerici sunt ciues & Reipublicæ membra: ergo debent subesse capiti quod est Princeps. monstrosum enim esset corpus in quo superflua, & à capitis imperio aliena membra conspicerentur. Confirmat exemplo Caroli V. Imperatoris, qui vocari in ius ad se fecit Hermannum Archiepiscopum Coloniensem, vt de criminibus à Clero & Vniuersitate ei obiectis se purgaret. Item exemplo eorum Principum qui quædam crimina clericorum suæ cognitioni reseruant, quæ in Gallia vocantur Priuilegiata; veluti læsæ maiestatis, gestationis armorum, adulterinæ monetæ, infractæ securitatis &c.

Surius in comment. an. 1545.

Resp. Ex eo quod Clerici sunt ciues, solùm sequitur eos debere seruare leges Principum, quarum ratio omnibus est communis, & se accommodare moribus populi. Hac enim ratione satis cohærent cum alijs mẽbris, & pendent à communi capite, & optimè conspirant in vnum corpus politicum: non tamen idcirco necesse est, vt possint à Principe iudicari & puniri. Satis est vt ipsi suum Iudicem habeant, qui illorum causas cognoscat, & si quid commiserint grauius, congruo modo puniat. Istud ad rectum ordinem satis esse, experientia tot sæculorum clarè conuincit. Ad Confirmationem. Iste Hermannus erat hæreticus, & totis viribus conabatur inducere hæresim. Vnde non mirum, si ab Imperatore fuerit citatus. nulli enim Ecclesiastico Iudici paruisset. Itaque quod Imperator fecit, id expresso vel tacito consensu Pontificis fecit: cuius etiam consensu illum ab Episcopatu expulit: vt patet ex Surio ad annum 1547. Quàm verò ipse alienus fuerit ab hac immu-

Exemplũ Caroli V. Imperat.

munitate violanda, satis declarauit in seditione illa Hispanica: in qua cùm multi (inter quos aliqui erant Ecclesiastici) aduersus ipsum & Reginā Ioannam eius matrem coniurassent, pragmaticam sanctionem edidit, qua contra coniuratos procederetur: personas tamen Ecclesiasticas noluit attingere, sed eos Prælatis Ecclesiasticis, & summo Pontifici puniendos remisit: vt refert Ludouicus Molina Iureconsf. lib. 4. cap. 11. de primog. Hispaniæ.

Quod ad crimina illa quæ Barclaius recenset, attinet; potest Pontifex illorum cognitionem Principi alicui concedere: quo casu, non tam sua authoritate, quàm priuilegio Pontificis Princeps Clericum iudicabit. Quam ob causam illa crimina vulgò Priuilegiata dicuntur, nimirum quòd ex priuilegio de illis Princeps cognoscat.

Obijcit Author Præfat. pag. 127. hanc exemptionem esse Principibus periculosam; quia per eam datur licentia fouendi coniurationes, & machinandi multa in Principes. Item per eam plurimi ei subtrahuntur subditi: quia exempti desinunt esse subditi. 201.

Sed falsum esse quod assumitur, vel ex eo manifestū est, quòd nusquam sit maior Reipub. tranquillitas quàm vbi est magna Cleri authoritas. continet enim sua authoritate, doctrina, & exemplo laicos in obediētia erga suos Principes & magistratus. Deinde vbi Clerus est in honore, ibi est metus & reuerētia Numinis, quæ maximè animos hominum à rebellionibus compescit. Testantur id Prouinciæ Italiæ & Hispaniæ, vbi iam tot annis omnia pacata; quibus tamen locis summa est Cleri dignitas. E contrario vbi Clerus contemnitur, crebræ sunt seditiones, & cōtra Principes machinationes: vt suo exemplo ostendunt Prouinciæ quæ hæresim admiserunt. hæ enim primò reiecerunt clerū, & omnē magistratum Ec-

Exēptionem nihil habere periculi.

clesiasticum: deinde contra suos Principes arma sumpsere, eosque suis dominijs & Iurisdictione priuare conatæ sunt. Denique ante hæreses cùm passim orbis esset Catholicus, omnia erant tranquilla, nullæ vel raræ aduersus Principes subditorũ commotiones, omnes miram suis Principibus reuerentiam & obedientiam deferebãt. At postquã hæreses introduci cœptæ, pax è rebus humanis sublata, & omnia seditionibus, cõiurationibus, bellisque intestinis perturbata. Hanc gratiam debemus nouo Euangelio.

202. Quod de subditorum subtractione dicitur: non ita Clerici subtrahuntur, quin Principi suo subsint quoad vim directiuam, ita vt leges communes seruare teneantur sicut ceteri, vt suprà dictum est. Quod autem ab eo iudicari & puniri non debeant; id potiùs commodum Principi quàm onerosum censeri debet, si suis res ipsa momentis expendatur. liberatur enim onere reddendi Deo rationem de illorum vita & moribus; sicut de aliorum subditorum actis ei est ratio reddenda. Hoc autem onus, vt Christiana Philosophia docet, est maximè formidabile. Sex sunt in dignitate Regia, diuitiæ, honores, voluptates, obligatio rectè gubernandi, obligatio reddendi Deo rationem tum de vita sua priuata tum de publica administratione & vita suorum subditorũ, denique potestas benefaciendi. Primũ, secundum & tertium iuxta Christianæ sapientiæ regulas non sunt magnopere expetenda, sed potiùs fugienda, vt quæ mentem hominis à celestibus auocant & rebus infimis ac terrenis implicant, & infinitorum peccatorum materiam occasionesque suppeditant. Quartum etiam expetendum non est. quis enim suam conscientiam tam graui vinculo cupiat obstringi, cui si satisfacere velit, assiduè oporteat esse sollicitum & intentum? Est enim officium Regum laboris & curarum plenissimum, vtpo-

Bona Regiæ dignitatis.

te

te difficillimis & innumeris negotijs implicitum. Quintum non est expetendum, sed maximè formidandum, præsertim Regibus, quibus id eò erit grauius, quò hic fuere solutiores, vtpote nulli subiecti cui rationem suæ administrationis (nisi in casu aliquo raro) reddere teneantur. *Potentes potenter tormenta patientur*: quia minima eorum errata circa administrationē plerumque sunt grauiora, quàm maxima priuatorum. Sextum solùm in dignitate Regia expetendum. Suppetit Regibus maxima potestas benefaciendi, & merendi apud Deum. in eorum enim est potestate totum Regnū dirigere ad virtutem, & efficere vt in eo Iustitia & Religio floreat: ad quod illis maximè seruit Ecclesiasticus ordo, cuius est præcepta diuina & ea quæ ad religionē pertinent, populo tradere. qui ob hanc causam regnum desiderant, laude digni sunt, & æternum regnum promerentur: qui verò propter honores, opes & voluptates; nihil merētur in futurum, sed mercedem omnem hic recipiunt, præterquā quòd de omnibus rationē reddent *Terribili & ei qui aufert spiritum Principum, terribili super omnes Reges terræ*.

Ex his perspicuum est exemptionem Clericorum Regibus nihil afferre incommodi, sed esse potiùs commodam & optabilem. Vnde videmus optimos quosque & potentissimos orbis Christiani Principes huic fauisse: vt patet ex C. Iustin. tit. de sacrosanctis Eccles. & tit. de Episcopis & Clericis.

Addo mirum esse, Clericorum exemptionē tantopere ab hæreticis & politicis exagitari, cùm primarij authores Sectarum huius temporis, omnes Christianos à Principum Iurisdictione eximant. Lutherus enim lib. de captiuitate Babylonica cap. de baptismo ita scribit: *Nos Christiani liberi sumus, ab omnibus omnium hominum legibus exempti, libertate Christiana nobis per baptismum donata*. Idem lib. de confessione. *Neque Papa, neque* 203. Hæretici eximunt omnes Christianos ab obligatione legum humanarū.

 Epi-

Episcopus, neque vllus hominum habet ius vnius syllabæ cõstituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat eius consensu. Quidquid aliter fit, tyrannico fit spiritu. Lib. de formula Missæ. *Neque legibus, neque imperijs licet conscientias captiuare Christianas.*

Idem planè etsi tectiùs ad vitandam inuidiam magistratuum docet Caluinus. nam lib. 3. Instit. cap. 19. n. 14. docet conscientiam hominis Christiani nullis legibus humanis posse ligari. *Cùm*, inquit, *hac libertatis prærogatiua donatæ fideles cõscientiæ id Christi beneficio consecutæ sint, ne vllis obseruationum laqueis in ijs rebus implicẽtur, in quibus eas esse liberas Dominus voluit: omniũ hominum potestate exemptas esse constituimus &c.* Idem docet lib. 4. c. 10. toto. Mirè tamen est varius & perplexus, ne ista docens Principes & magistratus in suum caput concitet. Itaque vt tegat mysterium, addit leges Principum nihilominus esse seruandas: qua in re sibi contradicit. si enim conscientiam non constringunt, cur necesse seruare? nisi fortè vt pœnam euadas: iniusta tamẽ erit pœna, si in violatione nulla fuit culpa.

Idem docẽt Anabaptistæ, quorum art. 8. est: *Nulli potestati obedire*. Eamdem doctrinã factis vbique confirmant. Itaq; Principibus Christianis nihil ab ordine clericorum, qui Regnum in obedientia continet, & cùm opus est etiam temporalibus subsidijs non raro succurrit; sed, à nouis istis religionibus est metuendum.

DECIMA QVINTA OBIECTIO, Ex defectu finis.

204. HActenus attulimus obiectiones omnes quas habet Barcl. quarũ nonnullæ attingũtur in libello Regio, & in quæst. Blacuelli. His addi potest vna quam habet M. Blacuellus pag. 46, quæ redacta in formam est talis.

Si

Si Pontifex habet aliquam poteſtatem in temporalia Regum, ea ſolùm eſt indirecta, nimirum in ordine ad bonum ſpiritale. Atqui talis poteſtas locum non habet, quando ex eius vſu non ſequeretur promotio, ſed potiùs euerſio boni ſpiritalis. ergo Pontifex eo caſu nihil in temporalia Regum poteſt. Hinc infert Pontificem nihil poſſe in Regem Angliæ: quia ibi res ita ſunt conſtitutæ, vt ſi aliquid in Regẽ duriùs decerneret, maior inde perſecutio moueretur in Catholicos.

Reſp. Duo ſupponit Author in argumento, quorum vtrumque falſum eſt, & omnem poteſtatem euertit. Alterum, Pontificiam poteſtatem eſſe nullam, quando illius vſus ceſſurus eſſet in maius Eccleſiæ detrimentum: alterum, huius rei iudicium pertinere ad inferiores, qui ſtatum Prouinciæ & particulares circumſtantias magis perſpectas habent, quàm ſummus Pontifex. Supponit 2. falſa.

Ex priori fundamento ſequitur, vim Iuriſdictionis & ſententiæ Pontificiæ pendere ab euentu ſecuturo, vel potiùs ab arbitrio ac potentia rei, qui eſt puniendus. Si enim reus velit parere, vel non poſſit reſiſtere, ſententia erit valida: ſi autem ſit potens, & nolit parere omnia extrema comminans, ſententia erit irrita, & Eccleſiæ Iuriſdictio caſſa. At quid dici poteſt abſurdius? ſic enim Eccleſia ius habebit in minùs malos, minuſquè potentes; non habebit in peſſimos & potentiores: & excommunicatio lata in hæreticum turbulentiſſimum, qui minatur ſeditiones & perſecutiones, erit inualida: lata verò in eum qui parùm poteſt, erit valida. deniq; in rei erit arbitrio iuriſdictioni ſuperioris ſe eximere vel ſubijcere. Quæ omnia rectæ rationi ſunt aduerſa. etſi enim in vſu poteſtatis, vt prudenter adhibeatur, ſpectanda ſunt incommoda quæ inde ſequi poſſunt, propter rei malitiam & potentiam: tamen inde non pendet eius

vis & effectus omnis quem potest inferre.

Ex altero sequitur; vsum potestatis quæ est in superiore, pendere ex iudicio subditorum, & ouium esse iudicare de officio sui Pastoris: nimirum, An hunc vel illum excõmunicare debeat. an eius sententia sit valida an inualida. an illi sit parendum an non parendum. Quæ omnia valde sunt absurda, & contra rationem superioritatis.

Ecclesiæ nõ est data potestas in destructionem.

Sed inquit, Ecclesiæ non est data potestas in destructionem sed in ædificationem: ergo quando non sequeretur ædificatio, potestas est nulla. quæ ratio si aliquid valet, non minùs locum habet aduersus potestatẽ sæcularem quàm Ecclesiasticã. Nam etiam sæcularis non est data nisi in bonũ commune. ac proinde quotiescumque subditis videtur eius statutum aut præceptum non cessurum in bonum commune, sed potiùs in eius detrimentum, non tenebũtur parere: quia tunc potestas erit nulla, & præceptum irritum. Itaque vt ad argumentum initio propositum in forma respondeam; nego assumptionem. etsi enim quando maius damnum timetur, prudentia postulet vt non vtatur sua potestate: tamen inde non sequitur, eam tunc fore nullam, & nullum habiturã effectum si ea vsus fuerit. Aliud est vsum potestatis esse imprudentur adhibitum; aliud esse irritum, & nullum habere effectum. Itaque excommunicatio iusta in Principem lata non minùs liberat subditos à parendi necessitate, cùm ipse est potens, & grauia damna minatur; quàm cùm est imbecillis, & minimè nociturus.

205. Dupliciter aliquid potest dici habere

Nec obstat quòd Pontifex solùm habeat potestatẽ in ordine ad spiritualia. latet enim in istis verbis æquiuocatio. Dupliciter enim potest aliquid dici habere ordinem ad spiritualia. 1. Spectata ipsa rerum conditione & proportione. 2. Spectato euẽtu, qui per accidens sequi po-

potest. Vt Pontifex aliquid possit, satis est vt illud priore modo ordinem ad spiritualia habeat; non requiritur vt etiam altero. hoc est, sufficit vt illud per se, præscindendo ab euentibus per accidens secuturis, iudicetur vtile vel necessariũ ad boni spiritalis conseruationem, & causâ ipsa tale quid mereatur. Explico exemplis. Seminat hæreticus falsam doctrinam, & sæpius monitus non desistit: meretur hoc crimen excommunicationem, exilium, mortem, quæ pœnæ per se sunt idoneæ ad hoc malum sistendum vel mitigandum, & ita sufficientem ordinem habent ad bonum spiritale, valideque poterunt inferri, etiamsi inde maiora dãna essent secutura, sicut in Husso & Luthero accidit. Persequitur Princeps hæreticus Ecclesiam, nec vllis monitis ad moderationem potest reuocari. meretur hoc crimen excõmunicationem & abrogationem; estque hæc pœna per se idonea ad persecutionem illam moderandam, & religionem tuendam: ac proinde validè irrogari poterit, quamuis per accidens futurum sit, vt ille magis sæuiat. ordinem ad spiritualia.

Idem cernitur in potestate politica. quia sicut potestas Ecclesiastica nullam habet vim, nisi in ordine ad bonum spiritale: ita potestas sæcularis nullam habet vim nisi in ordine ad bonum commune publicæ tranquillitatis. Non enim potest Princeps quidquam imperare absque respectu ad istud bonum: vt si alicui patrifamilias præscribat quomodo debeat gubernare domum suam in ordine ad bonum domesticum; non tenetur hic illi obedire. Et tamen sæpe fit, vt quod Princeps intuitu boni communis statuit, per accidens in damnum resultet: vt cùm aliquis ex Magnatibus ob iustas causas ab imperio proscribitur, qui idcirco furore percitus maiores turbas excitat. Nemo tamen dixerit idcirco sententiam esse irritam & nullius effectus; & subditos illius Magnatis non esse ab obligatione parendi solutos.

Ex his patet argumentum iſtud Blacuelli, quo tamen ille multùm nititur, eſſe friuolum; nec minùs aduerſus politicam poteſtatem valere, quàm aduerſus Eccleſiaſticam.

Hactenus ad Obiectiones aduerſariorum ſit reſponſum. Alias nullas alicuius momenti apud eos reperio. nam exempla quæ in libello Regio à pag. 26. vſque ad 34. adferuntur de quibuſdam Imperatoribus & Regibus Angliæ, qui ſe Pontifici oppoſuerunt, ne in ſpeciem quidem cauſam ipſius iuuant. Vnde nec à Barclaio eorum facta eſt mentio. Abunde ea diſcuſſit Cardinalis Bellarminus in ſua Apologia cap. 6. & oſtendit ea plurimùm cauſæ noſtræ fauere, & aduerſariorum ſententiæ refragari. Itaque non eſt quod iſtis immoremur.

TER-

TERTIA SECTIO.

DE CERTITVDINE HVIVS DOCTRINAE, & Fidelitatis Iuramento.

DVO nobis tractanda supersunt. Alterum quo gradu certitudinis censenda sit doctrina quam tradidimus de Potestate summi Pontificis in tẽporalibus, 206.
& in primis ista assertio, Quòd summus Pontifex hæreticum Principem Ecclesiæ persecutorem possit coercere, eius subditos soluendo à vinculo Iuramenti quo illi sunt obstricti; & eum suo dominio priuando. Alterum, quid censendum de Iuramento Fidelitatis, vt vocãt, quod in Anglia Catholicis proponitur.

Certitudo huius doctrinæ.

QVod ad prius attinet, Blacuellus pag. 46. insinuat eam doctrinam non esse certam, sed opinionem dumtaxat Theologicam, cuius contrarium tutò possit teneri. hoc enim planè videtur velle dicere, etsi perplexè loquatur. Rationes ipsius inferiùs

 ap-

apponemus. Idem sentire coguntur omnes qui putant Iuramentum illud posse suscipi.

Doctrinā traditam de potestate Pōt. esse omnino certā.

Verùm planè tenendum est eam doctrinā non esse ambiguā, ita vt vtrimque opinari liceat, sed omnino certam; ita vt absque iniuria fidei negari non possit. Colligitur id manifest. ex ijs quæ suprà adduximus, maximè ex Scripturis & Concilijs. Nihilominus vt magis fiat perspicuum, breuiter nunc quædam addam.

Primò igitur id probo. Quia hæ propositiones in terminis definitæ sunt in Concilio Romano sub Gregorio 7. *Quòd Papæ liceat deponere Imperatorem. Quod à fidelitate iniquorum subiectos possit absoluere.* Extat hæc Synodus apud Onufrium in vita Gregorij 7. & apud Baronium ad annum Domini 1076. Atqui definitio facta à summo Pontifice cum Synodo ad fidem pertinet.

Sed inquiunt, Summus Pontifex extra Conciliū generale definiens non facit rem omnino certam: quia potest errare. Verùm hæc sententia est paucorum, & malè audit apud Catholicos; ita vt passim censeatur erronea & hæresi proxima, vt constat ex Melchiore Cano de locis lib. 5. cap. 4. concl. 5. Bannes 2. 2. q. 1. a. 10. col. 103. Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 5. Constat enim plurimas hæreses à summo Pontifice esse profligatas, & quidnam firmiter tenendum in plurimis quæstionibus, definitum absque Concilijs generalibus: vt patet in erroribus Priscillianistarum, Pelagianorum, Vigilantij, Iouiniani, Manichæorū, & aliorum qui primis tribus sæculis exorti. Sanè si opus esset Concilio generali, nihil certi de innumeris dogmatibus tribus illis sæculis haberi potuisset. Nec illi quorum doctrina damnabatur, fuissent obligati acquiescere, nec alij debuissent illos habere pro hæreticis: quæ omnia sunt valde absurda. Deinde, etiāsi aliquid nō statim eo ipso quo definitur absque Concilio generali esset dogma fidei: tamen si à

tota

tota Ecclesia recipiatur tamquam res indubitata, iam censebitur ad fidem pertinere, vt illi etiam authores fatentur. atqui hæ definitiones receptæ fuere à tota Ecclesia, & vtraque sæpius in praxim redacta.

2. Probatur, quia multa Concilia generalia non solùm hanc doctrinam tradunt, sed etiam tamquam fundamentum multorũ canonum, & sententiarum iudicialium statuũt: vt patet ex Concilio magno Lateranensi, & alijs suprà allatis. Atqui oportet eam doctrinam quæ est fundamentum tantarum rerum, & totius penè gubernationis Ecclesiasticæ, esse certissimam.

3. Si Concilium generale expressè definiret Ecclesiam habere hanc potestatem, nemo Catholicus dubitare posset quin ea res ad fidem pertineret. atqui cùm supponit illud tamquam certum fundamentum suarum cõstitutionum & sententiarum; non minùs illud censetur asserere, quàm si expressè definiret. ergo non minùs certum censeri debet.

4. De fide est, Ecclesiam non posse errare in doctrina & præceptis morum, docendo generatim aliquid 207.
esse licitum quod est iniquum, aut iniquum quod licitum: aut etiam aliquid per se iniquum præcipiendo: vt passim DD. tradunt, Canus lib. 5. cap. 5. pag. 333. Bannes. 2. 2. q. 1. a. 10. col. 110. & alij. Talis enim error non minùs esset perniciosus fidelibus quàm error in fide. Atqui si summus Pontifex non haberet illam potestatem in temporalia, Ecclesia erraret in doctrina morum, & quidem circa res grauissimas. docet enim, Principe per sententiã summi Pontificis abdicato, omnes subditos ab eius obedientia esse solutos, & ditionem eius ab alio posse occupari: vt ex Concilijs suprà citatis constat. Item, Principe publicè excommunicato, subditos à Iuramento Fidelitatis esse absolutos: ita vt non teneantur ei parere, donec reconcilietur; imò prohibet

ne illi pareant, si censura est denuntiata. Quæ omnia falsa erunt; neque solùm falsa, sed etiam perniciosa: quia per ea subditi ad rebelliones & periuria incitabuntur, & vel inuiti & reluctantes compellentur. Errat ergo Ecclesia in doctrina morum, & præcipit rebelliones & periuria, & censuris suis ad illa adigit. atqui hoc asserere est hæreticum: ergo & illud vnde sequitur; nimirum Ecclesiam non habere potestatem subditos à vinculo iuramenti & obedientia liberandi. Confirmatur. quia illa doctrina ad fidem pertinet, ex cuius contrario sequitur id quod fidei aduersatur. atqui ex contrario doctrinæ nostræ sequitur id quod fidei aduersatur; nimirum Ecclesiam grauissimè errasse in doctrina & præceptis morum. ergo doctrina illa de potestate Pontificis ad fidem pertinet.

Sed, inquiunt, Ecclesia potest in facto particulari errare. Esto. At hic non agitur de facto particulari, v. g. Vtrum hic vel ille sit legitimè excommnnicatus, aut depositus: sed de iure & potestate Ecclesiæ in genere: nimirum, Vtrum summus Pōtifex possit Principem Ecclesiæ persecutorem excommunicare, vel per sententiam deponere, & subditos ab eius obedientia & vinculo Iuramenti eximere: quæ quæstiones non sunt facti, sed Iuris generalis. Itaque si in illis errat, manifestè errat in doctrina fidei & morum.

5. Quò articulus aliquis ad plura se extendit, & secum plura trahit, eò censendus est maioris momenti, & error circa ipsum magis perniciosus. atqui hic articulus de potestate Ecclesiæ in temporalibus plurima secum trahit, quia plurimi Canones, plurimæ sententiæ definitiuæ, plurimæ censuræ in eo fundantur, & Ecclesiæ gubernatio bonam partem eo nititur: vt ostensum est suprà num. 113. ergo si Ecclesia circa hunc articulum errat; perniciosissimè errat. Confirmatur. quia error circa

pro-

proprium officium & proprij muneris functionem, per quem iniusta redditur gubernatio, & subditi ad grauissima scelera compelluntur, perniciosissimus est censendus. Atqui si Pontifex non habet illam potestatem; Ecclesia errat in ijs quæ sunt necessaria ad propriam functionem, & hic error iniustam efficit eius gubernationem, & fideles ad grauissima scelera inducit & compellit. ergo perniciosissimè errat.

6. Illa doctrina ad fidem pertinet, quam summi Pontifices, Concilia, & Doctores tamquam certam ex Scripturis proponũt vel supponunt. censetur enim scriptura sacra contineri. atqui hæc doctrina de potestate Ecclesiæ circa temporalia, proponitur vel supponitur à Pontificibus, Concilijs, & Doctoribus tamquam certa ex scripturis. omnes enim volunt eam contineri verbis illis Matth. 16. *Quodcumque ligaueris super terram &c.* vt patet ex Concilio Lugdunensi, & ex Gregorio 7. lib. 8. epist. 21. Innocent. 3. epist. ad Patriarchã Constant. Item illis Ioannis 21. *Pasce oues meas.* includi enim intimè in officio pastorali: ita Sotus, Victoria, Turrecremata & alij Doctores supra n. 79. Hinc nulla fuit vmquam hac de re inter DD. Scholasticos controuersia. Si vel minima in contrarium fuisset probabilitas DD. Scholastici homines acutissimi eam non prætermisissent: præsertim, cùm hæc quæstio suppositis fidei principijs ingenio definiri queat.

7. Hæreticum est Ecclesiam in fideles non habere 208. potestatem coactiuam, nisi quã accipit à Principe sæculari: vt fusè probat Turrecremata l. 2. de Ecclesia c. 46. sæpius appellans hanc sententiã *damnatissimum errorem.* Docuit hunc errorẽ Marsilius à Padua, & Ioannes à Ianduno: estque damnatus à Ioanne 22. extrauag. Licèt secundum Apostolum. atqui ab hac sententia in re nõ discrepat sententia eorum, qui volunt potestatem Ecclesiæ

clesiæ se non extendere ad temporalia laicorum, nec posse laicos in aliqua re vel iure temporali punire. ergo &c. Nec obstat quòd hi concedunt Ecclesiæ potestatem excommunicandi, ac proinde non videantur omnem potestatem coactiuam negare. quia per potestatem excommunicandi nihil aliud intelligunt, quàm ius denegandi spiritualia; qualem potestatẽ nec Marsilius Ecclesiæ subtrahebat. non enim volebat Marsilius ius negandi peccatoribus sacramenta concessum Ecclesiæ ab Imperatore, sed loquebatur de potestate puniendi in re aliqua tẽporali, v. g. priuandi conuictu humano, suspendẽdi Iurisdictionem temporalem, absoluendi subditos à Iuramento Fidelitatis, priuandi aliquem dominio &c. de hac enim solùm tunc erat quæstio. hæc verè & propriè est potestas coactiua, qua contemptores spiritualium, quales sunt plerumque qui Ecclesiæ sunt rebelles, ad officium compelluntur. Itaque cùm videret Ecclesiã passim vti hac potestate, affirmabat eam non competere Ecclesiæ, nisi ex priuilegio Imperatoris.

Ex quibus perspicuum est, sententiam istorum & Marsilij esse vnam & eamdem: & meritò Dominicum Soto affirmare sententiam eorum qui summo Pontifici potestatem in temporalia abrogant, esse hæreticã. Vide suprà n. 79. Denique illa doctrina ad fidem pertinere censenda est, pro qua si opus sit, mors est oppetenda. atqui pro confessione illius doctrinæ mors est oppetẽda, vt plurimorum exempla in Anglia ostenderunt; & ipse summus Pontifex non semel declarauit. Sanè si contrariũ teneri poterat, frustra tot viri insignes tum Ecclesiastici, tum laici se morti pro ea exposuerunt; & Ecclesia ipsos perniciosè decepit: quod nefas est Catholico vel cogitare.

Adde eamdem veritatem definitam à S. D. N. Paulo V. in suo Breui Apostolico ad Catholicos Anglos. Et à Boni-

à Bonifacio 8. in Extrau. Vnam ſanctam. de maioritate & obedientia. cui Extrauag. nullo modo repugnat cap. Meruit Clementis V. tit. de priuileg. in Extrauag. cõmunibus, vt vult Blacuellus pag. 47. & 126. nihil enim Clemens reuocat, nihil corrigit in illa Bonifacij constitutione, vt iste inſinuat: ſed ſolùm declarat Regem Franciæ per eam nihil priſtini iuris amiſiſſe. quod etiam ipſe Bonifacius facilè declaraſſet; quia nihil noui constituerat, ſed antiquam Eccleſiæ doctrinam aperuerat. Nec obſtat quòd duo illa ſcripturæ loca, quibus ipſe vtitur, nimirum Lucæ 22. 38. de duobus gladijs: & Ieremiæ 1. 10. de Ieremia constituto ſuper regna &c. alium ſenſum literalem habeant: quia hæc doctrina non nititur iſtis locis, ſed ſolùm maioris declarationis & confirmationis cauſa ſolent à Patribus in ſenſu myſtico adduci, quos ea in re ſecutus eſt Bonifacius. Nunc videamus quid aduerſarij contrà obijciant.

Obijciunt, quòd in nullo Concilio generali plenè finito concluſum fuerit ſummo Pontifici talem poteſtatem competere. nam de Concilio Lateranenſi quod allegatur, vide Platinam in vita Innoc. 3. Ita libellus Regius. pag. 52. Apologiæ. 209.

Reſpondeo. Iam oſtenſum eſt in ſex Concilijs generalibus hanc ſententiã ſupponi tamquã baſim & fundamentũ multorum Decretorum, ac proinde vt omnino certam & definitam. Quod ad Concilium Lateranenſe attinet, inauditum eſt illud non fuiſſe completum aut confirmatum, præſertim cùm ferè omnia redacta ſint in corpus Iuris. Nec Platina contrarium inſinuat. loquitur enim de ijs, quæ pertinebant ad expeditionem tranſmarinam. verba eius ſunt: *Multa tunc venere in conſultationem, nec tamen decerni apertè quidquã potuit, quòd Piſani & Genuenſes maritimo, Ciſalpini terreſtri bello inter ſe certabant.* quid hoc facit ad impedien-

dam conclusionem & definitionem eorum, quæ iam antè Præside summo Pontifice sancita fuerant?

2. Ob. Doctores inter se mirè dissident, dum alij directam, alij indirectam potestatem astruunt; quod signum est rem totam esse incertam. Ita Barcl. pag. 18. & libellus Regius Apolog. p. 52. Resp. Non dissident DD. vtrùm Pontifici hæc potestas conueniat. omnes enim mirè hac in re consentiunt: sed dissident quo modo conueniat: nimirum, vtrùm solùm indirectè an directè. Sæpè fit vt res ipsa sit certissima, & tamen modus sit dubius. Valde rudis est, qui ex eo quòd modus incertus est, rem totam incertam putat. Fide certum est sacramenta nouæ legis gratiam rite dispositis conferre: at modus conferendi est incertus, & magna est de ea re sententiarum diuersitas. Fide certum est, animas damnatorum igne cruciari; & modus quo cruciantur est valde incertus, & diuersè DD. de eo sentiunt. Simili modo certum est summo Pontifici in temporalia Ius cōpetere, quando bonum spiritale id postulat. vtrùm verò tunc solùm, an etiam aliàs, nempe ordinariè (quod DD. per directè & indirectè significant) non est ita certum: & hac de re diuersæ sunt sententiæ.

Couar. p. 2. p. 504. Nauar. vt ibidē notatur à Couar. & vt patet in cap. Nouit. pag. 353. Binsfel. tract. de iniuria & damno cap. 7.

3. Ob. Couarruuias, Martinus ab Aspuilcueta, & Binsfeldus affirmant nihil certi de Pontificis authoritate circa temporalia hactenus ab Ecclesia esse definitum. Ita Blacuellus pag. 45.

Resp. Loquuntur de potestate quoad modum illam habendi directè vel indirectè tantùm. Solùm enim volunt dicere quæstionē quæ vertitur inter Theologos & Canonistas non esse decisam. Nam quòd Couarruuias de ipsa potestate non dubitet, constat ex eius comment. in cap. Si heredes. de testament. c. 6. n. 18. vbi ostendit Romanum Pontificem in cap. Licet. de voto, iustè potuisse excommunicare & priuare regno filium Regis

Regis Hungariæ ob contumaciam: addens, *Siquidem potest ex causa Romanus Præsul Regem aliquem regno priuare. Quod probat optimè textus in cap. Grandi. de suppl. negl. Prælatorum in 6. cap. Alius 15. q. 6. cap. Adrianus 63. distinct. Ioannes Lupus de Reg. Nauar. 2. p. §. 7. cap. Apostolicæ. de re iudicata in 6.* Hæc ille. Nauarrus quoque eamdem sententiam tamquam certam vbique tradit; vt patet in comment. cap. Nouit. de Iudicijs. notab. 3. n. 96. & sequentibus vsque ad n. 112. 124. & 126. etiamsi de modo eum habendi opiniones referat & discutiat.

4. Ob. Cardinalis Alanus insinuat rem esse incertam. sic enim scribit: *Quæstio est planè Theologica, & cum religione Christiana arctissimè cohærens, de qua etsi forsan non definitè pro parte nostra pronuntiatum sit: posse tamen ac solere Theologicis argumentis in vtramque partem disputari, ipsi quidem aduersarij, si quidquam sciunt, ignorare non possunt.* ita Blacuellus p. 46. 210. Alanus in Resp. ad Iustit. Brit. fol. 326.

Resp. Eo loco satis insinuat vir doctissimus hanc doctrinam non esse dubiam, sed planè certam. 1. quia dicit eam arctissimè cum religione Christiana cohærere & pertinere ad primatum Romani Pontificis. 2. Quia iudicat eam doctrinam non esse deserendam, etiamsi propter eam in Anglia crimen læsæ Maiestatis intentetur. 3. Quia illam fusè probat ex scripturis, & assiduo vsu Ecclesiæ. Nec obstat quòd iudicet nondum definitam, sed vtrimque disputari: quia hoc intelligendum est de modo, quo hæc potestas competit. de hoc enim vtrimque Theologicis argumentis ex scripturis & sacris canonibus disputatur: non autem de ipsa substantia rei in genere. Non enim disputatur apud Catholicos, vtrùm aliquo modo potestas in res temporales Pontifici conueniat: sed vtrùm indirectè tantùm, an verò etiam directè, & in ordine ad finem politicum. Volebat illis verbis

Cardinalis ostendere quæstionem illam de authoritate Pontificis in temporalia non esse politicam, vt aiebat aduersarius: sed Theologicam & ex scripturis diuinis, sacrisque canonibus definiendam. Quidam ex illis verbis colligunt hanc doctrinam esse solùm conclusionem Theologicam, sed frustrà, vt ostensum est. potest enim eadē propositio simul esse conclusio Theológica, & per se ad fidem pertinere.

An sit solùm cōclusio Theologica. Deinde etiamsi solùm esset conclusio Theologica (nempe ex duabus fidei, vel ex altera fidei, altera ratione naturali certa deducta) nihilominus absque iniuria fidei negari non posset: vt bene ostendit Melchior Canus de locis lib. 6. cap. 8. & Turrecremata lib. 4. de Eccles. c.9. & 10. Ratio est, quia si cōclusio Theologica negetur, eo ipso cēsetur negari propositio fidei, ex qua deducitur; cùm certum sit non negari eam quæ ratione naturali est perspicua. Vnde huiusmodi conclusio ad fidem pertinere censetur: & minimo negotio à summo Pontifice tamquam propositio fidei definiri potest. Denique ex dictis constat illam doctrinam amplius esse quàm conclusionem Theologicam; cùm sæpius per se definita fuerit, sitque à Concilijs supposita tamquam basis tot canonum, tot iudiciorum, tot censurarum & necessariæ gubernationis Ecclesiæ.

211. Lib. 5. de Pontif. cap. 6. 5. Ob. Quòd Cardinalis Bellarminus nihil videatur certi statuere, sed ita ambiguè loqui, vt *integram sibi reliquerit sententiæ suæ (si res nata tulerit) mutandæ facultatem. Cùm enim alicubi affirmat Papā, vt Papa, ordinariè temporales Principes deponere, etiam iusta de causa non posse: posse tamen regna mutare, & vni auferre, & alteri cōferre tamquam summum Principem spiritualem, si id necessarium sit ad animarum salutem; quid aliud sensu licèt occultiore significat, quàm nullam Pontifici rectè deferri Regum abdicandorum potestatem?* Ita Blacuellus pag. 109 Deinde

de id probat perplexo verborum ambitu, vt facilè appareat non agi ex fide. summa est: Papa non accepit à S. Petro nisi potestatem ordinariam. atqui per ordinariam potestatē non potest Regem deponere (vt fatetur Bellarminus) ergo absolutè non potest. vel dicatur vnde illā extraordinariā habeat? Deinde si non potest vt Papa; ergo neque vt sūmus Princeps spiritualis: quia non alia ratione est summus Princeps spiritualis, quàm quia Papa.

Resp. In verbis Cardinalis nullas esse latebras, nullos sensus ambiguos: sed aduersarius planissimum eorū sensum peruertit, quasi eadem essent, *non posse ordinariè, & non habere potestatem ordinariam,* cùm plurimùm differant. cùm enim ait, Papam *non posse ordinariè* deponere Reges, illud *ordinariè*, idem est quod in quouis euētu quo iusta causa suppetit, sicut potest deponere Episcopos, cùm horum sit Iudex ordinarius; vt ipse Cardinalis expresse declarat. Hinc autem nulla probabilitate colligi potest, potestatem istam summi Pontificis non esse ordinariam: sed extraordinariam & delegatam. Itaque potestas ista Pontificis in Reges est ordinaria, quia intimè includitur in officio Pontificali seu pastorali: ac proinde vnà cum officio pastorali deriuata est à Christo Domino in Sanctum Petrum, & alios Petri successores. Hac tamen potestate non potest vti in Reges ordinariè, hoc est in quouis euentu quo id merentur (sicut potest vti sua potestate in Episcopos) sed solùm quādo ad salutem animarum id est necessarium. Tunc autē potest, quia est supremus Princeps spiritualis. Itaque etiamsi Papa non sit ordinarius Iudex Regū in ijs quæ pertinent ad regni gubernationē, sicut est ordinarius Iudex Episcoporum in gubernatione diœcesis: tamen, quādo bonum spirituale id postulat, iudicat illos potestate sua ordinaria à Christo per Petrum in ipsum deriuata: *quia est supremus Princeps spiritualis*. quibus verbis non si-

 gnifi-

gnificatur sua dignitas, sed explicatur notio Papæ: vt sensus sit magis formalis.

De Iuramento Fidelitatis.

212. SEQVITVR nunc alterũ de Iuramento, quidnam de hac formula sit sentiendũ. Ego hanc rem nullo modo attingerem, nisi de doctrina fidei Catholicæ, & salute animarum ageretur. Formula est talis.

Ego A. B. verè & sincerè agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea, coram Deo & mundo, quòd supremus Dominus noster Rex Iacobus est legitimus, & verus Rex huius regni, & omnium aliorum Maiestatis suæ dominiorum, & terrarum. Et quòd Papa nec per seipsum, nec per vllam aliam authoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per vlla media, cum quibuscumque alijs, aliquam potestatem, nec authoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maiestatis suæ dominiorum, vel regnorum disponendi, vel alicui Principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas inuadere authoritatem concedendi, vel vllos subditorum suorum ab eorum suæ Maiestatis obedientia & subiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Maiestatis suæ personæ, statui, vel regimini, vel aliquibus suis subditis infra sua dominia offerendi.

Item, Iuro ex corde, quòd non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis, aut depriuationis facta, vel concessa, aut fienda vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel quamcũque authoritatem deriuatam, vel deriuari prætẽsam ab illo, seu à sua Sede contra dictũ Regem, heredes, aut successores suos, vel quacumque absolutione

tione dictorum subditorum ab eorum obedientia: fidelitatem tamen & veram obedientiam suæ Maiestati, heredibus, & successoribus suis præstabo. Ipsumque & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes, & attentata quæcumq;, quæ contra personam illius, vel illorum eorumq; Coronam & dignitatē, ratione, vel colore alicuius sententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam. omnemque operam impendam reuelare & manifestum facere suæ Maiestati, heredibus, & successoribus suis omnes proditiones, & proditorias conspirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum, ad notitiam, vel auditum meum peruenerint.

Præterea Iuro, quòd ex corde abhorreo, detestor, & abiuro tamquam impiam, & hæreticam hanc damnabilem doctrinam, & propositionem, Quòd Principes per Papam excommunicati, vel depriuati, possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscumque deponi, aut occidi.

Et vlteriùs credo, & in conscientia mea resoluor, quòd nec Papa, nec alius quicumque potestatem habet, me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi. quod iuramentum agnosco rectâ, ac plena authoritate esse mihi legitimè ministratum, omnibusque indulgentijs ac dispensationibus in contrarium renuntio. Hacq; omnia planè ac sincerè agnosco, & iuro iuxta expressa verba per me hic prolata, & iuxta planum ac communē sensum & intellectū eorumdem verborum, absque vlla æquiuocatione, aut mentalì euasione, vel secreta reseruatione quacumque. Hancq; recognitionem, & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè, in vera fide Christiani viri. Sic me Deus adiuuet &c.

De hac formula, dico 1. Iuramentum iuxta hanc formulam conceptum, esse planè irritum, nullamque adferre obligationem præstandi, quæ eo continentur; vt infrà patebit. Vnde sequitur esse planè inutile ad parādam Principi securitatem. qui enim illud fecit, non magis 213. Esse irritū

magis obligatur quàm qui non fecit, siue Catholicus is sit, siue hæreticus. absolutè enim est irritũ & inefficax. Nec refert quòd quis omnibus priuilegijs, indulgentijs, & dispensationibus renuntiet, & numquam cupiat eius vinculo solui: quia hæc omnia nullam vim tribuere possunt actui, qui per se prorsus est irritus & illicitus. Neque solùm omnium Catholicorum iudicio est irritum: sed etiam omnium huius æui Nouarum religionum; vt suprà n. 53. ostensum est. omnes enim docent Principem veræ religionis impugnatorem & falsæ promotorem deponi posse ac debere; etsi non per Romanum Pontificem, tamen sententia Ministrorum, & opera plebis. quod non minùs aduersatur isti formulæ quàm doctrina Catholica. quia formula omnem authoritatem Regis deponendi excludit. Quid ergo securitatis adferre potest hoc Iuramentum, quod & reipsa, & iudicio eorum quibus proponitur, planè est irritum & inualidum? Non solent Principes subditis suis proponere Iuramenta, nisi vt eorum conscientiæ religione Iuramenti constrictæ, in fide contineantur, neq; quidquam contra statum ipsorum audeant mouere. At hoc Iuramentum planè ad hunc finem est ineptum, cùm nullum menti religionis vinculum inijciat.

Dices. Non exigi ad securitatem, sed ad exhauriendas opes Papistarũ. Si ita est, cur quæstione in Blacuellum vbique prætenditur securitas status & vitæ Principis? cur tot finguntur casus, & tam enucleata exigitur interpretatio verborum ad obuiandum omnibus periculis? Nimirum vt in omni euentu conscientia per hoc iuramentum maneat obstricta ad statum Principis tuendum. Sed re vera frustra hæc omnia aguntur, si solùm securitas quæritur. quia Iuramentum nullam parit securitatem, nisi quatenus obligat conscientiam.

Addo, non solùm nihil adferre securitatis; sed

etiam

etiam creare multũ periculi. nihil enim eſt quod æquè acerbat animos ſubditorũ, & ad extrema tentanda concitat, quàm cùm ſuis conſcientijs vim fieri, & eiuſmodi laqueis ſe vidēt implicari, quibus neceſſariò vel ſalutis animæ, violatis antiquæ & probatiſſimæ religionis decretis, vel fortunarũ & vitæ iacturam ſi recuſent facere cogantur. Nihil homini acerbius accidere ſolet, nihil videri iniquius, magiſque tyrannicum. Non eſt dubitandũ quin huiuſmodi cogitationibus impulſi fuerint, qui paucos ab hinc annos horrificum illud facinus conceperant. Intereſt itaque & ſalutis & exiſtimationis Principis, & prudentiſſimorum Senatorum huiuſmodi formulas reſcindi, & nihil à ſubditis exigi, quod antiquæ religioni, & conſcientijs eorum aduerſetur.

2. Ijs qui hoc Iuramentum ſuſcipiunt, parùm prodeſſe occultos intellectus, & mentales reſtrictiones, & clauſulas quaſi reſtringentes, & alias huiuſmodi argutias. hæc enim omnia facilè deteguntur induſtria eorum qui huic negotio præſunt; qui nuſquam acquieſcunt, donec diſertam & planam de minutiſſimis quibuſque, & omnibus fortuitis euentibus confeſſionem expreſſerint. quo fit vt qui ſe putant huiuſmodi artificio expedire, magis inuoluant, quàm ſi ab initio apertè egiſſent. Exemplo ſit M. G. Blacuellus, qui cùm ſuo quodam ſenſu Iuramentum ſuſcepiſſet, eò paulatim varijs quæſtionibus eſt deductus, vt non ſolùm omnem Eccleſiæ authoritatem ad hæreticum Regem exauthorandum abnegare: ſed etiam contrariam ſententiam vt impiam, hæreticam, & execrabilem damnare & abiurare ſit coactus.

214. Nihil prodeſſe aſtutos intellectus.

Cauendum quoque maximè in huiuſmodi, ſcandalum. non enim ſolùm ſacrificia Dijs offerre à Patribus damnabile iudicatum: ſed etiam libellum, quo voluntati Principis videretur ſatisfactũ, à magiſtratu accipere: vt patet ex S. Cypriano epiſt. 15. 31. 52. ſermone de

 lap-

lapsis, & alibi. Itaque non excusaris, etsi dicas te intellexisse formulam de potestate Imperiali, seu politica, & pro mero arbitrio exercenda; vel de directa & ordinaria qualem habet in Episcopos; vel de indirecta considerato præsenti rerum statu &c. Verba enim formulæ generalia sunt, & generatim à magistratu proponuntur. vnde quidquid in animo tuo intelligas, ipse actus externus Catholicæ fidei professioni aduersatur.

215. Non excusat occultus intellectus.

Quod vt meliùs intelligatur, declaro exemplis. Si iubente magistratu Ethnico quispiam poneret thus Idolo, etsi id faceret non animo honorandi Idoli, sed Dei veri qui vbique præsens: nihilominus exteriùs veram Idololatriã committeret; quia spectatis circũstantijs loci, temporis & personæ imperantis, censeretur externus ille actus Idoli cultus, etsi intentio agentis aliò illum referat. Si præcepto Principis Ariani profitearis symbolum Arianum, in quo Filius dicitur minor Patre; externo actu hæresim profiteris, etiamsi apud te orthodoxè omnia intelligas. Idem plurimis alijs exemplis declarari potest. quãdo enim agitur de fidei professione, non sufficit priuatim habere sanum intellectum, aut rectam intentionem; sed opus est, vt etiam actus exterior, & ipsa verba spectatis circumstantijs communi hominum apprehensione & iudicio non designent aliquid, quod sanæ doctrinæ sit contrarium. Atqui in hoc iuramento agi de fidei professione, patet tũ ex titulo Edicti Regij, quo hoc Iuramẽtum cõtinetur, qui talis est, *Ad detegendos & reprimendos Papistas*: tum quia in eo proponitur abiuratio eius doctrinæ, quam ad fidem pertinere ostensum est, eaque tamquam impia & hæretica condemnatur. Ex quibus patet, eum qui istud Iuramentum suscipit, etiamsi alium sensũ verbis in mẽte sua accõmodet, intelligendo clausulas illas quæ Pontificiam potestatem attingunt, de potestate politica Imperatoria, directa, libera, merique arbitrij &c.

&c. non excuſari à perfidiæ profeſſione: quia verba Iuramenti omnem generatim poteſtatem, quæcumque demum cauſa ſe offerat, excludunt. . . . .

Pari modo non excuſatur qui concepto illo Iuramento, tamdem addit hanc proteſtationem, ſe omnia iſta iurare, quatenus iudicio Catholicorum ſolùm continent obedientiam ciuilem. Ratio eſt, quia proteſtatio locum non habet, quando expreſsè contrarium agitur. Vt ſi Titio multa falsò obijcias crimina, & iures te credere illum eſſe furem, latronem, proditoré, falſarium; non potes excuſari ab iniuria, etiamſi mox proteſteris te non velle iſta iurare, niſi ſint vera, & certò de illis cõſtet. Si formulam fidei Arianæ, Mahometanæ vel Caluinianæ, in qua nonnulla vera falſis permixta ſunt, profeſſus fueris Tyranno iubente; non excuſaris à perfidiæ profeſſione, & Catholicæ doctrinæ proditione; etiamſi mox proteſteris te iſta iurare, qua parte ſcripturis ſacris ſunt conſentanea. Et ſanè ſi illud Iuramentum cum tali poteſtatione eſt licitum, non video cur iſta exempla non ſint licita, omniqúe iniuria ac perfidia vacantia. Nec video cur non ſit fas adolere thus coram Idolo iubẽte Tyranno, cum proteſtatione te id Deo vero nõ Idolo exhibere. at nemo dixerit hæc abſque ſcelere fieri poſſe. Vnde nec vſquam legimus veteres Chriſtianos huiuſmodi ſubtilitatibus vſos, vt Tyrannorum Edictis ſatiſfacerent, vel impia mandata eluderent. nã re vera in opere ipſo externo ſpectatis circumſtãtijs eſt profeſſio perfidiæ, quam proteſtatio illa nõ poteſt tollere. Nec refert vtrùm hæc proteſtatio fiat ante Iuramentum, an pòſt. quia ipſo facto per formulam Iuramẽti à proteſtatione receditur: ſicut cùm quis proteſtatur ſe nullã velle Titio inferre cõtumeliam, & mox multa contumelioſa in illum profert.

Non excuſat contestatio ſubiuncta.

Accedit quòd aduerſarij contendunt hoc Iuramẽtum nihil exigere niſi obedientiam ciuilem iure diuino Prin-

cipi à subditis debitam. Itaque per illam protestationem nihil ipsorum iudicio excipis, nihil corrigis; sed in totum Iuramentum plenè consentis, & integrè illorum intentioni satisfacis. quod quid aliud est, quàm velle videri magistratui morem gessisse, & imperio perfidiæ in odium potestatis Ecclesiasticæ intentato satisfecisse?

Nec refert quòd ad iudicium Catholicorum sensum tuum restringas: quia iam non desunt Catholici, qui metu malorum superati cessere magistratuũ imperijs, & omnia ad ciuilem obedientiam pertinere dictitant.

Denique protestatio illa etiamsi videatur corrigere vel restringere actum iurandi; non tamen quidquam immutat circa alios actus qui illa formula proponuntur; nimirum circa actum credendi, agnoscendi, profitendi, detestandi &c. Itaque etiamsi protestetur se tantùm illa iurare, quæ ad ciuilem obedientiam pertinent; nihilominus absolutè recipit, agnoscit, profitetur, ex animo credit omnia, quæ illa formula proponuntur. Detestatur & reijcit vt impiam & hæreticã doctrinam, quæ summo Pontifici Ius illud in Reges tribuit &c. Quæ omnia sine fidei Catholicæ iniuria, & salutis detrimẽto fieri nequeunt. Non enim solùm in iurando, sed etiam in profitendo & credẽdo quæ fidei aduersantur, peccatum est. Ex his patet quàm periculosum sit in huiusmodi ad istas subtilitates confugere, nullo antiquitatis exemplo.

Postremò hoc quoque prudenter Catholicis aduertendum, non sisti in hoc Iuramento conatus & industriam ministrorum, sed sensim strui gradum ad maiora, si quid tamen maius esse potest: nempe vt præstito hoc Iuramento, veniatur ad Iuramentũ Primatus: inde ad frequentandas Ecclesias; & tamdem πρὸς ἴλιγγον καὶ πλήρωμα Sectæ, ad Cœnam, inquam, Caluinisticam.

3. Modũ iurandi qui hoc proponitur, videri prorsus

216. insolentem & periculosum. non enim solet exigi Iuramen-

ramentum de veritate rerum, sed de facto occulto personæ, nec quisquam Principum exigit à subditis vt iurét ipsum esse legitimum Principem; sed vt iurent se illum pro tali recipere & acceptare, & vt tali obedientiã præstituros. veritas rerum alijs modis exploranda est & cõfirmanda: sed occulta hominũ facta, iudicia, cogitationes, voluntates Iuramento detegenda: nimirum vt mens reuerentia Numinis, & religione Iuramenti constricta proferat in lucem, quod occultũ interiùs tenebat. Modus insolens & periculosus.

Dicetur fortè, hanc formulã in eum sensũ esse intelligendã. Sed ipsa propria verborũ significatio, & vsus rectè propriéque loquentiũ obstat. constat autem in huiusmodi publicis formis vsitatum loquendi modũ & proprietatem sermonis seruandam. Vnde in eadem formula sub finem dicitur: *Hæc omnia planè & sincerè agnosco, & iuro iuxta expressa verba per me hic prolata, & iuxta planum ac communem sensum & intellectum eorumdem verborum*. Atqui iuxta expressa verba, & iuxta planum & communem sensum verborum iuratur hic de re ipsa; nempe, *quòd supremus Dominus noster Rex Iacobus est legitimus & verus Rex huius regni, & omnium aliorum Maiestatis suæ dominiorum ac terrarum*. aliud longè est aliquẽ esse legitimum Regem: aliud eumdem habere pro tali. Illud Iureiurando affirmare est periculosum. multa enim ex parte rei subesse possunt quæ nos latent: & Ecclesia iuxta communem Catholicorum doctrinam habet potestatem reddendi hæreticum ad regnum inhabilem. hoc verò faciliùs iurari potest: quia quisque potest esse certus de suo actu: & quædã haberi ac censeri possunt legitima, quæ re ipsa non sunt. multùm enim ad hoc valet communis æstimatio.

4. Hanc formulam non solùm periculum periurij, sed etiam apertũ periurium continere. Periurium enim est cùm iuratur falsum: hic autem iuratur falsum, fal- 217. Continere periuriũ.

tem Catholicorum omnium iudicio. affirmatur enim & declaratur coram Deo, hoc est, Deo in testem adhibito, quòd Papa nullam authoritatem habeat Regem deponēdi, aut disponēdi de aliquo eius dominio, aut Principi extraneo Ius aliquod tribuendi ad terras inuadendas, aut vllos eius subditos ab illius obediētia absoluēdi &c. quæ omnia iuxta doctrinam Catholicam falsa esse ex ijs quæ suprà dicta sunt constat. Itaque Catholicorum iudicio hic est manifestum periurium. Omitto nunc quòd multis scriptorum veterum testimonijs conuinci videatur Regnum Angliæ & Hyberniæ iam multis sæculis esse tributaria Sedi Apostolicæ, & eius beneficio teneri Iure feudatario, ad quæ hactenus non vidi responsum.

Esse absolutè illicitum.

5. Etiamsi formula illa concepta esset non de re, sed de actu & iudicio personæ, & nihil aliud iuraret subditus, quàm se non agnoscere in Papa vllam authoritatem statuendi quidquam aduersus Principem; adhuc tamen esset illicita & iniqua. Probatur 1. quia absolutè negatur & abiuratur doctrina Catholica, quam ad fidem pertinere suprà ostensum est. 2. Quia abiuratur ea doctrina, quam etiam ipse Barclaius cap. 18. veram fatetur: qua statuitur Papam aliorum Principum, qui nutritij & defensores Ecclesiæ esse debent, ad religionis defensionem & iniurias vlciscendas opera vti posse, ijsque Ius dare regnum inuadēdi & occupandi, vt suprà n. 134. ostensum. Si Papa id potest, vt etiam ipsum Ius naturæ manifestè docet: quomodo potest Catholicus iurare, se hanc potestatem, & hoc Ius in Papa non agnoscere?

218. Nec refert etsi dicas te loqui de præsenti rerum statu, prout nunc se habet: nempe Papam hoc rerum statu nullam talem authoritatem habere; quia si quid in Principem tentaret, id non in commodum, sed in damnū boni spiritualis cederet. Id enim iam suprà n. 204. refuta-

tum

tum est. Vt omittam in formula non solùm agi de hoc rerum statu; sed generatim etiam de quouis, in quem regnum etiam sub posteris posset conijci.

3. Quia Pontifici abrogatur in hac formula *potestas Principes hæreticos excommunicandi*, qua tamen ipsum esse præditum constat ex scripturis & perpetuo vsu Ecclesiæ.

Dices, non negari potestatem excõmunicandi, sed solùm effectum quemdam excõmunicationis; nimirum, quòd excõmunicatio Principis soluat subditos à Iuramẽto. Sed hunc effectum excõmunicationi fuisse annexum iam à 600. annis, imò à 1200. ostensum est suprà.

4. Quia doctrina Catholica abiuratur tamquã hæretica & impia, & consequenter omnes Catholici DD. & integra Concilia Oecumenica dãnantur hæreseos & impietatis. sic enim habet formula: *Præterea iuro quòd ex corde abhorreo, detestor & abiuro tamquam impiã & hæreticã hanc damnabilem doctrinam & propositionẽ. quòd Principes per Papam excõmunicati vel depriuati possunt per suos subditos, vel per alios quoscumq; deponi*. Impij ergo sunt & hæretici tot Põtifices, Episcopi & Doctores, quos suprà produximus, & inter ceteros S. Anselmus, S. Thomas, S. Bonauentura, S. Antoninus, & alij quotquot iam à quingentis annis floruere. Impium & hæreticum Concilium magnum Lateranense, Conciliũ Lugdunense, Constãtiense, Lateranense, Tridentinum. non enim hi possunt per ignorantiam excusari. At quid magis hæreticũ & impium dici potest? concidit ergo iam à 500. annis Ecclesia, vtpote hæresi & impia doctrina cõtaminata. Omitto alia plurima, quæ ex hac impietate sequũtur. ex quibus perspicuum est, neminem ex corde doctrinam illam vt hæreticam vel impiam detestari posse, nisi ipse primò in magnam impietatem & hæresim se induerit. 219.

5. Quia iurat subditus *se credere, & in conscientia resolui hoc Iuramentũ adeo esse validum, vt summus Pontifex*

nullo

nullo euentu possit ipsum ab eo, vel aliqua eius parte absoluere. Quibus in verbis & est manifestum periculum periurij, & negatur potestas absoluendi à Iuraméto, quam ex Scripturis, Doctoribus, & tot sæculorũ vsu Ecclesiá habere in certis euentis constat. Periculum periurij in eo est, quòd vix fieri queat vt vir prudés, præsertim Catholicus, ex animo credat, & sibi persuadeat hoc Iuramentum, quod planè insolens est, & hactenus inauditum, quod concordi sententiæ DD. & multorum Conciliorũ decretis, & Ecclesiæ praxi repugnat; adeo esse iustum & firmum, vt nullo euentu solui queat. Quod si non credit ex animo, vel ambigit, iam est periurus.

220. 6. Quia iurat se *agnoscere hoc Iuramentum recta ac plena authoritate sibi esse legitimè ministratum*. Vbi rursus est periculum periurij, vt antè: & tacitè tribuitur Principi Primatus in spiritualibus. authoritas enim definiendi & statuẽdi quid Papa possit vel non possit in ordine ad spiritualia, quam vim habeat eius excommunicatio, quã absolutio à Iuramento, & simul obligandi subditos in conscientia vt ita credant, & iurent se ita credere, sicut ipsis proponitur; etsi Ecclesiæ cõmunis doctrina tot sæculis repugnet: hæc inquam authoritas meritò statuenda est suprema in spiritualibus, præsertim cùm tãta sit, quãtam nemo Catholicus vel sũmo Pontifici ausit tribuere. atqui hæc authoritas tribuitur in hac formula Principi sæculari. Minutiora alia multa prætermitto.

Ex quibus perspicuum est, quàm verè definitum sit à summo Pontifice Paulo V. *hoc iuramentum salua fide Catholica, & salute animarum præstari non posse: cùm multa contineat, quæ fidei ac saluti apertè aduersantur*: & quàm non verè toties ab Authore in Apologia & Præfatione ingeminatum, nihil in ea formula præter ciuilis obedientiæ obligationem contineri.

FINIS.



